Długosz, Jan

Historia Polonica

Handskrift D 1471:1-3

Tillkomstår Slutet av 1500-talet

Digitaliserad år 2015

National Library of Sweden

D. 1471:1.

Histor. Polonicæ
Tomus I

1686 av Delag:is
Bibl. tildelad Ant.
Colleg.

Ant. Coll. t. K. Bibl. 1742
Fol. No 11.

JOANNIS LONGINI Seu DLUGOSSI
Canonici primum Cracovienſis, tandem
Leopolienſis Epiſcopi (: qui nomine
Caſimi III., Polonorum Regis, varias
obiït Legationes, ac Liberorum
quoqȝ Ejus fuit Præceptor,
obiïtque a. 1480.

ANNALES, Seu HISTORIA POLONICA
a prima gentis origine ad initium
Regiminis Wladislai III. vel, Secundum.
alior. VI^{ti} h. e. ad finem
a 1434. Libris XI.

Edita eſt hæc Hiſtoria primum Dubromili a. 1615. in fol. Sed manca & quæ non ultra a. 1240. extenditur; a. autem 1711. reperto integro hujus hiſtoriæ MS^{to}, completa prodiït Lipſiæ etiam in fol. quæ editio cum procedat usque in a. 1444. quo ipſo Wladiſlaus ille in prælio Warnenſi contra Turcas Occubuit, videtur XII.^{mus} Liber, illud intervallum continens, heic deſiderari.

+

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO SBIGNEO DE OLESCHNIZA MISERATIONE DIVINA TItuli Sanctae Priscae, Sanctae Romanae Ecclesiae Praesbitero Cardinali et Episcopo Cracoviensi Domino suo colendissimo et dignissimo Joannes Longini Canonicus Cracoviensis, visione perfrui remuneratoris aeterni, et beata atque immortali stola potiri.

Studiorum meorum labores Reverendissime Pater ad benedictae Trinitatis laudem, excellentiam, et gloriam, fidei Orthodoxae amplitudinem, et in patriae nostrae, tuumque ornamentum, ac decus, conversurus, annalium rerum Polonicarum, caeterarumque gentium, Polonis vicinarum memoriam, res pace et bello gestas complexus, literis mandandam suscepi, sopitis hominum cineribus, diuturnaeque concretis caligini largiturus notionem, et memoriam, et singulis lectoribus et auditoribus eorum repraesentaturus actiones, non ingenii fretus potentia. Tenue enim illud et aridum extat, et ad lucubrandum opus praesens, ut heroum illustria facta insignesque victoriae extolli adornarique potuissent, languidum et parum sufficiens, nec scribendi arte, rudem veterum superaturus narrationem, sed quia multa praeclara et superiorum et nostrorum temporum acta notione digna, in perpetuam oblivionem ire dolebam, egregia enim extant nonnullorum Polonorum virorum Illustrium facinora, et memoratu digna, sive pacem spectes, sive bellum, exemplorum casibus onerosa, in quibus et gladios, fraterno, aut cognato caede regnandi cupiditati, rubentes sanguine, itemque seditiones, factiones, varia exilia, varias publicarum rerum eversiones et optimatum atque omnium exterminia reperiuntur luce carminis deposcentia illustrari, simulque tuis iussionibus et assiduis exhortationibus etiam posse tua fata pariturus. Tu siquidem mira charitate, qua ad extollendum res patriæ flagrabas, unum id potissime effecturum me precibus iuxta ac imperijs sanxisti, simulque materiam scribendi, condendique res, quæ in ætate tua contigerunt, fideli narratione et domestico preconio præbuisti. Et quoniam non una et eadem fuit, est, et erit, historiarum conscriptoribus laboris et scribendi causa, cum alij, ut gloriam, honoremque apud præsentis et posteros ex ornatu aucupent, quale aliquando Tito Livio provenisse scimus, viros enim, lacteo eloquentiæ fonte manans, ex ultimis Galliarum Hispaniarumque finibus, plures nobiles discipulos et ut nonnullorum fert assertio, Gaditanum quendam ad se videndum, audiendum, et mirandum, Romam pertraxerat. Mortuus vero omnium ore, sententiaque Latinorum laudatur, Cineres quoque sui atque ossa, quamvis gentilis, a Patavinis, de origine et stirpe sua gloriantibus, prope ædem Sanctæ Iustinæ reperti, in porta Palatij maioris, quo aliquid venerationis etiam ossibus accederet, condita sunt. Alij ut gratiam aucupentur eorum, quorum virtutes bellicas laudant. Alij quod rebus magnis et arduis pace vel bello gestis adfuere, genus assumpsere laboris, quod de Homero, Darete, Quinto Curtio, Plutarcho, aut credi, aut præsumi potest. Me nulla harum causarum, sed magnitudo rerum, sub obscura caligine iacentium, honestatis officium, non spes utilitatis, charitas quoque patriæ, qua omnium

omnis

omnes charitatis ſupergredi ſolet, qui ut illam omni ornamento, quod ex me ſibi texeri poſſit, redundantẽ, atq; accumulatam, vel redderem, vel efficerem, charitas proximi ex opere præſenti ædificandi, ad opus prolixum et ingentis laboris ſuſcipiendũ, pellexit. Antiquitatis enim, et hiſtoriæ, et rerũ domi forisq; geſtarum notitia, virtutis parens, et vitæ magiſtra a ſapientibus habita, non tenuiores humano generi, quam philoſophia, poſcitur conferre profectus. Nam etſi philoſophia pro conſequendis virtutibus hominem dirigat, et informet, ad clara tamen facinora aut agredienda, aut implenda, plus habet virium, quàm illa obtinet, cùm philoſophià tantum mandat et moneat. Hiſtoria vero etiam opus perfectum efficiat, et in qua etiam ſingula, quæ ad fortitudinem, ad modeſtiam, ad prudentiam, ad pietatem, ad religionem pertinent, velut in quodam ſpeculo, et humanæ imbecillitatis exemplari, et invitamento contemplari licet. Summum decus, ſummamq; voluptatem, claris iuxta ac obſcuris hominibus, non præceptis, non inſtitutis, non diſputationibus, ſed rebus geſtis, et inſignium Heroum moribus ad capeſſendam virtutem, ad conſequendam celeberrimam laudem, ad comprehendendos auguſtos honoris alatura. Clariſſimorum enim hominum geſtis, et maximarum rerum recordatione conſtat humana et præſertim nobilia pectora, ad immortalitatis gloriam vehementer accendi, dulceq; eſt inter maiorum verſari commercia, et veterum dicta factaq; recenſere memoria, atq; eorũ præſtantib;

actionibus inhærere; cum denique mortales omnes sciendi et intelligendi teneantur desiderio, quo minime aliter, nisi aut ævo diuturno, aut assidua praxi, et experientia licuit potiri. Verum si quis ad historiæ cognitionem, et ad perdiscendum illustrium virorum, maximarumque regionum, et civitatum res gestas, artes, consilia, bella, fortunam, mentem appulerit, veterum sublimioris scientiæ et intelligentiæ, sub brevi ætatis et laboris compendio apprehendet. Ad res enim pulcherrimas noscendas, per historiam rerum, alieno labore partam, perducimur, et licet transactorum sæculorum longum ordinem, et plurimorum mortalium tam arcana quam aperta facinora, sub brevi temporis intueri compendio, eoque uno pacto vir iuvenibus et viridis senibus unius ætatis cognitionem tenentibus, poterit præstari, aut saltem æquari; velut in quem præclara rerum et optimarum artium eruditio, et uberrima gestorum et antiquitatis notitia, non ex unius capite, sed ex multorum abundantissimo fonte manavit. Quæ cum ita sint, quis tam expers humanitatis erit, qui se his dare studiis nolit, quæ adolescentiam ad maximam consequendam gloriam excitant, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversas modificant, patriæ prosunt, pericula propulsant, cum in illis res hominum gestæ, fortunæ eventus insperati, naturæ opera insolita, et super his omnibus rationes temporum continentur. Memoria etenim hominum, et quod transmittitur per manus, sensim elabitur, et vix unius hominis ævum exsuperat.

quod autem libris bene mandatum est, perpetuo manet, nec labefactari facile poteſt. Nec modo ea quae vel facta ſunt, vel dicta, efficit, ſed et ſermonis, quoque notat, et cogitatus hominū effinget. Sed nec parua iactura censeri debet, quod res plurimas nostras, atque facta Coloniae, cognitione dignissima pro magna parte latere nos contigit, quorum notitia propter ſcriptorum defectum periit, ea vero quae habemus, aut anguste videmus perſcripta, aut vetuſtate obliterata, pleraque apud alios diffuſius, quam apud nos annotata. Non mediocriter autem ad Rempub. expedite gerendam, ſcire et clara et tetra praedeceſſorum facinora videtur conducere, ut ſicut remunerabilia bonorum gesta, dum leguntur, recte gradientibus, pieque viventibus, proſunt, ad aedificationem; ita damnabilia pravorum gesta, eorumque poena, errantibus ad correctionem proveniant, totisque viribus, ut ſingula condiscamus, incumbendum, unde nobis et ad ingenij exercitationem, et ad Rempub. legittimam ordinationem, non mediocris acceſſura est utilitas. Decet namque virtuosos viros, prudentium gesta, imo et insensatorum ſaepius ad memoriam revocare, ut bonis exemplis discant dignis operibus insistere, et in malis valeant perditionis evitare. Nisi enim preciosum a vili ſeparamus, stulta concupiscentia temperare ſe non valens, praecipiti curſu mergitur, in voraginem et densitatem tenebrarum. Varia itaque in annalibus et virtutum exempla reperiens, et facta reproba aeque considerans, haec carpere, illa non preterire monebere. Terrebat autem me, cui nec ars, nec natura, dicendi peritiam contulit, onus grande et prolixum, quod in debiles artus tot supremae scientiae ornatissimis viris tranquille silentibus, imponebatur. Terrebat immensa difficilimaque et ardua rei moles, claua Herculis onerosior, in qua labori summo, non ullum praemium, non gratia, sed corruptissimum iudicium, et sinistra interpretatio, essent responsura. Saepeque numero mecum inter secreta otia, tacitus reputabam quē nam vastum, et procellosum aequor, exigua titubantis et fragilis ingenij cymba, consulto me an temerarie essem sulcaturus, quantaque obtrectationi et inuidiae caput apud modernam et posteram aetatem obiecturus. Non enim eos, qui gesta in opere futuro perscribenda, aut me quoque concinne dictasse, aut non integre dictis facta exaequasse, neque onus suscepti muneris impleuisse, actus quoque aliquorum plus iusto extulisse, et pro fictis vera posuisse, quadam aut leuitate, aut maliuolentia, inuidiam calumniaturi sunt, (utinam falso ludar augurio) reor defuturos. Difficilimarum enim rerum una extat, et non elucubrati tantum ingenij, sed affluentissimi pariter et acutissimi, et offensionem, calumniamque in contexenda historia effugere, et omnibus gratum esse; ac apud summos et peritos viros, expectationem, quam in primordio concitamus,

reliqua narratione implevisse, iuxta ac per
asperiora dumeta sine offensione incessisse, novi
enim delicata nostrae aetatis hominum ingenia,
quae nihil probant, nisi quod Tulianam, a qua
longe mihi abesse videor, representent venusta
tem. Novi et invidos, qui suo diffisi ingenio,
caeteros obloquendo, detrahendoque suo institu
to utendo, ac moribus, imprudenter lacessere
contendunt. Nam etsi summo ingenio eruditus
parique fretus scientia forem, et officium scriben
di facile me implere posse crederem, tam ardu
um tamen opus aggredi sine magno et difficul
tatis et pavoris respectu non possem, propter li
vorosam nonnullorum obtrectationem, et invidi
osam calumniam. Quoniam etsi singulae nationes
singularibus et ingeniis, sic et viris abundent,
Polonorum tamen genus, ad invidiam et obtrecta
tionem, plusquam ad caetera, sive id successio
a priscis traducta, sive situs et inclementia
coeli, sive occulta sydérum vis, sive quod genus
et fortunam suam, cum aliorum virtuti exaequari
aestimet, causet, censetur magis proclive, et ingenia
Polonorum, ad invidiae facinus, plusquam ad alia
proniora existimantur. Quo fit ut nonnulli Polo
norum et omnium Sclavorum parentem Cham affir
ment, quod is Noe patris femora irridens, etiam in
suam posteritatem id facinus invexerit. Hanc quoque
unam et praecipuam causam arbitror, quod Polonia

raros et paucissimos rerum suarum habuit scri
ptores, vnoquoque sub iniqua rerum aestimatione
exhorrente scribendi officium, et subducente
se ab obtrectatione et liuore. Alteram, quod
paucis germinibus suis praeclara et solitum atque
vulgarem modum excedentia, et hactenus parū
iusti precij habitura prouenerunt ingenia, Ter
tium, quod pauci trahuntur sapientiae cupidi
tate, doctrinae, aut virtutis, sed honoris, lucri,
aut voluptatis, proinde ijs tantummodo vacant
literis, quae opes aut dignitatis aut quaestum
aliquem polliceantur, eloquentiam et scribendi ar
tem perpauci colunt, et ij tantummodo soli qui
egregia quadam animi indole impulsi, virtutem
terrenis metiuntur praestantiorem, Vt nihil mi
randum sit, caeterarum nationum gesta, factaque
scriptorum ingenijs quam maxime celebrata et
illustrata esse, Polonorum ex contrario, defectu
res amplas et magnificas, ad obliuionem obscu
ritatemque recidisse, gestaque, et virtutes Regum,
Principum, et virorum, atque Ducū facta fortia,
regionum et ciuitatum fortunas literarum lu
mine non patefacta, caliginem sempiternā contra
xisse, et in aeternas quasdam silentij tenebras scri
ptorum penuria praecipitatas, quorum si gratiam me
ruissent, praeconijs eorum celebrati, apud posteros
immortali fama clarescerent. Haec itaque inter
alias me ratio pellexit, commouitque, et tantis

Studijs humanis neglectis, omnes curas, studia, labores, vigiliasq; meas, ad illustranda Heroum nostrorum egregia facinora, deinceps metu omni atq; pudore circumscripto conferrem, et veteribus alienisq; insistere non contentus, proferrem in ulteriora pedem. corpus nova; (candido licet et vivido stylo) conficiendo historia; quatenus Reges et Principes et caeteri qui Rempub. administraturi sunt, virorum fortissimorum imagines, quas scriptores annaliũ reliquerunt, expressas imitati, animum, mentem, et operationes suas, hominum excellentiũ virtutibus, et actionibus conforment. Singula autem rebus Polonicis undecunq; consentientia, et immixta colligens, undiq; et connectens, quae rebus annalibus Polonorum vacabantur quomodolibet conducere, operae pretiũ visum est praescribere et praesenti nostro committere operi. Sirenum os cautus obturata aure transiturus, qui rerũ gestarum, neq; odio, et invidia, neq; assentationi, favori, aut gratia, vellem corrumpere puritatem, in his praesertim quas mihi, ut coram intuerer, contigit. Aetatis siquidem superioris tempora aliorum adminiculis, quae vero in nostram inciderunt aetatem marte ut aiunt nostro, quasdã vero res, quibus vetustas fidem certam abrogaverat, aut illas literarum unica fida rerum gestarum custodia non perhennaverat, ex fama, quae sola durabat, scrupulosius, sinceriusq;

quo potueram digessi, et quae per varias Ecclesias, Apothecas, atque alia loca sparsa erant, curavi colligere, et collecta in praesens opus ordineque deducere. Plura vero quae parum concinna, parum vero incerta fuerant, exagitatura facti aut dicti pudorem, omisi, Res et facta veterum, ut suis non fraudentur praeconiis, ex caligine in lucem extrahimus, non pro magnitudine operis, et virtutis praestantia, quae eruditissimum scriptorem, aut magnum quendam Poetam efflagitant, non pro ingenii fiducia, nec scribendi dicendique peritia, aut aucupanda gloria, sed pro imbecillitate mea, et animi in patriam gratitudinis, et ne temporis mei aetatem, mutam aut inhonoram relinquerem. Ingenue profiteor, magnam vim ingenii, magnum dicendi rhetorem, inesse scriptori annalium oportere, qui inter tot historiarum et casuum acervos, et laudandi aut delaudandi materiam modum teneat, singulariter expediat, et peritis atque imperitis, prudentibus et insipientibus, disertis et indisertis placeat, gratumque se universis ex aequo reddat, et inter difficillima censeatur difficile aliorum sensus, voluntates, et desideria verbis sufficienter induta perscribere. Ex omnibus enim literis, quae ad humanitatis comparata sunt studia, nulla mihi splendidius relucere, atque excellere visa sunt, quam quae rerum gestarum ordinem nobis commemorant. ex illis enim ad recte vivendum imbuimur, et singulares fructus, et egregiam quandam iucunditatem comparamus, studio imitationis accendimur, et a pravis in recta revocamur. Caeterarum siquidem gentium et regnorum gesta commendatione laudibusque constat esse referta, ad quorum expressionem venustandam, ingenua scriptorum certarunt ingenia, Polonorum vero pauca admodum per tot

aetatum

~~Spa~~ aetatum spatia, et hae quidem abscissae commemorata sunt, paucissimique Principes et Reges, caeterique Polonorum Heroes suorum facinorum meruere scriptores, nonnullorum vero fama cum ipsis sepulta et extincta est. Itaque Polonorum res per contrarium Atheniensium quasi similes angustae, tenues, parvae, atque obsolitae, cum forent multo maiores, quoniam scriptis feruntur, scriptorum incuria et segnitie ex claritate magnifica, ad obscuritatem et angustiam pertractae; nec ut decuit, pro iusto atque integro celebratae, adeo ut nec a Vincentio Cracovien. Episcopo suae aetatis scriptore egregio, potuerint praeclaro ingenio extolli. Et quoniam plurima Regum Pontificum, Principum, et caeterorum Poloniae Heroum celeberrima opera, sempiterna oblivione obruta sunt, scribentium penuria, et eorum ipsorum languido, aridoque et parum culto ingenio, a nostra notione abducta, nec aliquid celebre illorum manare potuit ad posteros, et cum ope literarum fulta non fuerint, iuxta ac vapor admodicum comparens deciderunt. Nulla enim tam ingens, tam clara, tam admirabilis, res gesta est quam non vetustas obscuret, et oblivio, nisi literarum splendor et scribentium lumen eam accenderit. Iacentque sepultae atque perpetua oblivione obrutae regum et Imperatorum res gestae, quippe quae raro aetatem hominum excedunt, quas scriptorum industria immortalitati non dicavit, quoniam opera humana caduca sunt, et momentanea, scriptorum vero monumenta sua durabilitate immortalitatis ordinem aemulantur.

Accedit ad haec anxietas amplior, quod cum caeterarum rerum et librorum scriptores, vivis et florentibus personis, opera sua quo altior illis inesset authoritas, dicaverint, decreto et approbatione eorum, robur, defensam, et stabilimentum acceptura

Ego opus praesens meum, Paternitati tuae iam ex mortalium conversatione subtracto et absenti, et iam corpore concreto et mortali exuto, dedico, tuo suffragio et tutela mortali orbandus. Idque eo libentius mea tenuitas aggreditur, quod me ad id, in corpore mortali positus, tua exhortatione, (cuius authoritas etiam post fata, apud me magna est) impellebas, et saeculum nostrum, velut quoddam sydus clarissimum, splendore morum, virtutum atque actionum tuarum, illustrabas, nec ulli alteri quam tibi, vigilias ac labores, vires quoque, qualecunque illud est, mei ingenij, dicandas censui, pro summa prudentia, iustitia, clementia, probitate, humanitate, et in patriam charitate, quam omnium iudicio, magno splendore, magnisque sermonibus, in vita et post cineres vidimus te consecutum. Macte insuper virtute non a me solum sed et ab universis nostri Polonici generis hominibus perpetuo celebrandus eris, cuius et ego aeternum tuorum laborum praeconium literis ad perennitatem mandabo, unde omnis spes atque defensa in solo caelesti praesidio, et in superis, qui nostra regioni et urbibus praesident, reponenda mihi est. Quo pietate agmini caelestis, et beatissimi Stanislai patroni et protomartyris Poloniae, episcopi Cracoviensis, tuaque intercessione, quem divinitate propitia, et operum merito, exutum corpore concreto et mortali, et in caelicolarum numerum translatum, et cum creatore suo, cumque angelicis, ac beatis glorificatorum hominum spiritibus, latum agere et tranquillum aevum reor obtento, nullas invidorum et obtrectatorum calumnias pertimescam, sperans vos erratibus meis quae me humanitus non potuisse hoc opere vitare profiteor, apud clementissimum Deum veniam, simulque recte scribendi iustam et [illegible], atque mentem, in divinum honorem, patriaeque decus et amplitudinem proximorum.

Proximorum vero instructionem et profectum redundantem, facile impetraturos, simulque pudori meo probe consulturos, qui opus proprium et severitatem censorum reformidans, vos in tutissimos patronos, censoresque accipit. Enitar siquidem pro viribus, utinam tantum mihi insit roboris ac nervorum, ne res gestas in maius deprimam vel extollam, et actus humanos plus iusto celebrem, vel sugillem, aut si quid offensum iri veritatem gestarum rerum suspicabor, id quam diligentissime ut declinem, non longius amori, quam veritati, neque quantum scribendo valeam, sed quantum res exiget, progressurus. Ad quae sollicitum me, etiam tua admonitio reddebat instructiorem. Ut nemo existimet, me in facinorum relatione, malignitate, aut odio, in virtutum quoque commendatione, et affectione usum esse, et passione animi tractum, iis gloriam et laudem, caeteris ignominiam tribuisse. Succensere autem mihi iuste nemo poterit, si veritatem Historiae sequens, aliquorum mores, actiones, et facinora detexero, cuius natura et conditio est, secundas iuxta ac adversas res, virtuosas perinde ac vitiosas actiones, sincere perscribere, et posteris transmittere. Incitamenti et cautelae speculum, et exemplar, mordacitatemque scriptorum non ex austeritate mea, sed ex morbo iudicet provenisse, malignum ratus iudicem, qui una et altera virtute enarrata, de vitiis subticeat. Etenim futurum ipse vaticinor, ut Reges Principes caeterique viri Heroici praesenti nostro opere non secus quam speculo, et exemplo ad colendam virtutem, et ad praeclara edenda facinora excitari poterunt et incendi. Ut enim reperiri solent homines virtutibus praeclari et insignes, ita nonnulli sunt vitiosi et detestabiles, quales Catilinam et Clodium Romae extitisse legimus, pluribus vitijs in patriae perniciem depravatos, qualesque et in nostra Ducis Vladislai Poloniae, filij Casimiri Primi Poloniae Regis, qui et instaurator et Monarcha appellatur, Sbigneum naturalem filium, et caeterarum regionum Republica legimus fuisse, sed nec defuturos esse aliquis ambiget sensatus. Si quis autem et sacras et gentiles historias volet percurrere, reperiet profecto in omnibus aetatibus, paucis bonis et virtuti deditis, mixtos fuisse pessimos, et Hos ipsos non solum per opera, sed per avitam et paternam progeniem, nomen, genus, familiam, conditionem, et fortunam, quo ampliore gloriae aut ignominiae inurerentur nota, designatos. Reperiet insuper pro conditione mortali viros optimos rebus adversis oppressos, scelestos vero saepenumero blandis fortunae muneribus in sublime actos fuisse, quae rerum conditio acerba nimium censeri posset, nisi animae e corporibus excedentes, quod et plerique sensere gentiles, in perpetuas transmigrarent sedes, supplicia pro maleficijs, praemia pro virtutibus Habiturae. Si quem vero disertum et pinguiorem Minervam ac eruditam linguam sortitum, incultus, rusticanus, aut prolixior stylus huius operis, nulla suavitate aures mulcens, nec verborum declamatoria subtilitate frondescens, nec vernanti flore scintillans, offendit, cogitet operationes donorum non apud unum consistere, nec uni tributas et applicatas esse, nec me temeritatis arguat, si ex fragili vase meo, lolium et steriles germinantem avenas,

longū et

longum et inconditum ſermonem praeſenti operi minime ſufficiturum protulero, praeſertim cum ſcriptoribus magis illuſtribus et eruditis materiam ſcribendi magis videar praebuiſſe, quam praeripuiſſe, in qua maiori cum laude et dicendi copia poterunt verſari, exquiſitiorem politioremque illam ſuo ingenio ſuaque induſtria reddituri, ut pote qui celeritate ingenij ex paucis norunt multa colligere. Vellem quidem ego eſſe breuiloquus, ſed rei geſtae longa ſeries, ſi paucis deſcripta fuerit, inſipida eſt, nec aliquam legenti, niſi illam ſcrupuloſa deſcriptione diſtinxeris, illuſtraueris, intexeris, praeſtat voluptatem. Succurrit quoque ~~quod~~ nonnullos arbitrari, rem ſilentio abſoluere ſatius eſſe quam tranſcurrere ieiuna et truncata deſcriptione. Sed me quempiam adeo puto ſtolidum, et rerum ignarum, qui ſe aut caeteros, qui pro ſummis ſcriptoribus habiti ſunt, credat ſingula eo pondere, ea dicendi facundia limaſſe, ut nullus illis interuenerit error, aut labes, id enim ſoli reſeruatum nouimus diuinitati, nihil enim vetat credi poſſe, quod tantum poſſibili ſit, ſiue ſit, ſiue aliter accidere potuiſſe, ſed et labi in multis humanae infirmitatis eſt, in omnibus iuxta ac ſi res habeat ſentire, perfectionis diuinae. Nam ſi Demoſthenes ſummus et eloquentiſſimus vir apud Graecos interdum Ciceronis aures offendit, ſi Homerus nonnunquam ſcribatur dormitare, et in opere longo fas eſt obrepere ſomnum, ſi Ciceronem in carmine eloquentia deſeruit, quid putandum est mihi contingere homini mediocri et parum erudito, quem pedestri et quotidiano calle currentem fas non est cum priscis et raris, sed tantummodo cum aetatis meae scriptoribus conferri, neq; magnorum virorum ingenijs sed meis tantũmodo viribus aestimari. Et quanquam opus praesens primarium sibi Oratorem deposcat, et longe scriptorem alium, quam qui ego esse potuerim, dicendi et scribendi peritum, altius quoq; ingenium, et sermonis suppellectilem, maius quam quae mihi convenit, locupletem, sortitum, cui et amplior ubertas sermonis et feracior contigit libertas ingenij, ne eximius sermo eximijs derogasse videatur praeconijs, Ego tamen tarditatem meam quae ex alto dabitur diligentia compensatum iri conabor, et quo minus possum ingenio, eo magis mihi et ignorantiae meae parsum et dilatum iri confido. Verum quemadmodum in priscorũ respectu mutus mihi et elinguis videor, ita in modernorum non balbus, satq; erit priscorum ingenia, quae exprimere siccum me et aridum ingeniolũ prohibet, colere saltem et mirari. Maior fateor extat huius operis amplitudo, quam vel aetate mea perangeri, vel ingenio hebeti possit comprehendi, cum virum deposcat, qui et in oratoria excellat, et multarum artium peritiam teneat, et cui acre, celerrimũ atq; argutum ingeniũ contigisset, Herculeo magis robori quam meo conveniens. Si igitur minus ornate atq; quam quam vel rei assumptae dignitas, vel legentiũ expectatio exiget, opus praesens impleuero, id meae deputetur partim inscitiae, partim rerum magnitudini, quas pertracto, et tribuatur venia iusto errori, qui imperfectus perfectum non poteram texere opus. Non enim tantummodo nostra, sed et priscorum aetas a me describenda, plena est egregijs gestis, plena pulchrorum varietate facinorum, plena est virorum illustrium casibus, et multifariorum exemplorum sarcinis adeo gravida onerosaque, ut rarus tanta dicendi facultate redundet, tam nitido et perspicaci ingenio polleat, qui non aliquando patriae nostrae tam seditiones quam factiones, varias quoque illius transmutationes et exterminia descripturus, non saepe balbutiat, non aliquando arescat. Si qua igitur in re lector offensus fuerit, veniam precor dare velit, vel ignorantiae vel verbositati. Sit quaeso pronior ad indulgentiam quam ad reprehensionem, et hoc a me rogatus observet, ut quod minus bene, minus accurate, aut legitime scriptum adverterit, benigniter emendet. Ego enim ingenue profiteor, et debilius me scripsisse, et debilius dictasse, quam rerum maiestas et pondus requirebat. Ex eo autem praecipue veniam datum iri opinor infantiae meae, quod alijs doctis et eruditis viris silentibus, prior ad scribendum consurrexi, malens aliquid parum culti, parumque concinni, quam nihil scripsisse. Quod si caeteris displicebunt, affectio certe mea et pietas in patriam, non poterunt culpari. Satis insuper erit mihi, dum commendari nequibo, contemptum apud proprios effugisse, et non dicendi peritis, sed a literarum sapore vacuis satisfecisse; quodcunque enim ingenium meum praestare potuit, in praesens opus ad patriae ornamentum contuli. Neque vero quia multa dare non potui, manum ex toto a labore retrahere licitum putavi, unusquisque enim tanti in patriam debitor est, quanti ingenij sui vires valeant excolere, externus putantibus qui illam aliquo munere non extulerit, non adiuuerit. Exigebas enim Reuerendissime Pater iure tuo a me ut illustrandae patriae causa res gestas superiores et praesentis stylo meo literis mandarem, asserens non mediocrem me rei nostrae publicae alaturum profectum, si praesentibus vetera coniungerem, ex utrisque corpus perpetuae historiae confecturus. Ego itaque etsi caeteris historiographis ingenio et studio doctrinae posthabendus sim, nec ulla ratione illis conferendus, iussione tamen tua et authoritate fretus, opus arduum et ingens obedienter aggressus sum, singulis Poloniae Proceribus, Satrapis, Optimatibus, et alumnis, summo solatio et usui illud fore arbitratus, in quibus si quid inconcinnius scriptum offenderint, imperiti, ingenij arrogantiae non deputent, sed primum charitati profundae in patriam, deinde tuae parum consultae, cui calcitrare nefas putaueram, iussioni, amori tuo in me eo officio responsurus.

Vera autem potius quam speciosa, vetustissima nomina accumulans, vera de veris, aut proxima veris, quae ad cautelam, memoriamque et gestorum notitiam expedire videbantur, scripturus, (cum congestorum omnia debeat veritati postponere) nonnulla historijs et annalibus Polonorum parum concinne parumque prudenter et quae fastidium excitent, inserta, fabularum ineptiam redolentia, perosus, poeticis magis figmentis decora, quam sincerae historiarum traditioni consentanea praeterire, repudiareque, ne vas purum et fidele, iuxta quoque vetus prouerbium, operam simul et oleum perditurus, infectum incrustatumque ex modico fermento iri contingat.

quoniam neque vetustiori tempore, neque authorum authoritati ab evidenti figmento, apud verum et historiarum peritos poterant licenter defendi. Caetera vero etsi vera aut veris similia putentur, non tamen ea sic affirmare ausim, ut veri periculum mihi et in meum caput assumam, et dictionis huius assertio ex fide libretur mea, tum quod res vetustate abolitas coniecturis illustrari et opinionibus inquirerent, tum quod et nimia vetustate res scribendae obscurae sunt, et longioris aevi spacio recessu nec an acceptari debeant dignosci ad liquidum possunt, tum quod rarae illis temporibus aut paene nullae apud Polonos fuere literae, una omnium operum atque eventuum humanorum fida indigtra, et si quae in privatis aut publicis fuere monimentis, id crebris, Polonis ea tempestate fere omnes aedes et arces suas ex ligno fabricantibus periere incendiis, quae vero fuerunt diligentiori in nostram aetatem traducta custodia, pauca fuere, et hae ipsa manca et truncata, ex quibus per nos propagari ad liquidum vetustatis memoria non poterat, perdifficile liquidum et laboriosum nimis videtur historiae veritatem complecti ad solidum, cum res gestas possibile non sit universas scribentem vidisse, quas aliorum narratio gratia aut odio acta pervertit saepenumero atque corrumpit, veritas ignorantium non determinat sed involvit. Omnium tamen difficultatum nulla difficilior in rebus gestis perscribendis, quam offensionem, calumniam, et lapsum effugere, et omnibus posse et satisfacere, et placere, rerum

praegestarum

praeſertim, et eorum, qui eas geſſerunt, conſiliorum ignarum, de quibus pluſquam difficile eſt, praeter eventus iudicare, cum etiam ij qui ſpectando adsunt, aliter atq; aliter ſaepenumero, ut fere uſuvenit, referunt. Sed et verba rebus, res temporibus contemperare, et de ſingulis, quae in diſtinctis, et plurimum a ſe porrectis regionibus et aetatibus acciderunt, iuſtum et modeſtum primum, et tandem cultum atq; elaboratum calamo exarare, et in opus deducere, atq; depromere ſermonem, ardui et difficilimi vixq; ferendi laboris operae eſt, hominis ſolidas vires et perſpicax ingenium, tenaciſſimamq; memoriam habentis. cuius ego ne dum conditionem qualificationemq; ſed ne ſimulacrum umbramq; profiteor me ſortitum. Si quis vero ob id me carpendum putet, quod non ſolum Polonorum res geſtas perſcripſerim, ſed etiam Bohemorum, Ungarorum, Ruthenorum, Prutenorum, Saxonū, Lithuanorū, Romanorū, inſuper Pontificum, atq; Imperatorum et Regum a multis ignoratas attigerim, ſciat me conſulto et veritatis facibus cognoſcendae impulſum neceſſitate id egiſſe, quoniam et regiones iſtae, plurima aut foedera aut bella cum Polonis, tum propter conformitatem linguae, tum propter vicinitatem regionum, propinquitatemq; habuere, adeo ut pleraeq; quoq; temporibus unius Principis regerentur imperio. Cum enim Polonicis rebus plura cohaererent externa, non indecorum viſum eſt ea in ſcribendo, non arrogantia (neq; enim vires meas ignoro) ſed ne ignorarentur etiam a noſtris attigiſſe, Unde et ob eam rem cano iam capite ad perdiſcendum literas Ruthenas me ipſum appuleram, Quatenus historia nostra series certior redderetur Romanos quoque Pontifices, aut Reges, eorumque excessus, et tempora, ob multos respectus inseruimus. quod et venustius perficiatque opus, et ratio annorum summorum Pontificum, cardinem praestituat veritati, iucundius cumulatiusque munus legentibus, et iis potissimum viris, qui altius scrupulosiusque in rebus versari soliti sunt, largiemur. Discordia autem scriptorum, plerumque levitate et negligentia offendens, secutus sum in relationibus et rebus ambiguis, quo me vel similitudo rerum, vel scribentium authoritas aut opinio traxit vulgatior,

Ut autem legentibus annalia haec, rerum gestarum firmior credulitas, minorque suspicio occurrat, plures Epistolas et contractus praesenti operi inserui, quo et ex ipsa varietate opus firmitatem contrahat, et studiosos curiososque rerum in lecturam, amoena diverticula provocent, alliciant amplius, et invitent, ratus id plus voluptatis quam molestiae lectoribus allaturum. Opus denique praesens, viris doctis, eruditis, et scriptoribus illustribus, et signanter parenti meae almae Cracovien. Universitati limandum, corrigendum, et emendandum permitto, pro singulari gratia habiturus, si quis errata mea, praetermissa, aut minus prudenter et inconcinne scripta, doctrina sua ventilabro in frugem uberiorem sementis verterit, transtulerit, adiunxerit, correxerit, et imperfectum, torvumque sua incude polierit, ornaverit, ad quod omnes viros doctos, industrios, disertos, dicendique et rerum peritos exhortor, et invito.

quanquam

quicquid enim a me inconcinne, indocte, fide contumeliose, prave, incomposite, et incaute, scriptum est. id pro non scripto et non dicto haberi velim. Gratulaturus, si errata mea quis improbando correxerit. Neque enim meipsum adeo amavi, ut meo latente errore alios errare velim, neminem mortalium adeo peritum ratus existere, per quem plenius, purius, et elucubratius, nullum naevum aut vitium revolvens, posset condi stylus. Veniam a singulis datum iri mihi deposcens, si in hoc opere maiora viribus meis tentaverim, et sermonem inconcinnum quandoque nonnunquam abortivum protulerim, sciens et profitens iuxta sententiam Senecae, neminem esse tam circumspectum et industrium, cuius non diligentia aliquando sibi ipsa excidat, neminem tam maturum, cuius non gravitatem, in aliquem lapsum casus impingat, neminem tam timidum offensarum, qui non in offensas, dum eas vitat incidat. atque sub hoc respectu, illo ante omnia depulso periculo, ne a quoquam sterilis, ~~mens~~ iners, et parum argutus culpetur sermo. Implorato Spiritus Sancti suffragio, confidentius ad iniciandum opus destinatum accedo, sperans clementiam divinam, Hebetudinem et imperfectionem meam suppleturam.

Visum autem est mihi bonum, opus hoc omne in duodecim libros dividere. Continebit autem primus Polonorum genus, et Polonorum ex ijs descendentium originem, et quae apud illos sub gentilibus regibus contigerunt. Secundus, quo tempore Poloni a Dijs gentium ad

fidem

fidei Orthodoxæ leges conversi ſunt, et Regium conſequuti Diadema. Tertius, quo ordine Polonicum Regnum instauratum ſub Cazimiro Monacho, et collapſum ſub Boleſlao ſit. Quartus ſucceſſionem Ducalem Vladiſlai et filij illius trophæa. Quintus variam propter pluralitatem Principum ſciſſuram. Sextus civilium bellorum cladem refert. Septimus ſævam Tartaricam vaſtationem, et viri beatiſſimi Stanislai Canonizationem. Octavus Diadematis Regij reſumptionem, a Przemiſlao maioris Poloniæ Duce innovatam. Nonus Vladiſlai Lokietek bella et triumphos et mutilationem enormem regni Polonici a Bohemis et Cruciferis ſub Cazimiro filio eius attentatam aperit. Decimus et Undecimus exterorum Regum ſucceſſionis. Duodecimus eventus bellorũ, quæ populus Polonicus cum Bohemis, Almanis, Turcis, pro fide, pro recuperanda patria, ſub duobus regibus Vladiſlao et Kazimiro geſſit, monſtrabit.

LIBER PRIMVS

Humanum genus in ipſa ſui creatione et fabrica, in puritate, et in innocentia, in primo noſtro parente Adam conditum. (Quem alterum post ſe præſidem Deus, tantummodo voci ſui plaſmatoris potius, quam ſuaſoris obediſſet, facere diſponebat, quem ad propriam formaverat, effigiaveratque imaginem, ab Angelis paulo minus imminutum, nobiliſſimum inter creaturas, et creaturis ipſis dominaturum pro libito, infundendo illi animam rationalem prava a bonis diſcreturam) dum primum contra praeceptum divinum, pomo ligni vetiti praegustato, a paradisi gaudijs in terram spinis et tribulis obsitam, eiectum est, in sudore vultus et amaritudine doloris panem vesciturum, deinde dum se temporis processu foedis libidinibus coinquinasset, depravassetque, et inulta licentia iustam punitionem exigens, vagum et profundum in terra miseriae oberrans, aquis diluvij (tantum modo octo animabus ~~reservatis~~ ad substituendam originem fidei et operum merita reservatis) divinitus demeritis provocata humanis, deluisset, vehementer propitiante Deo, sedato Cataclysmo germinans, in similem praevaricationem, ~~quam~~ quam sibi Adam et posteritati suae in paradiso contexuerat, antiqui hostis suggerente versutia casurum, pari caeperat in Deum transgressione grassari, et communi deliberatione, communique sumptu et labore, ducentesimo primo anno post diluvium, Nemroth Gigante, filio Chanai auctore et suasore, inter Nubiam et Aegiptum, negatam immortalitatem, vel potius primorum parentum transgressione perditam, arte se recuperaturum iri, et brevissimum vitae spatium, quod Deus indulserat, protelaturum se existimans turrim Babilon in sublime aedificandam coctili latere vero cementi et arenae interstrato, atque interlito bitumine, quod ora illa passim e terra gignit, volens aequiparari altissimo, constituit. Cuius grossitudo fundamenti trecentorum passuum erat et opus erigendum, quod sensim arctabatur, solidius consisteret, quanti altitudine eius et robore, omni favore circumscripto, adversus quoslibet casus beatum et securum de caetero consistere valeret, et tam undarum alluvionem, quam reliqua Dei contra se ferenda prohiberet et arceret edicta, proprio arbitrio, absque subiectione et qualibet lege victurum. Misericordem autem se Deus filijs Adae prout pollicitus fuerat, demonstrans, praesumptae quidem temeritatis et superbiae scelus, aedificantium turrim, irruptione diluviali, quae universa obruerit, absumereque, iuxta facinus quod perpegerat, punire distulit. Nec tamen amplius serperent conatus improbi, unam Hebream, quam universi sonare et intelligere consueverant, linguam, et quae sola tunc in usu erat, ab Adam usque in illa tempora derivata, in duas et septuaginta, superbam mentem, sermonemque construentium, confundens, opusque turris, quod aliquantum creverat, exterminaturus, divisit. Noe sequentem generatio in Chaldea et Damasci Siria, et maiori Armenia sive Assiria, in qua Ninive sita est, sedes suas atque habitacula posuerat. Cetera regiones Asiae, Africae, atque Europae, nulla hominum frequentatione aut populatione culta, feris tantummodo et avibus perviam vastam solitudinem retinebant, donec primordia nostrae originis, superbia confundente unitatem simplicium, linguarum divisio separavit. Ex qua et in moribus, consuetudinibus, animis, gestibus, legibus, iudicijs, caeremonijs, ritibus, diversitas varietasque sequuta est, propter quam odijs magis quam linguis dissidentes, ad quaerendas novas sedes, populandasque novas terras discessere, et filijs quidem Sem in viginti duas linguas diviſis, filijs vero Cham in tres et triginta Africam occupantibus, a filijs Japhet decem et ſeptem linguas ſortitis, Europa universa in hæreditatem ſempiternam accepta eſt. A flumine autem Thanai, quem Poloni ſua lingua Don vocant, Tartari Edil, Europa ſumens principium, ſive Tirrheno, inde Septentrionali et Gaditano Oceano terminatur. Ex Riphæ autem montibus, Thanais oriens, adeo præcipiti fluore ruit, ut cum vicina flumina Meotis et Bosphorus frequenter ſolidantur in glacies, ſolus ex confragoſis montibus evaporans, nunquam Scithico algore indureſcit. Aſia et Europæ, alteram concludens, alteram incitans, famoſus limes, fretum Gaditanum, in finibus Galatiæ, a gadibus Herculis, nuncupationem ſumit. Oceanum Septentrionale, quod versus Septentrionem, aliquando Sarmaticum nominatur mare, quod in littoribus ſuis Sarmatæ, ſive Poloni, regiones et urbes poſſidebant ex quibus ſunt illæ duæ magis inſignes, Lubick quæ Polonice Bukhowiecz vocitatur, et Gdansch a Polonis populata, plurimas inſulas in ſe tenens, ſcilicet Schansiam, Fresiam, Scociam, et Ibernia, et alias minores regiones citra Tirrhenum, cum inſulis, quæ Tirrheni littore includuntur, videlicet Maiorica, Minorica, Enica frumentaria, Corsica, Sardinia, Sicilia, Mitiline, Venetijs, Creta, donec ad Meothym paludem pervenitur. Bizantium inſuper, ſive Constantinopolitana urbs ſita eſt in Europa. Hos itaque omnes terminos, et usq; ad Hadiram, quae cum Pella includit Decapolim, Septem filij Japhet, videlicet, Gomer, Magog, Madan, Janan, Tubal, Mosog et Tiras, alias Torias, in cognominatis omnibus linguis et familijs suis possederunt. Porro tres filij Gomor, primus Ascenez, a quo Sarmathae, seu Sauromathae, quos Graeci Reginos vocant, ex quibus processerunt Calabri, Siculi, Apuli, et Latini qui Latium habitant. Secundus Raphat, a quo Phlagones, Paphlagonia contigua Galatiae) qui in Italiam transeuntes, Heneti vocati sunt, a quibus Veneti, Ligures, et Aemilij processerunt, Tertius Togorin, a quo Phryges, qui terram suam Phrygiam appellarunt. Quatuor filij Janan quorum primus Elisa, a quo Graeci, qui Aeolides dicuntur, Secundus Tarsis, a quo Cilices, qui Ciliciam habitarunt, quorum metropolis Tharsus, tertius Cethon, a quo Cethij siue Cyprij, et secundum hoc Cyprus filijs Japhets non filijs Sem prouenit, quorum ciuitas Citium dicitur, Quartus Dodanin a quo Rhodij, quorum Rhodus ciuitas dicitur, De Gomer, filio Japhet Galatae, qui Latine Gallograeci dicuntur, olim enim Senones Galli, quamdam partem Graeciae inuadentes, a Gallis et Graecis Galatiam appellarunt, De Madan Medi a quibus Media nomen sumpsit, De Janan, Iones qui et Graeci, a quibus Ionium mare, ex quibus Graeci, qui Troiam et fines eius habitauerant processerunt, qua destructa Priamus et Antenor Venetias nauigio peruenerut, ex quibus

Antenore mortuo et Padua tumulato, Priamus cum comitibus Germaniam occupauit, et ab ipſo et Germano Antenore Germania fuit dicta, quae nunc a Theutate, qui eſt Mercurius, Teutonia vocatur, à Latinis autem Lemania dicitur, a Lemano fluuio, quae has continet regiones. Lotharingiam, ſiue Brabantiam, Veſtfaliam, Friſiam, Thuringiam, Saxoniam, Sueuiam, Bauariam, Franconiam, et inde Gallias irrumpentes, a fractione patriae, et eorum ferocitate Francia fuit dicta. Simili quoq; nauigio Troiā Briton adueniens, eam quae nunc Anglia dicitur, a ſuo nomine Britanniā nominauit a qua etiam olim Siluarica nunc citra mare minor Britannia nominatur. De Moſog filio Japhet Capadoces, quorum Metropolis Maza quam Tiberius Caeſar a ſuo nomine Caeſaream appellauit. Tyras a quo Thraces quaſi Tiraces et a nomine patris ſui terram a ſe populatam Thraciam vocauerunt. Sextus filius Japhet Tubal, a quo Iberes, qui et Hiſpani, proceſſerunt, qui primo Cetubales ſunt vocati, quaſi Cetus Tubal, et attendentes ſtellam, quae ibi poſt occubitum occultatur, occaſum eius veſperum, ſtellam Heſperum, et patriam a ſtella nomine Heſperiam vocauerunt, Pagis autem et villis circa fluuium qui nunc Iberus dicitur conſtructis, qui prius Cetubales ab Ibero tandem fluuio, corrupto vocabulo Celtiberos ſe vocauerunt, et regionem a ſe poſſeſſam, quae Oceano et Tirrheno, Ibero, et Pirenaeis montibus terminatur, Celtiberiam appellarunt, quae poſtea ab Hiſpani, in ea dominantes Hiſpania denominationem accepit. Septimus filius Japhet Magog, a quo Scitha qui et Maſſagetha

appellantur, Gothi, Sueui, Alani, Hunni, Hi sunt
filij Japhet, filij Noe, filij Lamech, Primus autem
homo de genere Japhet venit ad Europam, Alanus
nomine, cum tribus filijs suis, quorum nomina sunt hac,
Isition, Arminon, Negno. Isition autem habuit
quatuor filios, quorum nomina sunt hac, Francus,
Romanus, Alemannus, et Britto, a quo primo Britan
nia dicta est, et habita. Secundus autem filius
Alani Arminon, habuit quinque filios, hi sunt Gothus,
Walgothus, Cebidus, Burgundus, Longobardus. Ter
tius filius Alani scilicet Negno, habuit quatuor
filios, quorum nomina sunt hac, Vandalus, a quo
Vandali dicti sunt, qui nunc Poloni dicuntur, qui
ex nomine suo fluuium qui nunc Visla alias Vi
stula vulgariter nuncupatur, Vandalum voluit
appellari. Secundus filius Negnonis, Targus, Ter
cius Saxo, Quartus Bogorus. Sic igitur ab
Isitione primogenito Alani, orti sunt Franci, Ro
mani, et caeteri Latini, et Alemani. A Secundo
filio Alani orti sunt Gotti et Longobardi. A Ne
gnone autem tercio filio, gentes diuersae sunt, per
totam Europam, videlicet tota Russia, usque ad Ori
entem, Polonia maxima terrarum, Pomerania, Cassu
bia, Suetia, Sarma, quae nunc Saxonia dicitur, et
Norwegia, a filio Negnonis tertio, qui Saxo voca
batur. Bohemia, et Moravia, Stiria, Carinthia, Car
niola, quae nunc Dalmatia dicitur, Lizna, Croacia,
Seruia, Pannonia, Bulgaria, Clissa. Itaque natus
filiorum Japhet, omnium Slauorum parens, egressus
de campo Sennar transijt a Chaldea Graeciaque, cir
ca Ponticum mare, et ad fluuium Istrum, quem

nunc Danubium vocitamus, (qui Germaniae iugis ortus, monte qui Rauracos vocatur effusus, omnem Europam emetitur, sumpto ex Celtis initio, quadraginta amnes fere omnes nauigabiles in se recipiens, latum spatium itinere terreno conficiens, in Euxinum mare, quod vulgatiori vocabulo Pontus appellatur, ab Euxino fluuio, qui in eum influit, ut quibusdam placet, denominatum, cum antea vocaretur Axenum, septem ostijs Pontum influit. quorum quatuor adeo granda sunt, ut per sexaginta millia passuum non misceantur aequori, suauisq; haustus amaritudine freti natiuum et incorruptum saporem retinens, in tam prolixo cursu non vitiantur) cum filijs, cognationibus, et familijs suis insedit. Ac primū Panoniam, primam et veterem Sclauorum sedem, parentem et alumnam, quae nunc Vngaria, Longobardis Slauos inde pellentibus, deinde Hunnis de ea cedentibus, sortita est vocabulum. Inde Bulgariam siue Misiam, Dalmatiam, Seruiam, Caruatiam, Bosnā, Rasciam, Carinthiam, et Illiricum, caeterosq; illarum orarum, et Adriatici, Ionij, Aegeiq; maris tractus et insulas, successioni nepotum populauit. Graecis ab oriente et meridie, Latinis et Italis, et Teutonibus ab occidente, confinans. In quo et felicitas generis Slauonici quod tam optimas terras sortitum fuit, notari potest, nulla enim terra orbis, praeter Indiam, quam ea a Slauis primum possessa, aurum, argentum, sal, aes, ferrum, cuprum, et caetera metalla, quae mortales prima ducunt, feratius noscuntur producere, et eiusdem amplior in Deum praeuaricatio, quod illud eijciendum ob scelera determinis. Hunnis, Turcis, et alijs nationibus tam dives et opulentum solum possidendum concessit, furoris sui magnitudinem in eo potissimum ostendens, quod et barbaram rabiem in Slauos saeuire, et ex sedibus originarijs migrare illos permiserit. Maxima siquidem et grandia generi Slauorum diuina propitiatio domina contulerat, perpetuo apud nationem ipsam mansura, si illius legitimam legem atque iussa scrupulosiori cura seruauissent. Sed legem Dei multiplici enormitate extrissimum praeuaricantibus omnia erepta, atque in alias gentes et nationes inuecta sunt. Prouincias autem quas Danubius a Barbarico ad Mediterraneum mare secludit, prima est Mesia, seu Messia, a messium prouentu vocata, vnde et eam veteres Cereris horreum nuncupabant, haec a modernis Bulgaria appellatur, ab Euro Tracia; a meridie Macedonia, ab occasu Istria iuncta.

Pannoniorum regnis et propriorum et aduenarum habitatione coalescentibus, vrbibusque nonnullis et colonijs crebris, in illis constructis, primum discordiarum et odiorum fomes, deinde apertarum guerrarum et cladium fragor, inter Iaphet nepotes, pro terminis terrarum, coloniarum, et vrbium, subortus, ciuili et fraterno sanguine aliquoties praelijs commissis terram foedauit. In eam etenim summam, numerumque creuerant, ut eis regna quae possederant, angusta viderentur. Duo itaque filij Iani nepotis Iaphet, Lachs, et Cezechs, quibus Dalmatia Seruiam, Slauonia, Caruatia, et Bosna contigerant, et praesentium et futurarum collisionum discrimina et pericula vitatur.

turi, pari et concordi voto et deliberatione, originario solo relicto, novas sedes quaerendas populandasque decreverunt, Et caeteris quidem fratribus, in Pannonijs remanentibus, ipsi cum omnibus colonijs, familijsque et substantijs, quae ditionis eorum erant, ex Slavonia, Servia, Carvacia, et Bosna, et ex castro Psarij, in altissima rupe, quod fluvius Hun, Slavoniam, Carvaciamque disterminans, abluit, sito, cuius et in hodiernum, nonnullae aspiciuntur priscam magnificentiam testantis ruinae, et cuius vetustam nuncupationem villagium Psarij, sub arcis loco situm, circa dum retinet, in quo Principum praefatorum Lech et Czech, familiarior, peculiariorque habitandi, et illic iura subditis reddendi, usus esse consueverat, egressi, vicinas et proximas terras, versus Occidentem (sciebat enim orientem caeteris nationibus refertum esse) petierunt. Oram autem, quam Moravia, Egra, Albia, et Multava abluunt, perambulantes, glebam eius animadvertentes fecundam, et aquis pascuisque irriguam, nihil tamen, praeter vastam solitudinem, habentem, culti soli, iunior natu Czech, eam sibi a germano Lech natu maiore, multifarijs precibus obtinuit, in perpetuam et haereditariam possessionem sortemque relinqui. Cum enim longo tempore in locis illis, et signanter in monte, qui lingua eorum Rzip vocatur, inter Albiam, Multavam, et Egram posito, stativa communia habuissent, soli fecunditas, et caelestis aurae temperies, valliumque et montium crebri sinus, adeo Czech alterum Principem, suasque colonias et familias ceperat, devinxeratque, ut caeteris neglectis et abdicatis, hanc sibi sedem et posteritati sufficere, arbitrarentur. Fratre autem altero Principe Lech, precibus suis condescendente, duas sedes ponit, duasque urbes condit, unam ad ripas Multavae fluminis

minis

fluminis, quam Pragam sui linguarij intitularunt vocabulo. Alteram ad fluenta fluuij Morauae et Sare Vwelegrad nominarunt. In colonias quoque terra distributa, plures vicos et rura construxit, terraque uniuersa ab eo cognomen sortita, etiam in praesens Czesska vocatur, sicut Latina lingua, quae Slauonicum nomen proportionaliter sonare non potuit, quod Slaui Deum, lingua eorum Boch vocitent, eam Bohemiam appellet. Ea quoque pars terrae, quam Morauia fluuius circumfluit, a nemoribus et sylvis plerasque planities virides, et graminosas mvritas in se habentibus, aliam appellationem videlicet Morauia usurpauerit. Bohemia longitudinem latitudinemque parem asseritur habere, in coronae rotunditatem formata. Sylua uniuersam ambit, quam veteres Hercyniam vocauere, a Graecis et Latinis scriptoribus nominata, amnibus et riga irrigua. Inter quos Alba seu Labija ex montibus, qui Bohemiam, Morauiamque disterminant oriens, mediam prouinciam perlabitur, qui Polonia siue Sarmatia Europea et Germania limitem facit, item Multaua, insigniores censentur. Multaua autem circa Metropolim Pragam occurrit medius ponte lapideo quatuordecim fornices habente, commissus. Brunnam vero fluuius Ruda interfluit

LECHus itaque fratri iuniori Czech valedicens, cum colonijs, familijs, sarcinisque suis, et omni substantia ab eo digressus, superatis montibus et saltibus qui nomine vetusto Hercinij vocantur, Poloniam et Bohemiam ambientibus regionem latissimam syluis, nemoribus, et borris vastam, solitudinibus, et desertis, et quibusdam perpetuis pene indaginibus septam, pluribus fluminibus, torrentibus, et aquis irriguam, glebam quidem bonam habentem, sed cuius faecunditas, nisi stercore alatur, diuturna consistere non possit, gelibus tamen et frigore rigentem, extra septimum et ultimum clima sitam, reperiens, in ea consedit, eamque sibi et suae posteritati haereditandam et possidendam primus cepit. Animantia quippe, sed et germinantia omnia faciliusque ac tolerabilius ad summum frigoris, quam ad summum caloris accedunt, quapropter Europae regio, quamvis hyemali constricta rigore cultior est et amplior situ, et populis, quam Africa solis ardore torrida, quae et natura sui plus habet spatij, et coeli clementia, incolarumque providentia, frigus a se per ignes et focos arcentium, minus deserti. Regio Polonica, faecunda frugibus, amaena fructibus, deliciosa piscibus, lauta lacticinijs, clamosa venationibus, copiosa armentis, et gregibus, dulcis mellibus, commoda equis, referta alitibus, dives ferro et plumbo, gloriosa cera, crassa butyro, isto, in plerisque locis abscisa magis quam exarata, cultura respondit faecunditas, nemorosa regio, et ideo dives pecoris, et abundans lactis, herbifera, in plerisque locis agrum atque arvum solum, et natura sterile; nemorosum tamen et arboribus varij generis consitum, et pro alvearibus apum, aut pascendo pecori, nec usquequaque ociosum. Vini et olei propter Aquilonarem rigorem indiga, cervisia pro vino utitur, quae ex avena tritici, hordei, aut siliginis fit. Ager in plerisque locis crassus, in alijs vero arenosus, sylvigerus, incultus, et infaecundus. Salis vero adeo gravida, ut salis in illa magis extrahant quam decoquant, rigida nivibus, et lubrica glacie, aura et ventorum flatibus salubris. Terrae motus, quem aliae regiones frequenter usque ad ruinam et interitionem civitatum

et vicorum

et aerorum, et Scissuram Alpium pariuntur, sed et alluvionum, nisi pro raro, et quasi prodigioso tempore prorsus ignara. Frumenta omnibus generis, in annos plures, et tempora, absque omni laesione conservas, quae apud vicinam et finitimam regionem Pannoniam si anni unius spatium excesserint, in vermes et muscas evadunt. Habet et sulphureos montes, parum tamen feraces, et aluminosos, sed balnea naturalia non novit. Magistratus et officia publica apud Polonos non annua sunt, sed ad vitam durantia, quamquidem illorum observantiam, minime consultam satis probare crediderim. Annuis enim vicibus mutare magistratus Praesidum, et Officialium, salus communis est, et quasi quaedam Reipublicae munus, in qua et Principis existimationem, quo obedientius et venerabilius illi pareatur, si mutare potis est, terribilis efficitur, aut contemptibilior redditur, si ei mutationis facultas praecipitur, videmus evidentissime in Ligam, dum nec insolens ob insolentiam sequestramus, diutius cum per nec aliorum manere permittitur, et alius moderatior, illi succedens, parem destitutionem veretur. Ab Aquilone Poloniae Septentrionalis pars est Slavonia, quae habet ab Oriente Russiam, ab Austro Ungariam, a Subsolano Moraviam et Bohemiam, ab occidente Daciam et Saxoniam, collaterales. Terminatur autem Polonorum regio ad Aquilonem, a Sarmatis qui et Getha vocantur, in Daciam et Saxoniam, a Thracia autem per Ungariam, sive verius Pannoniam, sive descendendo per Carinthiam in Bavariam. Ad austrum vero iuxta mare mediterraneum ab Epiro devinando, per Dalmatiam, Carvatiam, et Istriam, finibus maris Adriatici definitur, ubi Venetiae et Aquileia consistunt, sequestratur

Septem praecipuis fluminibus, quae amnes quandoque, quod loca a se irrigata, et circa quae defluunt, amaena efficiunt, nuncupamus, quae regionem ipsam circumfluunt, partim ex montibus cadentia, partim ex occultis cavernis terrae erumpentia, et in Oceanum pluribus alijs fluminibus, in eadem regione consurgentibus, aucta et inflata decurrunt, nomina lingua sua Slavonica dedit. Vni quidem Wisla, quem authores et historiographi antiqui Vistulum dicunt, nonnulli vero Vandalum, a Vandalo filio Negno primogenito Alani filij Japheth, filij Noe, plerique a Polonorum Regina Vanda, quae ob victoriam de Germanis relatam Dijs se devovens, in illum se dedit praecipitem. A nationibus quoque Orientalibus Polonis vicinis, ab aquae candore, alba aqua, esto, idem fluvius sit denominationem quadruplicem sortitus, rectius tamen Wisla nominatur, quasi pendens, fons enim eius prope oppidum Skoczow supra villam Vustronye, in terra Teschinensi de supercilio montis, qui vulgo dicitur Skalka, ex summo alpium Sarmaticarum cacumine, magno undarum et fragoso strepitu excurrens, antequam in subiectum recubat solum, pendenti magis, quam fluenti similis aestimatur, per Cracoviensem civitatem, singulare totius Poloniae decus, medius, iam aliquibus susceptis fluminibus validior effectus decurrit, apud Polonos celeberrimus, maiorem enim Poloniae Regni irrigat regionem, qui et ipse inter Polonicales amnis principatum facile sortitus, longius enim, quam caetera, terrestre conficiens spacium, ab occidente in orientem aliquantulum progressus, tandem in Septentrionem flectit iter frequentioribus etiam fluminibus, quae in illum exonerantur, quorum aliqua magis vulgata annotabimus, auctus, in tria ostia se scindens, quorum primum apud civitatem Gdanzk, alterum apud villam Thefft, quod Hab id est magnus lacus vocatur, tertium apud oppidum Elbyng, quod Nogath vocatur, in Oceanum Sarmaticum grandis devolvitur, albo fluore, et gustu salubris. Pisces Salmones, et Esoces, qui raris tantummodo et nobilibus contingunt amnibus, gignit, plurima autem flumina, ab Occidente, Austro, et Septentrione excipiens, a sui nominis denominatione non declinat. Alter Odra quasi spolians, eo quod praecipiti cursu suo, spolia nemoribus et campis inferre consuevit, qui et ipse a scriptoribus Latinis Guttalus inscribitur, cuius fons prope oppidum Odri, ostijs quatuor infunditur in magnam paludem, quorum primum apud villam Swinia quod in Polonico vulgari significat ~~scrofa~~ scropha, secundum apud villam Dziwno, quod in Polonicali idiomate sonat mirabile, tertium apud villam Pyana, quod in Polonica lingua sonat spuma, quartum apud oppidum Wolgosts, evolvens autem se de lacu, stricto alveo, in Oceanum, prope oppidum Strabmits illabitur Oceano seu Sarmatico mari. Tertio Wartha, quod significat scrutinium, non enim uno eodemque alveo contentus, sed in plures divisus, et distractus, loca vicina, quasi quaedam scrutinia, per aquas diffusas, inducit. Cuius fons in terra Cracouiensi in vico ignobili Cromolow, qui circa castrum Santhok, flumini Motbesz mixtus, et ipsius vocabulum, appellatione propria amissa, sortitus, flumen Odra, circa oppidum Costrzin ingreditur. Quarto Dniester, cuius fons in Sarmaticis montibus prope castrum Sobyen in terra Premislien, ostia in mari maius, inferius, nigrum et album castra. Quinto Bug, cuius fons in palude in superiori parte castri, et oppidi Oleszko in villa Kdesow, ostium in flumine Narew, prope oppidum Sirocziez, et inferius Drohiczyn. Sexto Niemyer cuius fons ex ſyluis et paludibus oppidi Rosyolow longo ſpacio terrarum confecto, in duos alueos prope caſtrum et oppidum Pruſſiae Ragnete ſcinditur, et priori ac vetuſto nomine deinceps amiſſo, fluuius vnius alvei verſus Liuoniam decurrens, cognominatur Rosza, alter qui Pruſſiam ſpectans, Lilia appellatur, tandem diuerſo meatu vterque prope caſtrum Memel, in lacum magnum ex Oceano deriuatum, ſe infundit. qui adeo recurruis, indirectis, et ſinuoſis circumagitur fluoribus, vt qui in illo nauigant, integro die nauigatione exacta, ignem a foco heſternae diei ex propinquitate loci, propter alvei circulationem, frequenter ſumant. Septimo Dnieper, ſeu Latine Deinus appellatur, cuius fons in finibus Mozhiwe ex ſyluis Vuyaſſnya, ostia in lacu prope oppidum Daſſow, lacus vero vtroque flumine inflatus, Oceano ſe miſcet. Minora etiam flumina, quorum a praefatis ſeptem fluminibus praecipui abſorbentur, nomina ſubmittam. Primus autem fluuius Poloniae ſiue Lechiae Viſla, his augetur fluuijs, quorum etſi aliqui commixtione aliorum fluminum nomen amittant, digni tamen viſi ſunt, qui huic operi inſererentur. Primo Byala, qui et prope fontem Viſtulae ex Sarmaticis montibus oriens, ostium habet circa villam Zebrarze, Item, Sola, cuius fons in Sarmaticis montibus, ostium prope oppidum Osswienczim. Item Skawa, cuius fons in Sarmaticis montibus, ostium circa villam Szmolicze. Item Rabba cuius fons in Sarmaticis montibus, ostium circa oppidum Vſzczie. Hunc aliqui ſcripſerunt ex inundatione ingenti, quae ante annos ducentos contigerat, (quod ego ridiculum reor) ortum eſſe.

ortum esse. Item Dunayecz niger et albus, cuius utriusque fons in Alpibus altissimis Vngariae, quorum nivalis semper vertex, qui Thatry vulgo appellatur, ostia circa oppidum Opatowiecz. Item Lososzina, cuius fons prope oppidum Thimbark, ostia in Dunawecz prope oppidum Czchow. Item Vschew, cuius fons prope villam Lanky, ostium e regione villa Przemankow. Item Poprod, cuius fons ex monte Sannonico Thatry prope Huczowna et Filka villas, qui longo itinere in Vngaria confecto, per Sarmaticos montes alveo derivato Dunawczowi inter veterem et novam Sandecz miscetur. Item alter Byala, cuius fons in montibus Sarmaticis prope villam Gabaltsow, ostia in Dunawecz prope villam Byala. Item Wuyssloka cuius fons in Sarmaticis montibus, ostium circa villam Sdahow. Item Brzeznicza cuius fons circa oppidum Wielepole, ostia in Wisloham circa villam Hanzirz. Item Wyslok cuius fons in montibus Sarmaticis, ostia in flumium Saan, circa villam Tinicza. Item Mleczka cuius fons in sylva prope oppidum Brozow, ostia circa Gniewczino villam. Item Saan cuius fons in montibus Sarmaticis ex monte qui dicitur Byeshed et planicie vocata Huszha polomna. Item Rogoszing maior et minor, uterque ex alpibus quas appellamus Thatry ortus, uterque se in flumium Dunayecz una cum fluvio Lypyetnicza qui apud montem Obidowa oritur circa villam Ludzimyrz exonerat. Item Vwyar cuius fons in montibus Sarmaticis ex monte Tribuch, ostium in flumine Saan, circa villam Orzech. Haec autem flumina omnia ex parte meridionalis plagae et in eadem orta, in

flumium

fluuium Wisla aut per se aut cum alijs fluminibus illabuntur. Pauciores plaga Orientalis non contemnendos tamen mittit. Primus Wisnicza cuius fons circa villam Strosza, ostium circa villam Rybythwy. Item Rycierzew, cuius fons circa villam Borzanczin, ostiu in flumine Wyeprz, circa villam Szyiestrzewythowa Item Bystrzycza, cuius fons circa villam Krzczonow, ostia in flumine Wyeprz, circa villam Blinow, Item Por, cuius fons prope villam Zawyeprzicze, ostium in flumine Wyeprz circa villam Xawosz. Item Wyeprz in terra Belsensi cuius fons ex lacu Wyeprzowo iezioro prope villam Rogozno et Kathanye ostium circa oppidum Stbyzicza. Item Roppa cuius fons circa Byecz oppidum ex montibus Sarmaticis, ostia inferius oppidum Jasszyel, in Wyssloka. Item Zassel cuius fons in montibus Sarmaticis circa villam Lyczowno, ostium in Wislocam prope castrum Golesth, Item Lyaba cuius fons ex monte prope villam Chrzanow, et ostium in flumine Tanew, duobus milliaribus a Crzeslow in borra. Item Tanew ex paludibus prope villam Dzyhow, et ostium in flumine Szan, inter Kopky et Krzieschow. Item Brnew, cuius fons in villa Brnew, ostium in San in villa Brenwicza. Item Byala cuius fons circa villam Godziesthowa, ostium in Brnew, circa venationes Turobinen, Item Szanna cuius fons ex mirica prope villam Wyrthowysko, ostium circa castrum Zawichost Item Sopoth, cuius fons ex lacu Golpitsche, ostium in Tanew, circa villam Lulcowa Item Zolkew cuius fons in villa Zolkew, ostium in Wyeprz circa Krasnysthaw, Item Wolicza cuius fons circa villa Szystow

oſtium in Wyeprz, inter villam Leturzow et Drwo
rzyska. Item Wyeprzecz cuius fons in villa Wye
przecz, oſtia in Wyeprzecz circa villam Nyelysz,
Item Chodel cuius fons circa villam, oſtia cir
ca villam Dobre. Item Tyſmunicza cuius fons
ex ſylua Goſzdnicza prope Parczow, oſtia in
Wyeprz prope villam Gorham
A SEPTENTRIONE autem flumina
in Viſlam cadentia haec ſunt, Narew. cuius fons
ex paludibus prope oppidum Slonym, oſtia circa No
wydwor in Mazouia, atque hic fluuius oſtiendinus
vndas Wiſlae mixtus per longum ſpatium, natiuū
non deperdit colorem, eo vel maxime memorabilis, quod
venenata illum non ſuſtinent, ſed quamprimum naui
gantis aquas eius attigerint, ſinguli ſerpentes, qui
ſe lignorum ſtruibus per multa ſpacia aſportati ab
diderant, ſibilo edito, quasi fatalem ſibi diffugiunt,
vasaque nauigantia deſtituunt, quae res non exteros
ſolum, ſed et indigenas ſui admiratione percellit,
Item Piſz cuius fons ex lacu circa villam et ca
ſtrum Pyſz. oſtia in flumine Narew circa oppidum
Nowygrod. Item Lidinya cuius fons circa oppidū
~~Nowemyaſto~~ Czechonow, oſtia in Wkra penes oppidū
Nowemiaſto. Item Swyder, cuius fons ex ſyluis
Czysk, et Minsk, oſtia in villa Gabye e regione
ciuitatis Varſouienſis. Item Orzicz cuius fons
ex ſyluis et paludibus prope oppidum Nydbork. oſtia
in flumine Narew, circa Magnuſzewo villam, infe
rius Roszan. Item Plona cuius fons prope oppidum
Plonsko, oſtia in flumine Wkra, circa villam Santoczino
Item Wkra cuius fons circa oppidum Dzolkow, oſtia

in flumine Narew supra villam Nowydwor. Item Strawa cuius fons circa oppidum Byelsko, ostium circa civitatem Plotzsko. Item Drwancza cuius fons in villa Drwancza, ostium circa castrum Slothoria. Item Ossa dividens Polonorum terras a Prutenicis cuius fons ex lacu prope Radzin oppidum, ostium non longe ab oppido et castro Grudziancz, gadibus Boleslai Chabri Polonorum primi Regis, quas per ferream columnam in illo locaverat, insignis. Item Byebrza cuius fons in paludibus et sylvis oppidi Thykoczin, ostium in Narew circa oppidum Gonyadz. Item Omolew cuius fons ex paludibus circa castrum Sczytno, ostium circa oppidum Ostralgka. Item Renya ex sylvis Szulew, ostia in Narew, circa oppidum Sinczecz. Item Liwna cuius fons ex lacu Geszrzycz (et sic solus ex fluviis Prussiae Vislam ingreditur) ostium inferius oppidum Qwydzin.

AB OCCIDENTE vero fluvius Visla his irrigatur fluminibus. Primo utroque Przemscha, albo et nigro, albi fons in Borra oppidi Ogrodzyniecz, nigri in sylvis Trzizemuch prope villam Kolytsko, ostia utriusque: albus enim miscetur nigro circa villam Kopcziowicze, e regione oppidi Osswyecim. Item Smwrdzacza cuius fons in sylvis Zalusze prope Thynczin, ostium prope villam Smwrdzacza. Item Rudawa, cuius fons in villa Gyrzmanowicze, ostium in Cracoviensi civitate. Item Pradnick, cuius fontes in villa Sulosthowa, ostium infra civitatem Cracoviensem. Item Dlubnya cuius fons circa villam Jangroth, ostium circa villam et monasterium Mogila

Item Srzenyawa cuius fons in villa Wirschowsko, ostium circa oppidum Cossycze. Duo autem fluuij praedicti soli, quos immediate deſcripſimus, videlicet Dlubnia et Srzenyawa, (quod nullis amnibus in Polonia ſuppetit) ſolis feruore aut hyemali constrictione non diminuuntur, in alueis, et aequo retinentes tenore vndas, ſoli de ſiccitate et frigoris immenſitate non queruntur, ſoli ſuper nos imbres et caelistes pluuias non requirunt. et naturali fecunditate diuites, in fonte, aestus, et pruinae intemperiem non horreſcunt.

Item Brynnicza cuius fons in villa Sanckh terrae Seuerienſis, ostia in nigram Przemscha circa villam Pogonya. Item Nydzicza, cuius fons in villa Tandowicze, ostia circa villam ſeu locū Lawy, terram Cracouien̄ a Sandomirien̄ diuidens. Item Nida, cuius fons in villa Moskorzow consurgens per aliquale ſpatium ſe condens ſubterraneū agit gurgitem, et tandem in borea villae Dzierszkow Praepoſiturae Crac. emergit, ostia ab vtraque parte oppidi et castri nouae ciuitatis prope villam Grotkniki. Sit in aliquot locis, paucis tamen Gneſnensē Diaceſim a Cracouien̄ diuidit. Item Schodnya cuius fontes in villa Mlyny et Slyodkow, ostia in flumine Czarna, prope oppidum Polanyecz. Item Koprzywnicza, cuius fons circa oppidum Lagow, ostia circa villas Skotniki et Krsczyn, Item Lukawa, cuius fons circa villam Bukowyany, ostia circa villam Slupcza, Item Kamyona, cuius fons in ſylua Nagy prope villam Odrowasz, ostia circa villam Pawlowicze. Item Crampa, cuius fons ex paludibus villae Rzechow, ostia circa oppidum Solecz. Item Morawicza cuius fons ex ſylvis Cyczelow, villae Wloszczowicze, ostia in Nidam, in parte dextra inter Szyrniki et Brzegi. Item Bobrza cuius fons ex monte Bobrzycza prope villam Zagnansko, ostia in Nidam in parte laeva inter Szyrniki et Brzegi, qui et ipse in aliquibus locis inter Cracoviensem et Gnesnensem dioecesim habetur pro limite. Item Isslsch, cuius fons in ſylvis villarum Byeskow et Sdobyow, ostia in flumine Chodcza, prope villam Ossurkow, Item Chodcza, cuius fons circa villam Pyhoslaw, ostia prope villam Janowicze. Item Radomirza, qui Cracoviensis et Gnesnensis Dioecesium limitem facit, cuius fons ex ſylvis villæ Bambnow, ostia prope oppidum Ryczywol. Item Pyscza, cuius fons prope castrū Pylcza, a quo castrum, ſub quo oritur, et civitas quam praeterfluit, denominantur, terram Sendomiriensem a Siradiensi in aliquibus locis discriminans, ostia circa villam Ostrowy. Item Drzewicza cuius fons in ſylvis villae Parusska, ostium in Pilczam, circa villam Drzyerasczna. Item Pylcicza, cuius fontes ex villis Crassoczyn et Ludynia, ostia in Pilczam circa villam Czmiesthy. Item Luczescha, cuius fons prope oppidum Kospirza, circa villam Blissyn, ostia in Pilczam, in villa Barkowicze. Item Wolborza, cuius fons in ſylvis oppidi Thussczyn, ostia in Pilczam prope villa Zawady Item Moschennicza, cuius fons circa villam Strozkye, ostia in Wolborza, inferius oppidum Wolborz Item Bschura cuius fons in villā Lagyewniki prope oppidum Zgerz, ostia prope oppidum Wyschogrod,

circa villā

circa villam Kamion. Item Rawa cuius ortus ex sylua villae Lesczyny, ostia in Bzurawy, supra villam Kozlaw. Item Jesziora cuius fons in villa Ossuchow, ostia circa oppidum Czirsko. Item Zgowiatha, cuius fons ex lacubus villarum Caminiecz, Chalino, et Osle, ostia circa ciuitatem Wladislauien. Item Wda cuius fons ex lacu et villa Garcz, ostia circa castrum et oppid. Swiecie. Item Wierzyscha, cuius fons ex lacubus villarum Cosczierzino et Garcz, ostia circa oppid. Gnew, in parte superiori. Item Motslawa, cuius fons circa castrum Grabino ex palude circa villam Gotslanth, ostia circa ciuitatem Gdanski. Item Radunya, cuius fons ex lacu et palude Grabia, ostia ab altera parte ciuitatis Gdanski. Item Brda fluuius Pomeraniae, cuius fons ex lacu Crampsko, in cuius utero exortus, in alterum lacum amplum dictum Lutkomie ingreditur, ex quo se inuoluens subintrat lacum amplissimum Charzykowy ubi quasi uictor se extrahens, aliquali spacio terra confecto, proprio alueo decurrens in Vislam apud oppidum Fordan terrae Cuiauiae exoneratur. Item Mtsawa cuius fons ex lacu Mtsawsko, exoneratur autem in Vislam prope oppidum Nowe. Item Camiona alius a priori, cuius fons ex lacu Sluchow, ostia in Brdam circa villam Dzedno, supra monasterium Coronow, quod veteri nomine appellabatur Biscowia, et hec terram maioris Poloniae et Craiunwsy a terra Pomeraniae dirimit. Item in terra Pomeraniae villa Sobkow in Wladawa ex lacu Lyeba, egreditur fluvius Lyeba, denominationem nominis a lacu trahens, cuius ostia in mari circa villam Czyethnyow in bonis Epiſcopatus Wladiſlaviensis.

SECUNDUS POLONORUM FLUVIUS ODRA, qui et Gutalus, infraſcriptos accipit fluvios, primo Olszam, qui in Sarmaticis montibus habet fontem circa oppidum Jablonkow, ostia circa oppidum Oderberg Item Oszobloga, cuius fons ex Sarmaticis Alpibus, in ſylvis dictis Czunkmanthel, ostia circa oppidum Chraplowicze Item Nyſſam, cuius fons circa oppid. Warzkow et villam Wartha, ostia circa oppidum Surgosth. Item Walpanew cuius fons circa villam Czimkow, ostia circa monasterium ſanctimonialium Praemonstraten. ordinis Czarnowasz. Item Olawa, cuius fons circa villam Wyskowa ſupra oppidum Grotkow, ostia circa civitatem Wratiſlaviensem. Item Nyſſam alteram a priori cuius fons prope oppidum Luben, ostia circa villam Wyliszyn. Item Nyſſam tertiam cuius fons prope oppidum Szythawam, circa villam Schochow, ostia circa villam Szydla, quod a duobus ſuperioribus aliud est. Item Morawicza cuius fons prope oppidum Olbrachcicze, ostia circa Numiczka Ostrava oppidum. Item Bobr, cuius fons prope oppidum Herzberh, ex montibus, ostia circa oppidum Croſſna, Item Stobrawa cuius fons in borris et ſylvis oppidi Olieschno, ostia circa villam Holno. Item Clodnicza, cuius fons ſupra, ſecus oppidum Gliwycze, decurrit, ostia circa oppidum Coszlye. Item Widawa cuius fons in ſylvis villae Stradomia, ostia prope civitatem Wratiſlaviensem circa villam Banowicze. Item

Orawicza

Opawicza cuius fons circa oppidum Bruntal, ostia circa villam Trzebowicza. Item Ostrawicza cuius fons circa oppidum Frydlanth, ostia circa oppidum Ostrawa niemieczka. Item Psyna, cuius fons ex paludibus supra oppidum Baworow, ostia circa villam Thworkow. Item Obra, qui in sylvis supra maius Kossmin habet ortum in villa Obra, et ostia circa villam Gliczyn. Item Barycz, cuius fons ex sylva inter Monasterium Olobog et oppidum Ostrzeszow, ostia superius maiorem Glogoviam, circa villam Wielikye, et hec dividit Gnesnensem Diocesim a Wratislaviensi. Item Kaczbach, cuius fons circa oppidum Koffun, ostia prope oppidum Parchowicze. Item Qwyssa cuius fons circa monasterium Obing, ostia prope Monasterium Lubens. Item Plyssk, cuius fons ex paludibus prope oppidum Drolzen et circa oppidum Swiewicza, ostia circa villam Gabli. Item Sprewa cuius fons ex Alpibus, circa villam   ostia inter monasterium nova cella et Francofordiam. Item Kotbsz cuius fons circa oppidum Kotbusz lacum amplissimum Coplo irrigat, et fluvio Wartha circa Santok permixtus, Odram circa oppidum Costrzin ingreditur. Item Orlya cuius fons ex sylvis oppidi Kossmin prope villam Orla, ostia in Barycz, inter villas Belharzow, et Bohoslaw. Item Ruda fluvius, cuius ortus in villa Woszkszyczka ex torrente Szczebnik, et fluit circa villam Palowicze, et oppida Zary et Ribnik et monasterium Ruda, ostia in Odram secus oppidum Koszlye supra villam Dzirgowicz. Item Roczawa qui dividit Episcopatum Cracoviensem a Wratislaviensi cuius ostia in Odram inferius oppidum Roszlye, ortus vero ante oppidum Bytoni ex torrente Hliczbom et inferius villam Szosnicze ingreditur fluvium Hlodnicza, et commixti intrant Odram ante Kosslu.

TERCIUS POLONORŪ FLUVIUS WARTHA,

a quo et oppidum Wartha nomen accepit, infrascriptos amnes in se recipit, Primo Istwartham, cuius fons circa villam Borunow, ostia in villa Wanssosche, Item Widawam cuius fontes circa villam Hoddrab, ostia in Grabia circa villam Lodogorzicze. Item Nyr qui Lanciciensem terram a Siradiensi distinguit, cuius fons in sylvis villarum Wyslutsno et Wyaczenie, in loco qui dicitur Smierdzacza woda, Ostia circa Chelm villam Archiepiscopalem. inferius duobus milliaribus oppidi Vniecow. Item Prossna cuius fons ex palude prope oppidum Byczina consistenti, ostia circa villam Lyssow. Item Ruda cuius fons circa civitatem Wielun, ostia circa villam Moniaczowicze, Item Globog cuius fons in villa Lgotha, ostia in Prossnam circa molendinum Radzieszow. Item Grabia cuius fons ex sylvis villae Sczuczwin prope oppidum Nussin, ostia circa villam Ostrolionye. Item Nyrzecz, cuius fons in sylvis villae Capituli Cracoviensis Czyssenin, ostia in loco, qui Rowki appellatur, in Nyr circa villam capitularum Laskowicze, Item Czybina cuius fons ex lacubus oppidi Pobiedziska, ostia in civitate Posnaniensi post Ecclesiam Cathedralem. Item Glowna cuius fons ex sylvis villae Gurmielno, ostia inferius villam Zawady de prope civitatem Posnaniensem

sem. Item Pakliycza, cuius fons supra Lubenow, ostia circa oppidum Miedzirzecz. Item Obra, alia a priori, cuius fons ex syluis villa Ozyrchowicza, ostia circa oppidum Sqwirzyna, sum fluuium Odra fluuius exuperans aliquamdo irrigat per ante oppidum Item Lutsinia cuius fons circa villam Lgotka, ostia inferius inter villas Ligow et Dambno. Item Wurticza, qui etiam dicitur Przemsla, cuius fons ex syluis villa Borzanowicze; ostia inferius villam Kątky Item Goslenicza cuius fons ex lacu Goplo, ostia circa villam Morzyslawam. Item Coprzywnicza cuius fons circa villam Dradowicze prope Thurek oppidum, ostia circa molendinum Pramodzin. Item Wrzesnia, cuius fons ex monte villa Mnichow praepositi Gnesnen., ostia circa villam Pyetrzykow, et sic fluuius Gnesnensem diocesim a Posnaniensi diuidit. Item Gwieczysczowka diuidens terras maioris Poloniae a Cuiauiensi, cuius fons ex monte prope villam Xuwschastowo, ostia in Notecz circa oppidum Pakosc. Item Biala cuius fons ex syluis villa Zbursko, ostia circa villam Kopayno. Item Welna, cuius fons ex riuo villa Iankowo, plures lacus, videlicet Rogowski, Skursko, Torawski, Lawicze ingreditur, ex quibus se euoluens per medium oppidorum, et monasterium Wagrowiecz, Ianow, Mlyn, maiorem Poloniam a Kalisii diuidit, decurrens, ostia infra castrum et oppidum Obornicki in Vartham. Item Notecz cuius fons circa oppidum Notecz lacum amplissimum Goplo irrigat et exinde se emergens, defluit iuxta oppida Pakosc, et Labiszyn, ostia circa antiquum castrum Santok

Item Groda, cuius fons ex lacubus Stetinien, ostia in Xothesz in superiori parte oppidi Vsztiw. Item Dobrzycza cuius fons ex lacubus Noblyny, et ostia in Grodam circa Otkorzytky. Item Crampnicza cuius fons ex lacubus Cramisko, ostia in Grodam, infra Slezemynbrod. Item Drwa cuius fons ex lacu magno Drowsko inter Draim et Falkenberg, ostia in Xothesz inter Czarkow, et Lemberg.

QVARTVS Polonicalium et Ruthenicalium regionum FLVVIVS DNIESTR, qui in Tartarico Turlo, Latine vel Graece Terssanus, alias Tyras appellatur, cuius fons prope castrum Sobyen ex monte Byeszczad et ex loco qui appellatur Dambrownicza, propter singularem quercum illic stantem, ex cuius etiam radicibus, duo fluuij quos praediximus, Dniestr videlicet, et San, in Polonicales terras, tertius Ticia, qui Cissa, in Pannonicas franguntur, circa album castrum exoneratur in Euxinum mare, notabilibus fluuijs etiam ex Walachia regione, quae et ipsa Polonorum regno subiecta est, et a meridie orienteque fluentibus foecundatus. Primo flumine Stryg. cuius fons in montibus Sarmaticis prope villam Wysoczko, ostia circa Zydaczow oppidum. Item Thysmienicza cuius fons in montibus Sarmaticis circa Pohorcze, ostia circa oppidum Czeszybiesy. Item Pruth cuius fons in montibus Sarmaticis, ostia in Sereth inferius oppidum Thehinicze. Item Bassa, cuius fons ex lacu circa villam Stepsanowicze, ostia in Pruth circa villam Pietzova. Item Sereth, cuius fons in palude prope Olessko castrum, in villa Zarkow, ostia in Danubium infery Tharkowyscze

Item Sbrucz cuius fons in palude vocata hussmyn prope Oleschko, ostia circa Krziwol castrum Item Smotrecz cuius fons ex montibus Sberaskie, civitatem situ et petra admirabilem Kamyenyecz suis undis cingens, ostia circa villam Uscze dictam Item Lippa cuius fons ex paludibus Oleszko, prope villam Czermossna, ostia inferius Halicz, circa villam Baranow. Item Sczeklo cuius fons ex mericis Dobrostani, ostia in Wyszessycza, ex sylua dicta Zelazne nogi ostia in Wyssznam circa Lowczicze villam Item Dzissza cuius fons circa Drochun oppidum, ostia prope Jassky targ in Pruth alias Philistinorum forum. Item Moldavia cuius fons ex montibus Sarmaticis ex monte Hyrleba, ostia in Sereth prope Romanow targ Item Sozzawa cuius fons ex Alpibus Sarmaticis, et ex monte alto qui vocatur Iwedo supra villam Dzikowe, ostia in Pruth circa oppidum Czarnowcze. Item alius Sereth ex montibus Sereth, ostia in Pruth in Valachia in villa Item Strippa cuius fons ex palude et lacu circa villam Zubowcze circa Kamyenyecz, ostia circa villam Chmielowa, Item Bloszwa cuius fons ex palude Pelstyn circa villam Bloszwie, ostia circa villam Dolobow

QVINTVS Polonialium et Ruthenialium regionum fluvius BVG, fluore fluentis atro, Ruthenis omnibus abominabilis est, nam ad fluenta eius a Polonis, et primo a Rege eorum magno Boleslao

vires eorū

viris eorum vniuersa afflicta sunt, vti et vrbs eorum atq; Metropolis Kyow in eam vsq; diem ostendit, vestigia cladis et conquassationis) Irrigatur fluminibus, Primus Muchawiecz cuius fons ex sylua et palude Iarowiscze prope oppidum Czurow, ostia circa castrum et oppidum Brzescze, Alter Belz cuius fons in borca villae Przeworsk, ostia circa villam Hluschow, Item Huczew, cuius fons in sylua Grodek villae Podborcze, ostia in villa Grodek vbi olim antiquitus castrum Wolhyn, a quo vniuersa terra Wolhynska appellabatur, quae nunc Chelmensis et Lucensis nominatur. Item Ratka cuius fons in superiori parte villae Wyrzchratka, ostia prope villam Schudlicz Item Swinya cuius fons circa villam Drewna, ostia in Ratka inferius villae Dworcze. Item Woltzwin cuius fons in paludibus villae Potkuschin, ostia prope villam Pozdzimyrz. Item Poltew, cuius fons in villa Zuboza non longe post Leopolim, ostia circa oppidum Busko. Item Nur, cuius fons ex sylua oppidi Bielsko, ostia circa villam Zaszkow. Item Lyw cuius fons ex sylua Lukow oppidi, ostia circa Mazouiae Kamunietz. Item Castrzyn cuius fons ex sylua Dambrowka, ostia in Lyw circa villam Polykowo. Item Blotknya cuius fons ex paludibus quae vocantur Beranowo blotko, ostia circa oppidum Sokalye. Item Drewnya cuius fons in palude circa villam Dworcze, ostia circa idem oppidum Sokalye. Item Wlodawa fluuius in palude villae Szosnowicze prope oppidum

Chelm in terra Chelmensi exortus, terram praefatam Chelmensem a terra Brzestensi disterminat, et frequenti influentia aquarum auctus, fluvium Bug prope villam Szosno illabitur.

SEXTUS Polonicalium et Ruthenicalium Regnorum FLUVIUS NIEMIEN, qui a Latinis Curnucius inscribitur, varijs ut supra diximus in curvatus fluxibus, hos accipit amnes. Primus Merecz, cuius fons circa villam Gruzdowo, ostia circa oppidum Merecz. Item Wilia cuius fons circa villam Hamun, ostia circa oppidum Kowno. Item Wyslucz cuius fons circa oppidum Mosilno, ostia circa curiam et villam Dubno. Item Swyetha ex Samogitia, cuius fons prope Wolhomiriam, in villa Romygola, ostia circa Marienwerder, et hic dividit Lithuaniam et Samogitiam. Item Niewiasza cuius fons circa oppidum Kyeidany, ostia infra oppidum Kowno et circa villam Wylkya. Item Wilna cuius fons circa villam Lawarzyszki, ostia in Viliam, infra civitatem Wilno. Item Merechi cuius fons circa oppidum Hrozosy, ostia prope Soczawam oppidum in Niemny prope Kowno. Item Merecz cuius fons prope villam Solecznik, ostia in Niemen iuxta oppidum Merecz. Item Bereszyna cuius fons circa villam Swiatham, ostia in Viliam circa oppidum Nyewmezani. Item Kothra cuius fons e lacubus Kersthany, ostia circa villam Mierzniki

SEPTIMUS Polonicalium et Ruthenicalium regnorum fluuius Dniepr vocatus a Latinis Drinus, alias Borysthenes circa Kyow vrbem Metropolim Russiae currens, Hos autem fluuios habet occidentes in se, qui Tartarice vocatur Zrzesze. Primo Przypiecz cuius fons non longe a castro Lubomlia in villa Holowno. ostia inferius castrum Czarnobile, circa villam Poohost. Item Styr cuius fons in palude supra Olessko, in villa Ieszonow, ostia in fluuium Przypiecz non longe a Pinsko. Item maior Slucz cuius fons circa villam Chowwicze, ostia in fluuium Przypiecz inferius oppidum Turow, Item minor Slucz cuius fons circa oppidum et castrum Cosnim, ostia in fluuium Przypiecz circa Grodich Item Czetrzew cuius fons circa castrum et oppidum Czudnow, ostia in fluuium Przypiecz circa villam Municzkowicze Item Slunew cuius fons ex paludibus villae Szetsiggow, ostia in Stir inferius Luczko, infra ciuitatem. Item Rosz, cuius fons ex paludibus prope Smolniany oppidum, ostia circa castrum et oppidum Orsza in Dniepr. Item Iaszolda cuius fons circa Hopilow oppidum, ostia in Przypiecz infra oppidum Pinsko. Item Brzessina cuius fons ex paludibus et desertis Russiae maioris prope oppidum Poloczko, ostia in Dniepr, prope oppidum appelatum Bobrugisko. Hic fluuius Bresina Lithuaniam a terris Russiae diuidit. Dwina amnis fluit secus ciuitates Russiae insignes, Poloczko, et Witepsko. Item ab alia castri parte Witepsko fluit Witsba satis insignis fluuius

post Istulam

post Istulæ fluminis ostium, Cronis, Rubonis, Tur
ynney, hierszyny. fluuiorum ostia in Oceanum.
Item Swyslocz cuius fons circa villam Poroschow,
in superiori parti; ostia in Berezinam circa oppi
dum Borzyschow, Item Swyna, cuius fons ex la
cu Wloszha, ostia in mare prope Rugam. Item Po
lotha, a quo ciuitas et regio Polocensis, cuius fons
prope castrum Hrewa, ostia in fluuium Dwina,
iuxta castrum Poloczko Item Bos cuius fons
ex superiori parte Syluæ Oleszko, ostia in Dnieper,
circa castrum et oppidum Daschow, Item Wyzew
cuius fons in villa Nowoszedlcze, ostia infimus
castrum Ratno in Przypiecz, Item Luta cuius
fons circa villam Crimna, ostia in Wyschew non
longe a Ratna Item Berszyna cuius fons circa
oppidum Vborcz ostia circa oppidum Strzesno. Item
Brzesnicza fluuius terram Lucensem distinguens
a Lithuanis, et illic est verus limes Regni Poloniæ.
Item Orsza cuius fons . . . ostia in Dnieper,
circa . . . . . Item Bobr cuius ortus

ostia in Dnieper circa

Item Borzyschow cuius fons circa
ostia Item Orinia cuius ortus cir
ca oppidum Dambrowicza, ostia in fluuiu Styr,
Notandum est autem quod omnes fere Poloniæ a
mnis, videlicet Vistula, Guttalus, Vartha, Bug,
Dnieper, et Dniester, tument et subruunt suorum
alueorum ripas, multasque arbores cum magna par
te soli, frequenter etiam et viros absorbent, solus Niemen

tam profundatum et ad instar caldaris rotundatum habet alveum, et silenter decurrens neque nemoribus neque campis nocens, suis cohercitus ripis fluat. Omnia insuper flumina Poloniae praedicta et lacus moliuntur et insulas, nonnunquam quoque veteribus alveis destitutis, novos alveos, novas quoque insulas, novos insuper lacus, quasi quandam aluuionem efficiunt, pleraque etiam in veteres reflectuntur.

Vniuersam itaque regionem quam septem fluvij praedicti et ceteri omnes qui in eos decurrunt, et dilabuntur, ab eorum ortu usque in pelagum Oceani Lech Lechitarum seu Polonorum parens et princeps complexus, eam sui iuris fecit, et in illa per se et suos nepotes frequentibus populis habitat, et propitia divinitate habitabit. Ab Oriente quidem nulli nisi Graecis et mari Leonino, lacuque quod per sylvas et nemora ducentorum et amplius milliarium spacia, et plura flumina ipsi etiam principali conditori tunc ignota habentia pro ea tempestate cundum erat, vicinus. Quae quidem regio Orientalis ab uno nepotum Lech qui Russ vocabatur, post plures aetates inhabitata et populata, Russiae nomen accipiens, in latissimas ditissimasque provincias, regiones, et urbes, quas in praesentiarum cernimus, Sebellionum, mardurum, et aliarum nobilium pellium de animalibus, quae vicinae solitudines producunt, numerositate opulentas, successione temporum est dominata, quarum incolae ipsarum pellium delicatarum decora nigredine, licet tenuem et inopem habeant convictum, ditissime vestiuntur, a meridie Alpes quae Pannoniam perpetuis iugis determinant,

et usque

et usqꝫ in mare Leoninum porriguntur, et in multa spacia porrecta, magnam longitudinem et latitudinem conferunt, Polonorum tamen Principum per longas aetates et successiones regebatur et parebat imperio, ad quod nonnullorum priscorum scriptorum euidens potest testimonium adduci. Lutheolanus enim historicus et veterum gestorum scrupulosus indagator scribit, quod anno Marciani Imperatoris tertio, qui circa annum incarnationis domini quadringentesimū quinquagesimū octauum imperavit, surrexit in Polonia Princeps, qui Bulgaris, Mesiamqꝫ imperabat, volens etiam in Pannonia dominari, quem Ungari varijs muneribus allectum explorata illius diminuta potentia improuisum aggressi, cum tota militia peremerunt. Ab occidente Germaniam, quam a Polonorum provincijs Labya fluuius, alias alba, intersecat, a Septentrione mare Oceanum, Daciam, Suetiam, et Noruegiam, et ultima terrarū, ipsi etiam incolis tunc inaccessibilia, freto superiecto ostendens. Fluuius autem Wysla, qui tribus ostijs mari Oceano illabitur, et in Orientis partem parum flexus, quadraginta et amplius flumina in se recipiens, plures nobiles et insignes quam residuas nactus est urbes, licet enim Odra cuius aqua Occidentem petunt, Ratiboriam, Bregā Wratislauiam, et Francfordiam. Wartha vero fluuius, qui medius inter eos decurrit, Siradiam, Pysdri, Posnaniā, Vniscie, Liyoniam famosas urbes habeant. Wysla tamen inter Polonica flumina facile praecipuus amnis amplioribus nobilitatur locis, unde licet Cracovien., Sendomirien., Wladislavien., Varsovien., Ploczen., Thorunen., Culmen., Grudzenczen., Swecen., Gnewen., Marssomen. et Gedanen., ligna quercina, et taxina, cineres, fraxios, telam, picem, simplicem et therebintinam ceram, crudumque mel, plumbum, ferrum, et frumentum, pluresque alias res, quibus portus Anglicani et Flandrien. perstrepunt, ex regionibus Polonorum ~~mari~~ mari Oceano alveo suo subministrans. Meminisse hoc loco par est quod tribus Pontificalibus Basilicis Wysla fluvius inclitus sit, cum in quolibet ex residuis amnibus una tantummodo numeretur. Ea autem quae de Wysla seu Vistula, qui et Vandalus, et de Odra, qui Guttalus, fluminibus narravimus, Solino teste defenduntur, ita enim Germaniae principium describere orsus inquit Mons Cerauo Euno ipse ingens ac Ripheis minor collibus initium Germaniae facit, iuga Lomis tenent, a quibus primis post Scythas nomen Germanicum consurgit, dives hominum terra, frequens populis numerosis, atque immanibus, inter Herquinum saltum et rupes Sarmatarum, ubi incipit Danubium, ubi desinit Renum perfundere ex internis eius partibus Alba, Guttalus, Visla, amnes latissimi praecipitantur, in Oceanum. Quamvis autem a primo Principe et conditore Lech, regio Lechia et gentes eius Lechitae appellatae sint, quia tamen in plerisque locis camporum planicies ad serendum apta, recenti cultorum diligentia, et industria, in brevi tempore excisione nemorum aucta, et in similem planiciem redacta, specierum naturalium quasi camporum praebuerunt, Lechitae, et ij praesertim qui in campestribus habitabant, et a caeteris cognatis et familijs, qui syluas insederant, et a vicinis gentibus in circum habitantibus, Polanie id est campestres tam frequenti usu et appellatione vocitati sunt, ut veteri nomine abolito, tam gens quam regio, generali iam et usitato vocabulo Polonia etiam a scriptoribus aliquibus nominetur. Vicinae tamen nationes et praesertim Ruthenorum, quae in suis annalibus de stirpe principis Lech ortas se esse gloriantur, Polonos et eorum regnum Lechitas appellant. In hunc diem apud Slavos quoque, Bulgaros, Carvatos, et Hunnos, eadem adhuc manet appellatio, licet et in plerisque locis a nonnullis authoribus intitulentur, scribantur, a fluvio Vandalo, qui idem quod Visla est, quod ipsius quoque fluminis principalitatem signat, Vandalitae, a veteribus autem scriptoribus et Historiographis, Sarmatia Europaea appellatur, et tam Rutheni quam Poloni Sarmatae nominantur, utrumque vero iustum et verum, quod Polonis et Ruthenis indicat antiquitas vocabuli, unde et Alpes, quibus conterminatae quoque Poloniam et Russiam a Pannonijs determinant, Sarmaticae ubilibet scriptorum inscribuntur. Scythas plerique nonnulli Germanes parum iusto vocavere cognomine, quod omnis ea regio, quae inter Thanaim et Albam et Vistula posita est, Scithia nominatur a scriptoribus, quam cum processu temporis Poloni et Rutheni populandam introissent, Scythae et ipsi a nonnullis vocati sunt; et quoniam Vistulus Scithiae et Germaniae terminos confinens, in Polonorum meditullio decurrit, et a sui fonte sive ab ortu usq; ad occasum nulla gens alia quam Polonica illum incolit, atq; populatur, Poloni Germani vocitantur. Asserere nonnulli conantur Russ non Lechonis nepotem sed Germanum extitisse, et secum una atq; Czech fratre tertio ex Carvatia egressum amplissima Russorum regna, quorum Kiyovia caput et Metropolis est, et quae Dniestr, Dniepr, Niemen, Pruth, Slucz, Stir, Szbrucz, Smotricz, Szereth, amplissimis irrigantur amnibus populasse, et terminos suos ultra Nowogrod auro argento et pellibus ditissimam et notissimam, inter paludes et stagna sitam, Russiae civitatem ad fines prope terrae dilatasse. Quae scriptorum de origine Ruthenorum varietas, plus obnubilat eorum originem, quam declarat. Ab eo quoq; Russone primo Russiae populator Odonacer Ruthenus stirpem ducens, et progeniem, cum Ruthenorum copiis sub anno nativitatis Christi quingentesimo nono, sub Leone Papa primo, et Leone primo Imperatore, Italiam adveniens, capta Ticzino, et ferro atq; igne destructa, Orestem captum capite damnans, et Augustulum qui imperium occupare praesumpserat, effugans, Romanam urbem victor cum suis ingressus, totius Italiae regnum, nullo inquietare audente, possedit. Quod cum per annos quatuordecim in summa pace et ocio gubernasset, Theodoricus Gothorum Rex per Bulgariam et Panoniam in Italiam magna fatiga pertingens, dum non longe ab Aquilegia in pascuis vberrimis se et copias suas referret, Odonacer cum totius Italiae viribus ipsum illic inuadens, a Theodrico et Gotthis contritus est, qui cum paucis refugiens Romam, a populo ingredi vetitus, Rauennam se recepit, quem triennali obsidione Rauennae maceratum, et deditionem facere coactum Theodricus cepit et necauit, et regnum Italiae a Ruthenis ereptum in se, Gotthosque transtulit

Fluuiorum Polonicalium descriptione expedita, vtcunque pro qualitate laboris assumpti, poterant a me, tam vbi oriantur, et emergant, quam vbi exonerantur, et occidunt, describi; ad describendum lacus famosos, qui in Poloniae regione et prouincijs sibi subiectis consistunt, animum inflexi; qui et ipsi vel flumina generant, vel ex fluminibus gignuntur, aut quod plerisque locis contingit, per flumina fecunditatem consequuntur et incrementa, esto, cernamus plures lacus absque incremento aut sorbere ingentia flumina, aut tanquam hospites iuxta suscipere ac emittere. Appellantur autem lacus, aquarum grandis congeries ex occultis terrae meatibus in vnum defluens, atque consistens locum, multa comoda mortalibus subministrans, Et quamuis nonnulli lacum a stagno plurimum asserant, differre, et parum concinne putent, stagnum lacum, et lacum stagnum, (quemadmodum dictiones ipsas pro vno et eodem significato scriptorum solet committere authoritas) nuncupari; cum lacus viuas in se vndas habeant, vliginosas stagna putres et olidas, et tetrum odorem spirantes, nos tamen, quoniam ita fert communis Polonorum et Ruthenorum loquutio, qui nulla facta distinctione uno utuntur pro altero, lacum a stagno non sequestrabimus. Non est autem animus mihi, omnium Poloniae lacuum et caeterarum orarum regno subiectarum Poloniae, nomina et situs describere, esset enim ingentis et difficilis laboris opus, quoniam cum regio Polonica et terrae sibi subiectae, situm habeant bassum, et Oceano Sarmatico pro maiori parte confrontatum, frequentibus et pene innumerabilibus lacubus referta sit, illustriores stagna et magis famosos satis erit attigisse. Et quoniam lacus Goplo adeo universali Polonorum consensu grandis et famosus est, ut rem aliquam grandem Poloni significaturi ex lacus praedicti magnitudine per nomen Goplo distimant, sic et nos pro sui merito, et pro nominis appellatione, inter lacus Polonicos principatum tribuimus

GOPLO in provincia maioris Poloniae lacus amplissimus et Polonis celeberrimus est, piscium multitudine adeo faecundus, ut in vicina quaque capti in eo pisces, quadrigis delati, sufficientiam, vel potius abundantiam mortalibus subministrant. Hic apud Oppidum fontis sui nominis Nothesz ex fontibus scaturientibus exortus, iamque illic ubi exoritur continuo grandis, et profundus, tam longo latoque tractu diffusus, ut maris speciem visentibus repraesentet, nam unum milliare in latum, quinque in longum protenditur, et demum circa castrum Szarlen, non mediocrem de se emittit fluvium qui Nothes appellatur, ex suo utero profluentem et ge

minatum

neratum, piscium genera in illo gustatu et specie quam in alijs lacubus præstantiora.

CZARTHORIA lacus prope castrum et oppidum nouae ciuitatis Korczyn et ex fertilitate piscium, et ex conditore suo Casimiro secundo Polonorum Rege insignis, qui duorum fluuiorum Vistulae et Nidae alueis aliorsum per industriam deductis, lacum perpetuum et satis protensum qui ab utroque fluuio tam undis quam piscibus faecundaretur, constituit

SWIECZECHOW lacus prope villam episcopalem Cracouiensem Swieczechow, a quo et denominationem accepit, conseptus, fontes perhennes in utero suo ebullientes habet, lacui perhennitatem conferentes, esto quod etiam nonnunquam a Wisla flumine non longe decurrenti, irrigationem accipiat

SLESSINO lacus oppido sui nominis imminens ex monte Srewlchi ortus quatuor milliaria polonica in longum, quartale milliaris in latitudine continet, et fluuium Goplenicza ex se circa villam Zapa parturiens, fluuio Varta apud villagium Morzyslaw miscetur

POWIDZ lacus ingens, oppidum sui nominis Powydz irrigans, tria milliaria in longum, unum milliare in latum continet

BAY lacus supra oppidum Dolsko plures lacus ex se in quamlibet partem gignens

LIEDNICZA lacus amplissimus maioris Poloniae cuius initium supra villam Drzonek plures lacus minores ex se emittens

BLANDNO lacus amplissimus maioris Polonie, qui amplitudinem lacus Goplo asseritur superare, oppido Zbassyn imminens, piscibus uberrimus, quem fluvius Obra apud oppidum Koszin ortus, a principio usq ad finem irrigat. Insulas plures numero cingit

NIESAMYSL lacus magnus maioris Polonia non longe a fluvio Wartha qui et oppido, a quo sumit exordium dedit nomen, qui usq ad oppidum Klusczna detinetur. odiosus Cruciferis de Prussia, qui ad illius littora per Marsalcum Polonie in villa Polwiecza conflicti sunt

WONIESKA lacus magnus maioris Polonie cuius initium penes oppidum Osiezno, et finis usq ad villam Kurza gora protenditur et illeo fluvio Obra includitur

LOMINICZE lacus ingens maioris Polonie circa oppidum Brenno sumentes initium, et apud Monasterium Przemyntz terminatur

LIEDNICZA lacus magnus maioris Polonie penes oppidum Pobiedziska situs, insulam non mediocrem in sui habens corpore, in qua Gnesnensis Ecclesia Metropolitana primum a vetustis memoratur magis quam scribitur, quod et murorum testantur ruinae et reliquiae fundata fuisse et processu temporis propter difficultatem accessus Gnesnam translata, duo milliaria et amplius in longum confert. Item Pczow maioris Polo nie lacus magnus, qui et oppido ad ripas suas residenti nomen dedit. Item Lubstowo maio ris Poloniae lacus magnus, circa villagium sui nominis consistens, quem fluvius Kopliwicza irrigat, ad duo milliaria in longum protensus, latitudine vero coarctatur. Item Tulang lacus maioris Poloniae villa ex se denominata, unum milliare in longum conficiens, circa oppidum Pakosc terminum sumens, fluvio ex oppido Kambicze decurrente rigatur. Item lacus Gulen circa civitatem Gnesnen. consistens magis civitati Gnesnensi quam suo situ insignis. Item Dobrawsko lacus ingens maioris Poloniae continens in ambitu suo septem milliaria Germanica, piscibus fecundus a Drawa fluvio qui illum rigat cognomen sortitus, qui et arci insigni sibi imminenti Drasim nomen dedit. Item Koblin maioris Poloniae lacus prope castrum proxime nominatum Drasim consistens, tria milliaria in longum, unum in latum conficiens. Item Krampska maioris Poloniae quatuor spatiis divisus prope Welcz consistens, tria milliaria in longum, quartale in latum conficiens

IEDLINO lacus terrae Lublinensis in borea consistens, cui villa eiusdem nominis a lacu sortita vocabulum imminet, medium milliare in longum, et tantum dimidium in latum conficiens. Item Czarni lacus terrae Lublinen., alius ab illo, qui in terra Chelmensi consistit, ab oppido Parczow duobus distans milliaribus, in partes omnes aequaliter se porrigens, medium milliare in quamvis partem pertingit. Item Raczno lacus terrae Lublinensis

dis prope

de prope villam Holyechowicze situs, unius quartalis milliaris continentiam in omnibus partes habens. Item Clambokie lacus terrae Lublinensis, habens villam sui nominis sibi imminentem aequalem proportionem de uno quartali milliari habens, et in longum, et in latum. Item Vstimow lacus terrae Lublinensis, cui superiacet villa Vstimow a lacu cognominata, ex rotunditate sua, ad quartale milliaris aequali tenore porrectus. Item Koshoparzow lacus terrae Lublinensis, iuxta quem villa appellata Roshoparzowsha wola, milliare unum habens in longitudine, medium in latitudine, fluvium ex se sui nominis emittens, qui se fluvio Chysmienerze infundit. Item Dizarhow lacus terrae Lublinensis de prope villam Lanczna consistens medium milliare habens in longitudine, quartale in latitudinem. Item Tazarzano lacus terrae Lublinensis in borra de prope eandem villam Lanczna consistens, Sysarcrum habens corpus, cuius longitudo et latitudo quartale milliaris non excedit Item Xadrib lacus terrae Lublinensis positus non longe ab eadem villa Lanczna, medium milliare in longum quartale in latum confert Item Ostwysz lacus terrae Lublinensis non longe ab eadem villa Lanczna consistens, medium milliare in longum, quartale in latum confert. Item Byeschze lacus terrae Lublinensis duobus milliaribus distans a Lanczna, quartale milliaris in longum, et dimidium quartalis in latum in latū consistit

BIELSKO Cuiauiensis terrae lacus circa
villam Bielsko a quo et villae denominatum est
nomen, singulares pisces et qui raro in alijs reperi
untur, lacubus Polonicis quos Szolwczę, Siclawy
nominamus, sapidi saporis gignens, medium mil
liare in longū consistens. Item Bdow Cuiauien
sis terrae lacus inter Cliodauam et Crustsbiczam
oppidum consistens, medium milliare in longum
consistens. Item Lubotkin Cuiauiensis lacus
eiusdem nominis irrigans villam, fluuium in No
thes amnem cadentem ex se emittens, medium mil
liare in longum consistens. Item Orle Cuiaui
ensis terrae lacus Episcopi Wladislauien ampli
tudine sua insignis et piscibus fecundus, fluuium
Sgowantsha ex se emittens, milliare unum in
longum consistens. Item Tsur Cuiauien terrae
lacus magnus alius a priori non longe ab oppido
Bidgostia situs, piscium qui Klesze vocantur
multitudine refertus, medium milliare in longū
consistens. Item Krzewiatka lacus magnus
regionis Cuiauien terrae sane longe ab oppido
Cowale situatus, medium milliare in longum
consistens. Item Lanczko lacus terrae Cuia
uien Episcopi Wladislauien, oppido Raliogo imminens
a fluuio Nothes dum iam lacum Goplo li
quisset generatus, unum milliare in longū consistens
latitudine vero parum extensus. Item Ltsur
lacus

lacus terrae Cuiauien. cui villa a lacu denominata imminet, quartum milliaris in latum, et vnum milliare in longum consistens, irrigatione fluminis Notheс fecundus. Item lacus Zborzymowsky terrae Cuiauien. ad vnum milliare extendens.

LEBSKO lacus magnus terrae Pomeraniae, in villa et haereditate Episcopatus Wladislauien. Charbrowo, a fluuio Leba qui interfluit illum Lebsko appellatus. Pomeraniae terram a Stolpensi determinans. Item Wdzidze lacus terrae Pomeraniae amplissimus, continens ad longitudinem quinque milliaria qui incipit prope castrum Lissebow, et extenditur prope castrum Thuchola. Item Ossuczno lacus magnus terrae Pomeraniae prope castrum Ossiek situs, vnum milliare in longum, medium in latum consistens, a quo castrum Ossiek denominationem accepit. Item Stworzonagarz lacus ingens terrae Pomeraniae, habens in longitudinem septem milliaria, in latitudine quinque milliaria, habens situm non longe ab oppidis Choinicza, Thuchola, Slochow, et Bittow, ex cuius vtero Brda fluuius emburgit. Item Borzichowo lacus terrae Pomeraniae prope oppidum Stargarth consistens, vnius medij milliaris longitudinem, quartali vero milliaris in latum consistens. Item Wdzydze lacus terrae Pomeraniae quinque milliaria habens in longum, tria vero in latum, prope oppidum Coscierzino consistens. Item Biala lacus terrae Pomeraniae prope oppidum Tuchola consistens, vnius milliaris in longitudinem, medij vero milliaris in latitudinem, ex quo fluuius sui nominis Biala exortus fluuium Wierzyscha ingreditur. Item Krag lacus

terrae

lacus terrę Pomeranię in districtu Swiecensi prope oppidum Tuchola consistens, medium milliare in longum, quartali vero milliaris in latum conferens. Item Sucbow lacus terrę Pomeranię in districtu Swiecensi, quartali milliaris in longum et latum ex aequo conferens. Ostrowite lacus terrę Pomeranię in districtu Swiecensi in longum, milliare unum, quartali vero milliaris in latum conferens. Item Dyrzno lacus terrę Pomeranię in districtu Swiecensi ad quartali milliaris protendens. Item Piasecznio lacus terrę Pomeranię in districtu Swiecensi ad quartali milliaris se protendens. Item Stichlno lacus terrę Pomeranię prope villam Grodich consistens, ~~unum~~ unum cum dimidio milliari in longum, in latum vero medium milliare conferens. Item Muhsa lacus terrę Pomeranię prope oppidum Tuczola situs, aequaliter in longum et latum ad quartali unius milliaris porrectus. Item Krampsko lacus terrę Pomeranię inter Slochow et Czerster situatus, tria milliaria in longum, quartali in latum conferens. Item Luhomye lacus terrę Pomeranię prope Choinczam situs, quinque milliaria in longum, et unum milliare in latum conferens. Item Charzykowy lacus magnus terrę Pomeranię sex milliaria in longum, duo in latum conferens. Fluvius autem Brda ex ventre lacus Krampsko se evolvens, primum lacum Luhomye ingreditur, et exinde se extrahens, tertio lacum Charzykowy intrat, ubi vetus effectus, proprio alveo notabili spacium terrę conferens. in Vislam tandem exoneratur

S. WWITHASS lacus magnus in terra Chelmensi, circa villam sui nominis consistens, quinque milliaria in gyrum, duo milliaria in longum, unum in latum conferens, et optimos pisces Coraipes producens Kliescze. Item Szarzho lacus magnus terrae Chelmensis binonimus, alio enim nomine ab incolis vocatur Luczomir, sed propter villagium cui est proximus Szarzho vulgatiori appellatur nomine, flumen sui nominis ex se Luczomir emittens, medium milliare in longum, medium in latum confert. Item Thur lacus magnus terrae Chelmen. in omnibus aequaliter partibus in longum, duo cum medio milliaria, in latum unum milliare confert, qui et villae de prope se consistenti nomen sui vocabuli Thur indidit. Rigatur et a flumine Luczomir in eum ex Thur decurrenti qui inde egressus, et nonnullos ignobiles lacus alios praetergressus cadit in Wyeprz flumen. Item Bialye lacus magnus terrae Chelmensis in solitudine, inter duas villas Radostow et Weblu consistens, milliare unum in longum, medium vero in latum confert, crassos adeo pisces Kliescze producens, ut ex illorum adipe plura vasa impleantur arvina. Aqua vero lacus eius in mensibus Maio et Aprili corpora humana nigredine tingit, et fuscat, nec nisi per aliam aquam nigredo potest dilui. Item Orzichow lacus magnus terrae Chelmensis, in borra vasta de prope duas villas Szamorowicze et Sczodrochostz consistens, medium milliare in longum, quartam milliaris in latum confert rigatur a flumine Luczomir, qui ex lacu Thur denominatus illum ingreditur, et exinde fundit se in lacum

cum propinquum, qui dicitur Orzechowiecz. Item Orzechowiecz lacus terrae Chelmensis in borra do prope lacum Orzechow consistens, quartali milliaris in longum confert, et in latum, Ipse namque est aequaliter se in omnes partes porrigens, qui etiam a flumine Lutzomir irrigatur, et inde se evolvens Ostrowie ingreditur. Item Ostrowie lacus terrae Chelmensis prope villam Xiewiew consistens, medium milliare confert in longum, quartali in latum, rigatur et ipse a flumine Lutzomir, qui ex lacu paululum progressus, fluvio Drzywiecz se miscet. Item Mszanie lacus Lacus terrae Chelmensis prope villam Zamorowiecze consistens, quartali milliaris in longum confert, et dimidium in latum, frequentissimos siliceos lapides habens in fundo qui cum piscibus una extrahuntur in aridam. Item Colmo magnus lacus in terra Chelmensi iuxta villam sui nominis Colmo consistens, unum milliare in longum confert, medium milliare in latum. Item Piaseczno lacus terrae Chelmensis prope villam Lubochinie consistens, milliare unum in longum, et medium in latum conferens, fluvium ex se Lyzemanka emittens. Item Szmow lacus terrae Chelmensis, a villa sui nominis iuxta quam consistit appellatus, montibus undique septus, in latum et in longum rotundus est, aequaliter enim est porrectus. Item Lyzemno lacus terrae Chelmensis cui sui nominis villa Lyzemno superiacet, rotunditatem praeseferens et aequalis latitudinis et longitudinis partes habens, Rigatur a flumine Lyzemanka, qui in illum ex lacu Piaseczno defluens, exinde in fluvium Przypiecz decidit. Item Lubye magnus lacus terrae Chelmen. de prope villam Dubieczno consistens, quartale milliaris in latum et in longum, quod ad rotunditatem declinat. Item Wielyki lacus terrae Chelmen. de prope villam Polapy situs, quartale milliaris in latum et in longum propter sui rotunditatem aequaliter conficit. Item Czyarni lacus terrae Chelmensis prope villam Szaczko quartale milliaris in longum et in latum conficiens. Item Kinarz lacus terrae Chelmen. cui villa sui nominis imminet, medium milliare in longum conficit, quartale in latum. Item Gluvin lacus terrae Chelmen. de prope villam Ostrow situs, quartale milliaris in longum conficiens, dimidium in latum. Item Ploczycze lacus terrae Chelmen. magnus de prope villam Wytelky consistens, medium milliarium in longum, quartale in latum conficit. Item Stryboszcz lacus magnus terrae Chelmen., villae Szodrochoscze imminens, quem fluvius Przypiecz rigat per dimidium illius decurrens, rotundus est, et aequaliter in omnes partes porrectus. Item Wieczniwo lacus terrae Chelmen. prope oppida Chelmza et Cowalye situs, unum cum dimidio longus et medium milliare latus.

NOBEL lacus magnus terrae Russiae in districtu Pinsko consistens, quem fluvius Przypiecz rigat, et faecunditatem efficit in piscibus. Item Olbiaszcz lacus magnus terrae Russiae in districtu Pinsko quem idem fluvius Przypiecz undis et piscibus locupletat. Item Grzedow lacus magnus terrae Russiae in districtu Brestensi alius a priori qui et ipse a fluvio Lezna piscibus valde faecundo irrigatur.

Prussen

DRYSSEN lacus magnus Prussiæ prope Elbing ciuitatem, quatuor milliaria in longum, duo in latum protensus. Item Sperdin lacus ingens terræ Prussiæ circa oppidum Lytz, septem milliaria in longum, medium in latum diffusus. Item Hammisberg lacus terræ Prussiæ ab oppido Hammisberg, circa quod consistit, trahens vocabulum, quatuor milliaria in longum, vnum vero cum dimidio in latum conficiens. Item Partheczino lacus Culmensis prope castrum Bratsyan situs, tria milliaria in longum, duo vero in latum protendens. Item Maldeszo lacus terræ Chelmen inter Radzim et Rogoszno oppida consistens, qui vnum milliare in longum, quartale in latum conficit. Item Dambrowno lacus terræ Prussiæ oppidi sui nominis muros ambiens, vnum milliare in longum, quartale in latum protendens. Item Melno lacus terræ Prussiæ prope oppidum Grunfeld situs, vnum milliare in longum quartale in latum conficiens. Item Lubno lacus terræ Prussiæ prope oppidum præfatum Grunfeld situs, vnum milliare in longum, quartale vero in latum protendens, vterq; autem lacus prædicti videlicet Melno et Lubno cruciferis de Prussia ceterisq; Almanis odiosus et execrabilis est. [illegible]rum enim multitudo per Polonos et eorum Regem Wladyslaum secundum magna cæde conflictati sunt. Item Schoinlang lacus terræ Prussiæ prope oppidum Osterod consistens, qui circa villam Schonberg exortus, quinq; milliaribus in longum, quartali vero in latū diffunditur. Item Geszeris lacus terræ Prussiæ a villa Jhszam vsq; ad oppidum Gylawa protendens quinq; in longum milliaribus, vno vero in latum diffusus est. Item Shemants lacus terræ Prussiæ prope oppidum Roger consistens, duo cum dimidio milliaria in longū continet, quartale vero milliaris in latum. Item Lyk lacus terræ Prussiæ duo milliaria in longum, quartali vero milliaris in latum diffusus

BERSTHI lacus Lithuaniæ medium milliare in longū consistens, fluuium ex se gignens qui vocatur Kothra, facundus piscibus, ut nullus ei in Lithuania sit facundior. Item Dubrze lacus Lithuaniæ cui oppidum a lacu denominatum Dubrze imminet, et quamvis quatuor videantur lacus, unam tamen habent denominationem quoniam etsi paludes quædam illos intersecent, undæ tamen illos committunt.

Notandum insuper est quod a lacu seu palude insigni triginta milliaribus supra oppidum Smolensko versus Nowogrod sito, oriuntur tres fluuij de quibus in superioribus fecimus mentionem, Primus Dwina qui vadit in Rigam versus Oceanum, alter Wolga qui creditur esse fluuius Poricus, vadit super montem Tanais, et intrat mare Caspium, quem Scithæ Sovata appellant. Græci Preton, Poloni et Rutheni Wolgam. Tertius Dnieper qui in Latino vel in Græco vocatur Boristhenes, et intrat mare Ponticum circa Czernigrod. Item Dnyester fluuius, in Latino vel Græco vocatur Therclarinus, et dividit Sarmatiam a Dacia, quā beatus Augustinus antiquam vocat, quæ quondā fuit regnū Gottorum. Item montes Pannoniæ inferioris, quæ est citra Danubiū, vocantur Sarmatici qui habent ortum a monte Carpato in Molthanalte, quam vocamus Walachiam, et tali nomine vocantur omnes montes Germaniæ usq ad fluuiū Rhenum, propter eorum ortum. Ex montibus autē illis Sarmaticis oriuntur tres alij fluuij notabiles etiam et insignes gentis, videlicet Istula alias Wisla, Odra alias Guttalus, et Albia, ſive iuxta antiquos Albis, alias Lyabia. Item ex Sarmatia praefata egreſſae ſunt gentes Sa, quae poſſederunt Scanſiam et novam Daciam, quae dedit ortum Theutunis, Vandalis, Gottis, Longobardis, Rugis, et Lepidis, quos vocant aliqui Cimbros, quos hodie vocamus Pomeranos. Illa autem Sarmatia Occidentalis ortum habet ex Sarmatia Orientali quae eſt infra mare Caſpium et Habrabam, ortum a Saruts, qui fuit quartus ante Abraham de Sem.

GORNO lacus terrae Dobrzinensis amplitudine et faecunditate piſcium inſignis Epiſcopi Plocensis a fluvio . . . . . irrigatus

Item Mohowo lacus terrae Dobrzinensis non longe ab Opido Dobrzin ſitus. . . . . .

Item Skapsko lacus terrae Dobrzinensis non longe ab oppido Lypno conſiſtens -

KRINNICZE lacus terrae Belsen, medium milliare in longum, quartale in latum conſiſtens, in quo propter ſui profunditatem difficilis eſt piſcatura, ſingularem et ab aliis lacubus ſecretam habens naturam, nam certo tempore aliquando infra triennium aliquando infra biennium, magno edito mugitu, et fluctibus intumeſcentibus commuſſus, in montem petroſum ſibi contiguum per cavernas occultas et ſubterraneas ingreditur, et pauciſſimas undas in alveo ſuo relinquens, multitudinem piſcium facile a piſcatoribus concludendam et comprehendendam relinquit. Haec de fluviis, lacubus Regni Poloniae

Quamvis

QVAMVIS autem Polonicum Regnū pauciores quam ~~cetera~~ caetera, et climate, montes habeat, et eo quod in planiciebus et campestribus situm, primariam sui nominis et principalem ab illis accipit appellationem, habet tamen quamplures montes tam saxeos, quam terreos, quorum insigniores describemus, pro sui autem fama et celebritate Calvariam praeponemus omnibus, et principem, et est aliorum, constituemus, cui Vawel subnectemus, quoniam apud illum summam rerum consistere, et Regiam illi imponi concessum est.

CALVARIA mons excelsus est in terra Sendomiriensi. Oppido Opatow propinquior, assiduo semper rigens frigore, et frequentes nives, nebulas, et pluvias producens. Scaturientes in pluribus locis habens fontes, famosissima quondam, si veteri et vulgatae assertioni standum est, Cyclopum, quod et ingentes acervi testantur, lapidum, ex arce quam monti imposuerant, ruinata. Nunc vero virorum religiosorum sub regula S. Benedicti militantium, habitatio. Incertum a quo Cyclopum et quo tempore arx tanta tot parietum continens longissimas et tam grandes aevo suo moles, sumptu tamen magnifico extructa fuerit, cuius monstruosi aedificij monstruosam lapidum congeriem, atque ruinarum ingentes acervos, nec vepres, dumosaque germina nec arbores frequentes, aut multi potuerunt contegere. In arcis locum, succedente Monasterio, a magno olim Boleslao Primo Polonorum Rege ex petra supra aedificato, in quo ligni Dominici magna mortalibus beneficia conferens, notabilis habetur portio, a Beato Emerico filio Beati Stephani Ungariae Regis monente per visum Angelo, illic relicta, ob quam locus ipse in celebri habetur reverentia, et massima mortalium sub necessitatibus succurri per virtutem sanctae Crucis deposcentium, frequentatur; Qua in re altitudinem divinae providentiae et eius dispensationis mira opera libet admirari, nam qui pro salute humani generis pati dignatus est in monte Calvariae, is lignum in quo patiebatur pro salubritate et consolatione Polonorum in monte eiusdem appellationis voluit consistere. Accessit ad haec admiratio amplior, nam cum Lithuani ea tempestate gentiles et idolatrae clandestino incursu in Regnum Poloniae irrupissent, et spoliato praefato Monasterio etiam lignum vivificae Crucis in suam terram asportaturi rapuerant, Sed priusquam Sendomiriensem regionem egrederentur, quadriga, in qua lignū sacratissimum vehebatur, substitit, nec ab equis aut bobus stupentibus barbaris moveri potuit, ingens illic pestis exorta, maxima strage tam homines quam pecora absumebat, quo malo Lithuani perterriti, consilio quoq; Polonorū, quos captivos duxerant, usi, lignum Dominicū in locum suum cum magnis muneribus detulere, et illico omnis pestiferae vexationis vis abiit non secus quam quondam post interceptionem et restitutionem Arcae, a Philisteis contigerat

WVAVEL mons saxeus, qui a fluvio Visla cursu praecipiti illabitur, in quo et Basilica insignis Martyrio famosissimi Beati Stanislai, et prima ac praecipua Polonorū arx Cracovia atq; regia sita est. Videntur autem etiam in diem hanc in monte ipso plura antra, in quibus Draconē et belluā mirae magnitudinis habitasse, et incolas loci magnis incommodis affecisse, literis et fama vulgatum est

CZANSTOCHOWA qui et clarus mons propter monasterium in eo situm, et Ecclesiam Beatae Virginis Mariae illic superaedificatam meruit appellari; ad quam frequenti et annua devotione tenetur concursus, propter vultum Beatae Mariae Virginis, quae illic ostenditur, imaginem, quae vel a Beato Luca Evangelista, vel ad instar saltem imaginum, quas pingebat, aestimatur formata.

KONIUSSA qui et Equina in Latino appellatur oppido Proszowicze imminens mons, Ecclesiam parochialem superaedificatam habens et ab eventu raro et mirabili nomen sortitus. Nam cum miles quidam Polonus, genere nobilis, de domo et familia Strzemiecitarum Przybislaus nomine, illum, aliquanto tempore constructa illic aede, cum coniuge et liberis inhabitaret, in una noctium equus rarae magnitudinis, quem miles ipse ad fecundandum aequarum partum uni Pannoniorum Satrapae triennio iam exacto vendiderat, ducens secum frequentem equarum a se ex Pannonia depulsarum gregem, quem noctibus tantummodo, ne dies furtivum deprehendisset ex Pannonijs dilapsum, notatus est promovisse, advenit, et ungula pedis domum et portam quondam heri sui ac blando hinnitu quatenus aperiretur, pulsare coepit. Cuius crebra in portam percussione, et hinnitu sibi multipliciter noto, miles Polonus excitatus, et a somno expergefactus, primum quidem hostilis verebatur insidias, postea vero quam per diligentem explorationem omnia pacata esse agnovit, novo hospiti portas aperuit, et secum una maximum equarum et pullorum etiam subiugalium, ex quo brevi locupletatus est, accepit gregem. Qui muneris sibi praestiti gratum se suo authori Deo ostendens, Ecclesiam ex cocto latere monti imposuit, dotemque praestitit.

Thyniecz

THINIECZ. mons fluvio Vislae super
impendens arcem continens, et Monasterium
Coenobitarum Sancti Benedicti, inter omnia Mo
nasteria regni Poloniae primarium et insigni.
Item Bolyeschoth mons fluvio Vislae immi
nens, in quo arx eiusdem monasterij de quo ime
diati eximius Tinecum. Item Lworz mons non
longe ab oppido Colaczycze et eidem oppido imminens.
Item Mrukow mons petrosus et altus, oppidum
Szmygrod prospectans, arcis vetustae monstrans
vestigia. Item Checziny mons arcem habens
cum oppido sui nominis sibi superimpositam, La
zuri, et aeris tam ex se quam per circuitu ferax
Item Rabsthin mons saxeus arce insignis, et
oppido Olkusz propinquus, habens in circuitu so
lum venis plumbi facundum. Item Kelcznyczka
mons uno milliari a Vislicia distans oppido,
Ecclesiam supera effiguratam ex petra habens,
et villae Episcopali Cracovien sui nominis imminens
Item Baba mons altissimus supra fluviu Sola,
herbas multifarias germinans et oppido Zywiecz
imminens. Item Dziewka mons quem praefatus
fluvius Sola abluit. Item Zawornik mons in
Oswyecimensi regione, in quem ferax silvestrium
cervorum et Damaru fit concursus. Item Skrze
czno mons in Oswyecimen regione, in quo alites
omniu generu constat habere conventum, a torrente
Kossiorowa abluitur. Item Schadsnyech mons Oswie
cimensis et excelsus ex quo torrens Kossiorowa erupit
Item Surha mons supra fluviu Sola non longe
ab oppido Ziwiecz. Item Sola mons sal gignens
et salsos gurgites emittens, a quo Polonus Idiomati
vocabulum

vocabulum sortitus est, Sal enim Poloni sua lingua Szol appellant, in terra Oswyecimen. situs. Item Tarnowka mons in Oswyecimen. regione qui torrenti subter se fluenti Tarnowka nomen dedit. Item Oszobitsa mons in Oswyecimen. regione, torrentem sui nominis Ossobitsy generans. Item magna Pusscza mons in terra Oswyeciminen. oppido Kąthy imminens, Item Wolek mons duos habens sub se torrentes, et in vertice arcem fortem et munitam. Item Hobryn mons altus in terra Russia, quem fluvius Kursawnicz ambit, oppido sui nominis Hobryn imminens. Item Chelm mons altus, a quo terra Chelmen. denominationem accepit, cui arx superposita est. Item Krzemyenyecz mons altus in terra Podolia arcem fortem habens in sui vertice, totus saxeus, silices frequentes producens, a quibus monti nomen inditum est, Poloni enim et Rutheni silicem krzemyen appellant. Item Chelm mons terrae Siradien. alius a priori totus saxeus, villae sui nominis superiacens non longe ab oppido Przedborz situs, tanta altitudine eminens, ut Sendomiria, Olstyn, Myechow, Czestochowa, Piotrkow, Calvaria, et plura oppida ex eo clara [illegible] spectentur Ecclesiam habens a Piotrkow. Comite de Sluzyn muratam, qui septem fossatis profundis cinctus videtur. Item Halicz mons altus terrae Halicien. argillosus, qui a fluvio Dniester abluitur. cui arx superimposita est quae regioni et arci nomen dedit. Lyssa gora mons altus civitati Leopolien. imminens in terra Russia, in quo arx magna et regia quae alta consuevit appellari. Item Potsilecz mons altus terrae Belsen., qui a fluvio Potsileczka abluitur, et oppido sui nominis imminet, in quo quondam arx notabilis, quam moenia et fossata profunda demonstrant, habebatur

Item Krzyzanowa mons maioris Poloniae non longe a fluvio Vartha et oppido, excelsum habens verticem, vicinas prospiciens civitates. Item Thurza mons maioris Poloniae non longe ab oppido Gromadno, sylvis et vepribus obsitus, stativis, quas illic maioris Poloniae exercitus aliquot hebdomadas habent, importacione coronarum presbiterorum, quas Sigismundus Romanorum et Vngarorum Rex pro Vitholdo Duci magno Lithuaniae et consorte sua Iuliana regnum Poloniae lasivus transmiserat, insignis. Item Tyrchow mons maioris Poloniae non longe ab oppido Lysczy quem fluvius Lutinia praeterfluit. Item Lethcze mons altus et latus inter Gnesnam et Posnaniam situs, ubi quondam Ducalis arx habebatur, hodie vero habetur Ecclesia. Item Busskod mons prope castrum Sobyen terras Polonicales a Pannonicis discriminans, in illius enim vertice situs est lapis Ruthenicis inscriptus literis, et a Leone Duci quondam Russiae locatus, limites regnorum Poloniae et Vngariae demonstrans. Ex hoc monte et ad eius verticem hi fluvii insignes et memorabiles orti consurgunt, videlicet Dniestr, San, Stryi, et Czissa et in subiectas regiones Poloniam videlicet, et Russiam, et Pannoniam, diverso itinere ex ipsa montis summitate decurrentes franguntur. Item Wiezlo mons Mazoviae prope Zarnow et Radzanow oppida consistens quem fluvius Wkra abluit, sub tempore guerrarum incastellatus, a cruciferis sed a Mazoviae militibus expugnatus omnium Cruciferorum desiderato aut capto praesidio.

ALIQVANTO autem tempore Lech Lechitarum vir sapientia industriae, facundia et vitae integritate etiamsi natura illi eam excellentiam non contulisset,

facile

facti illius aetatis, illiusque gentis princeps, regionem novam speculans, et girans, saepiusque cum suis examinans et deliberans, quisnam locus pro sua habitatione et pro fundamento principatus sui sedis esset aptior, tam silvestres planities, faecunditatem soli, et clementiam aeris praeseferentes, quas plures varii lacus sua sponte nati, ex quibus quasi eorum generati utero, perennes amnes prodeunt, piscium salubritate et abundantia fertiles ambibant, reperiens, stativa sua illic ponit, et tam ipsius principis Lech, quam omnium natu maiorum, qui sub eius consistebant imperio, decreto, locus ipse gratificatur et eligitur, pro prima regni sede, metropoli, et urbe, cuique ab eventu Lechiti cum seu Polonorum nomen adaptant, impositumque Gnezno, quod in vulgari sonat nidus. ~~Ita~~ Ibi enim primum princeps et parens Polonorum Lech, stativa figens, peregrinari desijt, et illic sibi et suis omnibus natu maioribus nidificandum, et sedem ducalem figendam, ac manendum esse decrevit. Illic quoque in altis et procerioribus arboribus aquilas nidificasse comperit. Ibi vetere ritu dijs patrijs sacrificio celebrato, quatenus principi et suae posteritati regnum stabiliant, velintque sibi et genti suae propitij, tam operum, quam bellorum duces, ac bonorum consiliorum authores fore, plurimis iugulatis hostijs litant. Cerealia etiam frumenta novae virginalisque terrae primum aratri dolabro violatae inserta sunt, cum antea fuerit rastro intacta, nec ullis sauciata vomeribus. Condita autem nova urbe, et principalioribus familijs populata arce, insuper, pro principe, quo eius imperium, etiam loci praeeminentia a caeteris secretum, veneratione ampliori colatur, extructa, caetera omnis multitudo principis ordinatione in colonias distributa, in varia loca uberiorem glebam, et situm habentia deducta est, propter terrarum enim diffusionem infaecundam cogebantur novi cultores late diffundi. Quo autem anno

Post confusionem linguarum, Princeps praedictus Lech, ex Slavonia, Carvatiaque exiverit, et quo anno, quove tempore primum terras Polonorum populari coeperit, parum apud authores constat. Gessisse tamen Sarmatas cum finitimis et nonnullis alys longe positis, et Caesares Romanos, videlicet Tiberium, Valentinianum, et alios cum Sarmatis bella, et dum se Sarmatae per Pannonias Romanis tunc subiectas diffudissent, casque vastarent, Valentinianum Imperatorem adversus eos bellum parantem, fluxu sanguinis apud Strigonium extinctum esse, Carolumque Magnum cum Polonis bellasse, et Ducem eorum Lech superasse, Martinus Gallicus, ut in sequentibus narrabimus author est. Constat autem Polonos ab initio originis suae Idolatras extitisse, et pluralitatem Deorum et Dearum, videlicet Iovis, Martis, Veneris, Plutonis, Dianae; et caeteris, caeterarum gentium et nationum errore lapsos credidisse, et coluisseque. Appellabant autem Iovem Yessam lingua sua, a quo velut Deorum summo omnia temporalia bona, et omnes tam adversos quam felices successus, sibi credebant praestari; Cui et prae caeteris Deitatibus amplior impendebatur honos, frequentioribusque colebatur sacrys. Martem vocabant Lyadam, quem ducem et Deum belli Poetarum figmenta pronuntiant, triumphos de hostibus, et animos feroces ab illo sibi precabantur conferri, asperrima illum placantes cultura. Venerem nuncupabant Dzydzilelya, quam nuptiarum Deam existimantes, prolis faecunditatem et filiorum atque filiarum ab eo sibi deposcebant numerositatem donari. Plutonem cognominabant Nya, quem infernorum Deum et animarum dum corpora linquunt, servatorem et custodem opinabantur, postulabant se ab eo post mortem in meliores inferni sedes deduci, et illis delubrum primarium in Gnesnensi civitate; ad quod ex omnibus locis fiebat congressus, fabricasse. Dianam quoque quod superstitione gentili foemina et virgo aestimabatur, a matronis et virginibus serta simulacro suo imponebantur

Ceres a colonis, et agriculturam exercentibus, frumentorum grana sacris certatim ingerentibus, colebatur, Habebatur et apud illos pro Deo Temperies, quem sua lingua appellabant Pogoda, quasi bona aurae largitor, Item Deus vitae, quem vocabant Zywie. Et quoniam imperium Lechitarum in regione vastissimas sylvas et nemora continente fundari contigerat, quibus Diana a veteribus inhabitare, et illorum nactam esse imperium proditum fuerat. Ceres autem mater et Dea frugum, quarum satione regio indigebat, fingebatur. Diana lingua eorum Dziewanna, et Ceres Marziana apud illos in praecipuo cultu et veneratione habitae sunt. His autem Diis, Deabusque a Polonis delubra, simulacraque, flamines et sacra instituta, atque luci, et in praecipuis frequentioribusque locis sacra et veneratio habita, solemnitates et sacrificia instituta, ad quas mares et foeminae cum parvulis convenientes, Diis suis victimas et hostias de pecoribus et pecudibus nonnunquam de hominibus in praelio captis afferebant, qui confusam ac popularem Deorum placandam multitudinem libaminibus credebant, in quorumque honorem ludi certis anni temporibus decreti et instaurati, ad quos peragendos multitudo utriusque sexus ex vicis et coloniis in urbes convenientes, pro diebus institutis iussa ludos huiusmodi impudicis lascivisque decantationibus et gestibus manuumque plausu et delicata fractura, caeterisque venereis cantibus, plausibusque et actibus, Deos Deasque praefatas, repetitis invocando observationibus depromebat. Horum ludorum ritum, et nonnullas eorum reliquias Polonos quamvis ab annis quingentis Christianitatis cultum constat professos, usque in praesentia tempora, annis singulis in Pentecostes feriebus repetere, et veterum superstitionum suarum gentilium annali ludo qui denominati eorum stado id est grex appellatur, quod greges hominum ad illum peragendum conveniant, et in cumos seu greges divisi, illum tumidi ingenij et seditiosi, in voluptates, scortum, et comessationis proni, peragunt, meminisse. Polonorum nobilitas gloriae appetens et in rapinas prona, periculorum et mortis contemptrix, promissi parum tenax, subditis et inferioribus gravis, lingua praeceps, ultra facultatum modum expendere solita, principi suo fida, agrorum sationi et armentorum nutrimento dedita, in advenas et hospites humana, et benigna, et hospitalitatis supra ceteras gentes amatrix. Plebs rusticana in ebrietatem, rixas, calumnias, caedes, proclivia, nec facile aliam gentem reperies, tot domesticis homicidijs et cladibus contaminatam, nullius laboris aut oneris fugax, frigoris iuxta atque inediae patiens, superstitionum et figmentorum sequax, in rapinas et ipsa prona, et hostilitatis sectatrix, et avida novitatum, rapax, et alieni appetens, in construendis aedibus parum operosa, casalijs aedibus contenta, audax, et temeraria, ingenio callida et parum facilis. gestu et habitu decora, viribus praepollens, statura ardua et procera, corpore valida, membris apta, colore albo et nigro permixta, ferox aura, influentia cruda, gelida sydera, inclementes venti, longae nives, perpetuo rigentes alpes, naturam Polonis tradant, et ingenia, adversa forensibus et peregrinis hominibus etiamsi in illis ingenium spectetur aut vita, raro ad gerendos, et non nisi procedente tempore et aetatis successione assumuntur Magistratus. et si quando id contigit, raro tamen sine invidia. Utinam Poloni Hispanorum virtutibus uterentur ingenijs, qui nullum hominum genus in quo virtus elucescat, fastidiunt, conversisque ex Judaeis et Saracenis pontificia et seculares Magistratus mandant, hac quoque benignitate Rempublicam suam florentiorem vegetioremque efficiunt. Per contrarium Bohemis similes, qui nephas ducunt quoslibet sui Regni Magistratus nisi in una etiam per improbos et ignavos continuari familia, polluendos si in alteram transferantur. prouidi alioquin in caeteris, in hac tamen videntur mihi re non parum desipere, velut qui diuinitati ius ponunt, et honorum omnis gratiam obscurare aut usurpare contendunt. Illud genti ingenium, ea indolis, ut tenuem virtuti, tenuem doctrinae honorem tribuant, ad eosque fasces dignitatum et magistratuum deferant, qui fulvioribus opibus abundant, animam habentes contemptiorem mortis, ad res aliorum proniorem

OPPIDA apud Polonos et sub Regno Poloniae consistentia magis insignia, magisque memorabilia ea esse dignoscuntur. CRACOVIA per Gracchum apud Stennam ad vada fluminis Vistulae condita et a Graccho g mutato in C Cracovia appellata est. Illic enim Regum et Principum ortus, cunabula, illic regenerationis in Christo aguntur eorum primordia, illic totius eorum genealogiae cineres magnificis urnis et sumptibus reconduntur, opportunitatis et gratiae loci praeeminens, omnium Polonorum facile arx et Metropolis tam Regia quam Pontificis honorifica sedes, in tres divisa urbes, Cracoviam mediam vocant, cui arx in colle petroso et editiori, qui a veteribus Vavel nuncupatus est, et urbi imminet, a Vistula abluitur, saxo in plerisque locis abscisso supraimposita, et in coronae modum muris, palatiisque, turribus, caeterisque propugnaculis communita. In ea Regia sita est, et Sancti Stanislai Martyris et Pontificis Cracoviensis sacri corporis gleba et Basilica, petra quadra fabricata, ossibus et corporibus reliquiisque venerandis Sanctorum plurimorum, clavo insuper dominus, et Beati Joannis Baptistae mandibula, item corpore Sancti Floriani Martyris, clara. Altera ad meridionalem plagam Casimiria a Casimiro Secundo Polonorū Rege suum illi imponente nomen fundata, eiusdem Beati Martyris Stanislai nobilitata martyrio, aedibus religionum, quam civium, feracior, infrequens enim extat aedificijs, templaq; superum aliquem tenent locum. Tertia Florentia, a Beati Floriani, in ea primoq; condere~~am~~tur, aedificato templo denominationem sortita, et ipsa ab eodem Cazimiro Secundo Poloniae Rege fundata. Cracoviensis urbs etsi pluribus praeeminet commoditatibus, ea tamen vel sola insignis, quod ad om̄s regiones sibi vicinas Pannoniam videlicet Bohemiam Moraviam, Russiam, Podoliam, Lithuaniam proportionabiliter porrecta, a quibus merces variarum mercivorum accipit et porriget. Studio item generali, Coronationibus, corporibus, incunabulis, et sepulchris Regū, Item quatuor Ecclesijs collegiatis sit illustris, Copiam et petrae, lignorumq; et cuiuslibet alterius materiae ad erigendum muros et excitandum necessaria opera in propinquo habens, Vistulam praeterea amnem navigabilem, oportunum ad importandum quae usui forent subter maenia Cracoviensis et Casimiriae urbium medium fluentem. Magnarum praeterea gentium haud longo fine absunt quarum commercium in eam maximam urbem mutui usus contraxere.

Item GNESNA altera Polonorū Metropolis nomine magis quam re et veteri potius splendore, quam novo lumine insignis, et nisi primaria Ecclesia illam illuminaret, ignorata a plerisq; foret, Omnium tamen Polonicaliū urbium mater a nido vocitata Nidus, a primoq; Polonorum Principe Lechone fundata. Et quoniam ibi primum cū familijs et cognationib9 Lechus constitit, et

tam Regia

tam Regum quam urbem erexit, nidus ex euentu appellata, eo vel solo parum felix quod cum plures urbes Polonicales parturierit, seipsam exinaniuit, Lacunis ferax, et solo, Beati tamen Martyris Adalberti corpore ex Prussia in maiorem Ecclesiam translato felicissima

Item LEOPOLIS tertia Poloniae Metropolitica sedes, quae ad illam sub Wladislao tertio Rege Poloniae ex Haliciensi urbe inuecta est. Duabus arcibus quae illi supereminent insignita, et plurimarum mercium quae per mare Liuonicum inuecta, terrestri itinere transmittuntur ad illam, ferax, amne tamen nauigabili, qui commoda augere solet urbium, indiga.

Item POSNANIA priscorum Poloniae Regum arx sedes et regia atq; sepultura, pontificali honore praedita, fluminis Wartha irrigua, et aedibus religionum ampla

Item WRATHISLAWIA a Mieczslao Polonorum Principe, sub quo primum Poloni, a Diis gentium ad Christianitatis cura conuersi sunt, condita. Cathedrae honore et corporibus Beatorum Cantianorum Martyrum, ac templis Sanctorum, pulchro opere fabrifactis, fluuioq; Ruttalo illam abluente celebris

Item WLADISLAVIA ad fluenta Vislae sita, a Wladislao Monarcha Poloniae et Casimiri primi Poloniae Regis filio, nomini suo illam vocitanti, condita, qui pro illius incremento sedem pontificalem Cruswiciensem in eam astruitur transtulisse, Nulla alia re nisi Cathedra pontificali memorabilis, quae nisi illam ostenderet, a pluribus eam ignorari potius contingeret, quam sciri, cum in propatulo sita sit, nullos retinens muros, nulla propugnacula, nulla maenia, et cuilibet hosti ad diripiendum et expilandum facile exposita

Item PLOCZKA sede Episcopali et arce vrbi confrontata, amne quoque Visla, qui illic undis inflatus alueum suum late spargit insignis

Item CHELM quae ad Oriam nouae Chelm, ad fluenta Visla sita Chelmza vocatur, honore tantummodo Cathedrae Pontificalis nobilis

Item KAMIEN a lapide, plures enim dum condebatur locus illi lapidum habebat congeries appellationem sortita, lingua enim Polonica lapis kamien vocatur Pontificali excellentia nobilis

Item LUBUSCH veteri magis denominatione, quam praesenti significato celebris, quae cum dignitate tantummodo Pontificali excelleret, communi vero habitatione rara et sterilis foret, Pontificalis sedes in Furstenwalde oppidum magis cultum magisque tutum translata est, priscum tamen retinens vocabulum, non Furstenwalden sed Lubucen appellatur

Item PRZEMISLIA a Przemislao fundata, Episcopali dignitate et arce et templo in arce ex petra quadra erecto, magis quam ulla alia re, fluuio insuper Szan sub illam decurrente insignis

Item KAMIENIECZ, petram altam scissam et abruptam, in coronae modum, undique habens pro muris et moenijs, quam fluuius non mediocris Scroth undique cingit, et abluit, aliquantulum dum illam circumfluit stagnans. Tam inusitato et raro naturae solius effigiata situ, ut conspectus eius singulos in admirationem commoueat, praeruptis undique interclusa rupibus, non vallo et fossa, quemadmodum aliae urbes, sed profundis vallata praecipitijs, quae intuentem horrore quodam inuoluunt, aliarum rupium in circuitu velut quodam vallo communita, septo quoque naturali abscondita, ut nemo prius illic urbem esse intelligat, quam in ipsam urbem fuerit ingressus, unus tantummodo ad urbem accessus ex arce, et a plaga meridionali, arduo tamen ascensu patet, Pontificali, et ipsa eminentia, et arce urbi superimpendente insignis, solo melle, cera et pecore ferax

Item KIJOVIA ab uno Polonorum et Gentilium Principum Kij condita, et ab illius nominis proprietate vocabulum sortita, maxima quondam et famosa urbs, trecentis templis, quorum nonnulla ruinavit vetustas, honore insuper Cathedrali, et amne nobili et feraci Dnyestr, arce quoque in edito colle ex quercinis roboribus constructa, propinquitate insuper maris memorabilis, adeo piscium ferax, ut pisces in amne Dnyestr semi subito minores capti, feris relinquantur et bestiolis

Item WILNA honore Episcopali et arce editiori praedita, duobus fluminibus Wilna et Wilia illam a parte utraque ambientibus fecunda.

Item MIEDNIKI pontificis tantummodo sede et flumine Miedniki secus illam decurrente clara

Item LUCZKO multa soli fecunditate nobilis et uno flumine pulcherrimo Stsyr vocato irrigua, pontificatu et arce insignis, a Wladimiro Principe condita.

Item CHELM Pontificali tantummodo honore et arce vulgata, adeo inculta et ignobilis, ut honor illi sibi detrahi debeat, et in Hrubieschow oppidum cultius et magis habitatum transferri

Item SOCZAWA honore Episcopali insignita, mercibus opulenta, quam fluvius eiusdem nominis Soczawa praeterfluit. Et hae quidem sunt urbes in Polonia Regno pontificali habentes decus, caetera quas subnectimus minus vulgata sunt, et collegiatarum Ecclesiarum nomine alijs praestantes.

SANDOMIRIA regionis magnae Sandomiriensis caput, et quae a Wisla flumine abluitur, celebritate indulgentiarum quae secunda Iunij maximo illic hominum frequentantur concursu memorabilis

Item WISLICZIA a Wislao Comite Heroe peruetusto Poloniae nomen illi suum imponente; sub gentilitate condita, et in meditullio amnis Nida sita, palustribus locis vndique circumsepta, in qua obstrepentes et rem diuinam turbantes ranas, fama fert, sacerdotem quendam loci pro sua sanctimonia silentium ranis iussisse, atque ex eo vrgente illic ranas coaxare.

Item KIELCZE a Gedeon Episcopo Cracouiensi erecta

Item OLKATOW foro et rerum venalium importationi famata, famosior si magis opulentum amnem quam sit Lubawa eam praeterfluens sortita fuisset

Item SANDECZ a Wenceslao Polonorum et Bohemorum Rege, vtriusque enim Regni tunc tenebat regna, in editiori loco ad confluentium duorum fluminum Dunaiecz et Kamiona fundata.

Item SCARBIMIRIA solo fecunda et fluuio Nidzicza irrigua

Item THARNOW per Spiczmierum Cracouiensem Castellanum condita

Item LANCICIA palude protenda et vix permeabili, latus illius Septentrionale cingente, vulgaris

Item CALISSIA ciuitatum vetustissima, cum suo nomen inter Polonicales ciuitates per Ptolomaeum in sua Cosmographia descriptas, tantummodo potest dignosci Proszna flumine palustrem illic causante situm, abluitur

Item WIELUN a qua vniuersa regio quae magis proprie Rudensis vocabatur, Wielunensis vocitari coepta est, Collegio Rudensi et omnibus in eam translatis per Casimirum secundum Regem Poloniae ad riuos subterrineos e terra plana ebulientis condita.

Item KVRZELOW arenosum solum habens, et sterile; habitatu quoque infrequens

Item LOWICZ a Iaroslao Gnesnensi Archiepiscopo ad flumen Bsura condita, habitatoribus copiosa.

Item BLVSCHMO nulla alia re quam Canonicali collegio memorabilis

Item NISSA propter fluvium Nissa peninsulam circumeunte huiusmodi nomen sortita, a Boleslao victorioso, dicto Krzywousty Polonorum Duce et Monarcha condita.

Item OPPOLE duabus pulcherrimis arcibus insignis

Item BRZEG quod in littore fluminis Odra condita sit, vulgari Polonico Brzeg quod littus sonat, appellata

Item GLOGOVIA maiori flumine Odra iam illuvionibus inflato et duobus castris venusta.

Item minor GLOGOVIA arce tantummodo et fluvio Obobloga clara.

Item LEGNICZA arce templis et muris nobilis.

Item RATHIBORZ arce ornata, et flumine Odra irrigua

Item OTMVCHOW arcem quidem habens superimpendentem, sed fluminis indiga.

Item CRVSWICZA vetus quondam Regia, lacu amplissimo Goplo circumamicta et seminibus frugifera.

Item POLTHOWSKO pisce et frumento opulenta, et amne Narew irrigua

Habet praeterea nonnulla oppida, isto quod neque Pontificali neque collegiatarum Ecclesiarum honore fulgeant, insignia

Inprimis oppidum GDANSK, nedum apud Polonos, verum apud caeteras gentes et nationes vicinas memorabile, haud magnum quidem oppidum, sed frequenti emporio celebre, quod multarum rerum merces in illud tam flumine Wisla qui illic ostio uno ex tribus miscetur aequori Oceano Sarmatico, magnarum gentium finibus contingenti, invehantur. quarum gentium commercia illic terra undis et pelago frequenti. et mutuo usu ex variis regionibus contrahuntur.

Item THORUN pulcherrimis aedificiis et tectis ex cocto latere irradiantibus adeo memorabile ut vix aliud sibi pulchritudine, situ, et resplendentia exaequari. possit

Item ELBING ex vicinitate maris plurimas sortitum commoditates, muris quoque et turribus satis insigne, verum fuit, quam sub tempore guerrarum, in Cazimirum tertium Regem Poloniae devenerunt. insignius

Referuntur insuper, et in Cosmographia Ptolomaei describuntur, et aliarum Polonicarum urbium sedes et nomina videlicet Calissia, Setsi, Daba, Lutsidunum, Budorigum, Lentaristus, Szczurgum, Limosaltum, Astancalis, Rugium, Virunum, Viritum, et Arsonium, in quibus neque loca neque nomina praeter solam Calisiam possumus recognoscere

Non solum autem sub imperio et principatu primi Polonorum principis et conditoris Lech, qui generis et seminis Poloniae Princeps esse promeruit, sed et sub filiorum suorum et nepotum quorum quilibet in principatum succedens avito et paterno nomine Lech appellabatur, gubernatione et regimine, Polonorum provincia per diuturna tempora, longaque successione, secura potiebatur pace, et tranquillitate, bella raro repellens, rarius

inferens, quippe quae Alpibus aut freto septa
rum aliarum nationum, quas a continente ha
bebat confrontatas, audiebat magis quam sen
tiebat longo terrarum mediante tractu, bella et
vicinia. Sed neque aequore aut terra caeterarum
regionum gens Polonica frequentabat fora, aut
transmarinarum peregrinarumque gentium mercibus
aut connubiis se miscebat, sed simplici alimento,
quod nativum producebat solum, et hirsuto humi
lique vestitu domestica elaborato arte, contenta,
omnium mollium et delicatorum expers, sitim
undis, esuriem frumento, carne, pisce, melle, lacte,
et oleo sedabat. nullas habens tum opes, qui
bus vicinas et finitimas sibi gentes vel adiuva
ret, vel ad sui involatum et frequentationem allice
ret. legum autem humanarum rudis et ignara,
principum arbitria pro legibus observabat, et
quicquid a principe sancitum, mandatum vel
decretum esset, prono devotoque animo exequebatur,
cum contumaces et rebelles severa animadver
sione nullo paenitendi dato spacio plecterentur,
propter quod imperium principis pro legum nor
ma habebatur, nihil temere, nihil tumultuose
agi licebat, ad regum arbitrium digna atque indi
gna, et quaeque extrema passura. Pendebant autem
singuli pro principe, statutis vicibus et diebus, la
bores. Varias, obsequia, et tributa, ac pro mensa
et curia sua granum, carnes domesticas et syl
vestres, pisces, mel, et aliorum victualium neces
saria, iuxta Ducis arbitrium, Silvestrium quoque
animalium, Mardyrum, Castorum, Ermellinorum, et
vulpium, quibus Polonorum regio pro ea tempestate
ferax fuit, pelles sub certo numero pro tributo
conferebant,

conferebant, huiusmodique laboribus, datijs, et rebus annua tributa reddebant, Auri, argenti, aeris, margaritarum, gemmarum, ceterorumque metallorum nullus apud eos usus praeter ferrum, quod hastis, vel aratro ceterisque instrumentis iuvat, Culmo tegentes tuguria et nudo solo accubantes, pecore et frumento dites, lucrum, avaritiam, et iudiciorum ignari, omnium superfluum apparatum noscitabantur osores, propterea quod nemo ad illos peregrinus advenerat hospes, nemo pannos, nemo aromata, nemo vina, ceteraque humani generis oblectamenta ad luxum pertinentia, quibus maxime humanus et ferox animus remittitur, et relanguescit, intulit, Sericis hac apud gentem parco et grosso victu assuetam, in contemptu magis quam in pretio haberi, tuncque Polonia nihil lascivum, nihil luxuriosum habere noverat. Mutua autem fora non nisi cogente necessitate obibant, non quidem proprio aut forensi numismate (nullum enim tunc extabat, et si quod importabatur, refutabant, spernebantque) sed vice rerum necessariarum cambio commercio, et permutatione, quibus magis quam pecunijs res per illos aut dabantur aut parabantur. Nullus itaque tunc hostis, nullus livor, nulla cum externis gentibus bella, nulla foederum ruptura, nulla civium violatio, omnia parata et tranquilla, omnia beata et tuta, adeo ut aetas illa sub Principe Lech filijsque suis et nepotibus traducta, aurea verius quam Lechitica possit vocitari, in qua etiam tenues transgressiones et minuti puniebantur excessus, ne ad graviores ex facilitate fieret transitio. Desidiae quoque in eis comprimebantur delicta, ne foeda imitatio ceteros involveret, erantque Polonis tunc Reges et Principes magis quam leges terribiles.

Dulcius

Duabus rebus Polonorum regio prodigiosa et miranda est, quas Solinum, cętera orbis mirabilia scrupulosius investigata disserentem, admiror tacuisse; et quę haud immerito pro sui raritate, velut naturę prępotentis opera, nihilo alijs inferiora, ijs, quę a Solino enumerantur possunt adnumerari. Vna quod in campis villę Nochow prope oppidum Srem in Posnaniensi Diœcesi sitę, item in villa Koszielsko in districtu Paluki, prope oppidum Lekno, universi generis suapte et sola arte naturę absq; omni humano adminiculo, variarum formarum, sed quas humanus convictus habet in usu, sub terra nascuntur ollę, tenerę quidem et molles dum consistunt in nativo nido, sub gleba compactę vero dum fuerint extractę et vento aut Sole duratę, diversis formis et quantitatibus compositę, non secus quam artificio lutifiguli effigiatę, et quarum, quod admirabilius reor, generatio successioq; naturalis nunquam notata est, gleba etiam non dehiscente, decrevisse. Altera, quod in sylvis, campis, et borris oppidi Potelicze, et villarum Hrebenu, et Prossnu, in terra et regione Belsensi, et Helmensi, in Chelmensi Diocesi, arborum pinaturarum ea est natura et conditio, ut si earum aliqua pars, ramus, vel portio pręcisa vel excerpta fuerit, aut universa arbor succisa, quod lignum sub anima vegetativa fuerat, in naturam silicis post annos aliquot convertitur, et transformatur, et, iuxta ac naturalis silex, ignem excussus producit, quantitatem et proportionem, in qua pręcisum est, retinens, saxi vero silicei qualitatem et naturam.

Vigente, quam narravimus inter Polonos parsimonia, modestia, et tranquillitate, adeo res eorum excreverāt in immensum, ut et has oras, quas colendas, acceperant, habitabiles, cultasque effecerunt, et nonnullas insulas maritimas contingerunt germina coloniarum suarum usque ad Almaniam quae nunc Misna dicitur diffundendo, propter quod plerique ex illis, qui diversas et singulares regiones subiissent, varia cognomina sunt sortiti, ut ~~videlicet~~ Drewnane, a multitudine sylvarum, in quibus primum sedem posuerunt, notabilium civitatum, ut Bukowiecz quae nunc Lubek. Item, quae nunc Hamborg, Breme, Szlesnik, Czesnina, primarii fundatores. Item Kaszubiane a plicatione rugarum in vestimentis quibus primum vestiri consueverant. Ruba enim in Polonico seu Slawonico dicitur ruga, Kaszsz autem dicitur plica, in modo imperativo. Item Trawnaniane ab abundantia graminum appellati, locus enim quem insederant, graminibus uberrimus erat refertus. Item Pomorzane eo quod mari Septentrionali vicini oram illam maritimam incolebant, a quibus terra Pomerania est denominata. Item Serbyane a Praefecto suo Serb extiterunt cognominati. Quamvis autem variis his et aliis, a situ locorum, vel nominibus Praefectorum appellentur, unum tamen Lechiticum seu Polonicum singuli sonant, linguagium licet Teutonicis, Saxonibus, qui eorum terras occuparunt mixti, quaedam verba confusione idiomatum proferant nunc inepte et corrupte; caeteri vero Poloni qui ad reliquas oras populandas se converterant, universali nomine non mutato Poloni appellantur, licet inter eos sit quaedam per regiones quas incolunt, quae a capitibus urbium, quae in illis successione temporum consurgebant, discretio, omnes autem tam propinqui quam longe positi tributa constituta, Principi Lech filijsque suis et nepotibus post illum, nulla interposita renitentia et contradictione persoluebant. Singularibus etiam largitionibus et donis ex bonis terræ illos honorando. Inter filios autem et nepotes primi Principis et conditoris Polonorum Lech, rebus humanis absumpto, nullam contingebat divisionem et dissensionem interponi, patris enim dum viveret et communi omnium delibera tione maior natu, in solium et principatum decedentis succedebat, quæ quidem constitutio, solidam, castamque habuit obseruantiam, et praxim, donec universa Principis Lech per lineam rectam descendentis consumeretur progenies, in longas successiones, ætates, et tempora deriuata, sub quibus omnia memorabilia, gesta, et bella, a Lechitis et suis nepotibus illata aut repulsa, et res gestæ, quantumuis illustres, memorabiles, et magnificæ, casus quoque eorum, et successus, quibus quoque, et quot annis apud Lechitas seu Polonos gessere imperia, quibus quoque fulsere virtutibus, et moribus, aut quibus vitijs abundaverint, et quæ in proprios et exteros ediderint facinora, temporis diuturnitate, et literarum penuria, nullis tunc apud Polonos existentibus scriptoribus, nec literis, in perpetuam oblivionem venere, ita ut illorum nomen obscurum prorsus sit, et obsoletum, principibus Polonorum, illius æui illiusque temporis minus id non tenentibus in prospectu, nec quidquam pensi habentibus ut illorum merita, bella et opera, in posterorum traducta forent notionem, Quæ rerum maligna negligentia etiamnunc apud

Polonos manet, cum nulli Polonorum transacti principes, Reges, aut Heroes sciantur, rerum gestarum, et temporum suorum negotium alicui scriptori mandasse, ad quod Romanorum, Graecorum, Hebraeorum, Persarum, Medorum, Gallorum, Germanorum, caeterorumque gentium Reges, Duces, et Caesares, nomen suum transmissuri ad posteros, praecipuam et scrupulosam curam leguntur impendisse, Scriptoresque rerum suarum, et praeconijs altis et exquisitis extulisse et celebrasse honoribus. Non fortuitu autem et ignobilis, sed plurima utilis et necessaria humano generi, annales conscribendi, fuit estque ratio, ut videlicet sequentis aetas, si quisque successive, laudatos mores, actus, et virtutes, quos imitetur, bonorum Principum, et Heroum, pro speculo habeat, et se illis conformare contendat, depravatos vero, Deo quoque et hominibus odibiles, sciens pro illis sugillationem et execrationem ad se etiam post fata perventuram, devitet. Nulla siquidem aut bellica aut domestica virtus adeo excellens et insignis fuit, ut eius memoria foret diuturna, nisi posteris scripturarum munere traderetur, sed et opus quodlibet, sive Heroicum sive virtus sit infirmum, contegitur atque marcet, quod non fuerit a scriptoribus illustratum, qui soli certam sedem illi constituunt, et res domi aut bello gestas efficiunt celebriores.

STIRPE LECH PRIMI PARENTIS et Principis Polonorum radicitus sublata, primus

Polonorum proceribus et nobilitati apud Gneſnam de Principe ſurrogando deliberantibus, id omnibus pro ea tempeſtate optimum viſum eſt, vt Principatus iugo ſoluti, omnibus viribus libertatem ſectarentur, et ad ſubeundum nouum iugum cum antiquae recordationis grauitate terrentur, nulla ratione aſſentirent, Monarchiae ſtatum abrogant, in qua pro libidine et impune agere omnia Reges et Tyrannos licere viderant, ad illam ex opulentia rerum redactos inſolentiam, et ~~per~~ per liuorem et per naturae vitiationem, vt popularibus ſuis faſtidioſi ſint et ſuperbi, optimis inuidioſi, deterrimis amici, et in ſingulas criminationes admittendas proni, iura patriae labefactant, terminos ciuis occupari ſinunt, foeminis vim afferunt, indemnatos aut facultatibus aut vita exuunt, permiſſa venere non contenti, illicita ſe faciant, voluntate pro ratione vtuntur. Vniuerſis autem hanc ſententiam prona approbatione ſequutis, ne Reſpublica in largas terrarum propagines deriuata ſine rectoribus remaneret, leges primas, et quas rudi illi et agreſti ſaeculo ſufficere arbitrabantur, inprimis condunt, deinde duodecim viros ex proceribus innocentioris vita et vegetioris ſpiritus, nobilitate et diuitiis praeſtantes deligunt, illisque ſummam adminiſtrandae Reipublicae et omnium quaeſtionum, criminarum, differentiarumque deciſionum, functionumque committunt. Quorum imperium aliorum ſubrogatione, ſi forte vtilitas vel neceſſitas poſtulaſſet, producebant. Qui etſi integritate qua poterant ampliori, regimini commiſſo intendiſſent, paritas tamen et libertatis usus insolitus fastidiosum et contemptibile eorum tandem imperium reddidit. Veteris enim disciplinae et rigoris Poloni obliti, ex concessa libertate insolescebant, imperiumque Duodecim rectorum, si quando usu aut necessitate cogente aliqua imperassent, detrectabant, eorumque sententias et decreta improbabant. Sentientes contumaces et rebelles aliqua animadversione non posse percelli, ipsi quoque Duodecim Praefecti a vulgo ingeminatione quaestuum insimulabantur, quod Republica postergata, privatis tantummodo commodis et utilitatibus, cum legum promulgatarum praevaricatione inhiarent, ex quo crebrae inter Praefectos et communes contentiones et odia exorta bene fundatam Rempublicã pessumdare coeperunt. Ea enim natura multitudinis perhibetur esse, quae et freti, si enim quando fluctus suos, impellentibus flatibus, excitet, non facile ad priorẽ potest reduci tranquillitatem. Sanctum quippe nacti, Regibus et Principibus dignitate propria extinctis, Poloni consilium, imperium suum libertate et legibus stabiliendum censebant, optimum factum rati, satius parere legibus quam Regibus. Infelix itaque eorum Respub. felicibus incrementis prosperata, si partam libertatem pati, et tueri potuissent, paucis siquidem exceptis, caeteri insolentes, arrogantes, et rixosi facti, sive natura gentis, sive moles dilatati imperij, causabat. Impunitate transgressionum et suapte illecti, ad quaeque illicita et noxia dilabebantur, Iam domesticis et civilibus facinoribus non contenti etiam in vicinas gentes et regiones suas factiones diffundebant. Hinc quoque effectum est, ut vicinae gentes ab illis violatae, varijs durisque bellis eos afflixerint, et in regionibus Polonorum, nullo hostile bellum repellente, conquassatis illas pro libito vagarentur. Quapropter dulce libertatis nomen, ad salubrem imperij statum destinatum, abutentibus illo Polonis, gravem Reipub. attulit perniciem et calamitatem. Imbecilliores deinde a potentioribus oppressi, serum et tardum ex duodecim Rectoribus praesidium assequebantur. Tendendo enim quisque Rectorum ad suas ambitiones et consilia, dedere documentum, in administranda Republica multorum imperium non posse fieri utile, neque diuturnum, et plerisque virtuti incumbentibus, in publico, vehementiora privatim odia suscitari consueverunt, et unoquoque partes primas sibi vendicante, et tam in dicenda sententia quam in caeteris regiminis publicis rebus excellere conantibus, ad ingentia odia versis, ad seditiones, et caedes, et ob has ad Monarchiam coguntur recedere

RUTHENORUM sub idem tempus Principatus, Polonis civili bello sese collidentibus, et ortum et incrementum capit, quorum regio apud oram, quae hactenus Podolia nuncupatur, adeo agro perhibetur ferax, ut cum semel sata fruta sint, recidivis sub inde seminibus, segetem novantibus, altera in illis sine satione proveniant. Erant apud illos tres viri eodem patre et utero geniti, Kyi, Szczek, Korew, et quarta soror Libed, tam ingenio quam viribus praestantes, et qui facile Principatum in gente consequuti, caeteros redegerunt in suam ditionem, a quibus et caeterae nationes, secundum tribus et domos suas

derivatae

dermata sunt. Hi tribus principalibus castris in Russia erectis, sua illis indiderunt nomina. Nam Kiji castrum supra fluuium Dnistra se constructum vocant Kyow, Sczuk Sczukawicza, et Korew, Korewicza, Gentilium et ipsi errorem sequuti, stagna, lacus, fontes, aquas, pro Dijs colebant. Erant et alij Polonorum duces, videlicet Radzym, et Vviatsko quorum vnus videlicet Radzim in flumine Szassu, alter Vviatsko in flumine Okka consedere, de nominibus suis, regionibus et populis vocabula indiderunt. A Radzim enim Radzimczanie; a Vviatsko Vviatyczanie vocati sunt. Qui ad fluuium Bug consederunt Dulyebianie, a Duce eorum Dulyeba vocitabantur, qui postea Vuolhanie sunt, et nunc Luczanie appellat. Habebant autem nationes Ruthenorum ex Polonis descendentes, in ducendis vxoribus et contrahendis matrimonijs, inter sorores germanas et propinquas cognatas discretionem, abstinendo a concubitu earum, propter quam honestatem sortiebantur in vitam longos dies. Dulyebanie vero et ij qui processerunt ex Radzim et Vviatsko, habitabant more ferarum in sylvis, comedentes omnem immundiciam, pudoreque soluto et cognatis et alienis vxoribus rapiendo illas, miscebantur. Defunctis Kiji, Sczug. et Korew, filij eorum et nepotes linea directa succedentes, principabantur apud Ruthenos annis multis, donec successio huiusmodi ad duos fratres germanos Osskald videlicet et Dir peruenit, quibus apud Kyouiam principantibus, nonnullae Ruthenorum nationes, quae exigente multiplicatione nouas sedes sibi quaesierant, eorum principatum

tum pertesa, a Varagis tres Duces acceperunt, quoniam ex proprijs neminem legi propter paritatem placebat. Primus autem dictus est Rurek, qui in Nowogrod. Secundus Szynew, qui in Bialiezioro, id est apud album lacum. tertius Trubor, qui in Sborsk sedes suas posuerunt. Iis et cuilibet eorum a Ruthenis et populis eorum ditioni subiectis ex quolibet capite humano pro tributo unus aspergillus albus reddebatur. Duobus autem Ducibus processu temporis videlicet Szynew, et Trubor, nulla prole relicta, mortuis, Rurko in eorum principatus succedens moriens filium nomine Ihor reliquit, qui adolescentiam pertingens, Osskaldum, et ~~Dyr~~ Dyr Kyovien̄ principes nihil hostilitatis ab eo suspicatos, in dolo occidit, et principatus ac terras eorum occupavit. Sed neq; Duci Ihor, Osskaldi et Dir Ducum Kyoviensium diu impunita fuit occisio, dum enim populos qui Drewliane Ruthenici generis, ducem proprium Nisskinam habentes ad tributum fretus potentia cogeret, et prima solutione, de qua inter eos convenerat, non contentus, secundam in eodem anno exigeret, a Drewlanijs iniuriam non ferentibus nefarie caesus interijt, qui missis ad suam relictam Olham nuncijs, quatenus Ducem eorum Nisskinam virum acciperet, et principatus uniret, summopere suadebant. Illa muliebri dolo usa, primis et alteris Drewlianorum nuncijs benigne appellatis, et apud se retentis, Drewlianos cum Duce eorum Niskina ad se venire, quasi coniugium sociatura, et principatus unitura iubet. Quibus iussa implentibus, legatis eorum quos domi retinebat, per varios cruciatus clandestine primum enecatis, in occursum Drevlianis processit, et ad insidias locaque insigna in quibus fortem exercitum collocaverat, perductos, omnem eorum exercitum ad quinque millia virorum se extendentem, occisioni mariti sui Ihor parentando delevit. Susceperat autem Dux Ihor ex Olha consorte sua filium unicum nomine Swantoslaum, qui annos viriles attingens, vir bellicosus et in armis strenuus esse cepit. Patris autem sui Ihor occisionem ulturus, primam expeditionem in Drewlanos egit, et gravi caede domitos sub iugum mittit, tributumque imponit. Transfretans autem mater sua Olha Constantinopolim, imperante apud Graecos Czemiski, a Patriarcha Constantinopolitano in fide Christiana edocta, superstitione gentilium relicta, Baptisma accepit, barbaroque nomine mutato pro Olha Helena appellatur. Benedixit autem illi Patriarcha Constantinopolitanus dicens. Benedicta tu inter Ruthenorum mulieres et nomen tuum in omnes generationes sit gloriosum et benedictum. Quae a Constantinopoli Russiam reversa, Swantoslao filio fidem Christi suscipere, deposito errore gentili persuasit. Sed ille monita materna contemnens et irridens non acquievit

Progredientibus in suum modum Polonorum rebus, et civili discordia collisionibusque et externa hostilitate per tempora plura debilitatis, et afflictis, rursus omnis nobilitas vulgusque desiderare unum Principem Monarchamque coepit, quamvis enim libertas experta dulcesceret, speciosaque et iocunda ac omnibus praeferenda esset, ad retinendum tamen statum Reipub. sub pluribus rectoribus dilapsum, in servitutem ab hostibus

exprimi

experiri cogantur. libertatem abdicant, et ad regendum frequentes populos lataſq; terras, ex re viſum eſt, vnum Principem ac rectorem aſſumere, illiq; parere, qui æquo iure potentes iuxta atq; tenues contineat. Hinc vero oborta quæſtio, quis tantam molem ſubire, et gentem poſt intermittendam libertatem quam ante expertam, plus rebellionis et duritiei habituram, regere aptior eſſet, rem ad magnam vſq; inſectionem perduxit. Scrutinio tandem diligenti habito ad virum quendam ad fluenta Viſlæ et in regione ad montes Pannonios porrecta, habitantem, animoſum, ſtrenuum, induſtrium, et ſolertem, nomine Grach ſiue Gracum, quod et ſpecimine ingenij cæteros præſtaret, et cuius probitatem pluribus iam experimentis didicerant, vniuerſi ſua vota concordi deliberatione conuertunt, ac ipſum approbatione et decreto cunctorum in Principem deligunt, ac ſibi totius regni gubernacula et ſummam rerum demandant. Ille diu cunctatus, ~~in~~ inicientium ſibi faſces et purpuram manibus repugnabat, apud ſe quoq; tacitus maxima perplexitate, ſatiſne ſani eſſent, an vt deliri maieſtatis ſimulachro ſe delinirent, deliberabat. Tandem ambiguitate diſcuſſa et importunitate petentium non valens reſiſtere, Polonorum ſuſcepit Principatum, reſq; ex tunc publicas ea modeſtia et prouidentia adminiſtrare cepit, vt non aliter quam parens a Polonis coleretur. Neq; enim priſcorum Principum more tyrannidem et ſuperbiam in Polonos exercuit, ſed pro ſubditorum vtilitate et quiete ſingula adminiſtrans, a rudem et ferocem populum magis beniuolentia,

quā imperio

quam imperio in fide continuit, nobilitati eque atq; plebi gratus. Hunc Graccum existimant nonnulli Romanum, de stirpe et familia Graccorum genus duxisse, et civili seditione duobus Graccis Tiberio videlicet et Caio, tribunitiam potestatem immoderate pro lege Agraria exercentibus, anno ab urbe condita sexingentesimo vigesimo secundo, et septimo factione principum occisis, Roma relicta, ad Polonos quaesitum ocium, et latebras divertisse, et summam rerum apud Polonos sortitum esse. Considerans autem Graccus, plura bella, iisdem temporibus, quasi quadam conspiratione contra Poloniam ebulisse, ad resistendum quoq; singulis vires deesse, quaedam pactis intercepit, quaedam compositione extinguit, reliqua aggressus, tanta felicitate et ingenio gessit, ut ex quolibet certamine gloriosus victor redierit. Ex qua re et militum trepidi, ex superioribus congressibus infeliciter gestis, animi firmati sunt, et apud hostes fama eius dietim crebrescens, et contemptum ademit, et pavorem incussit. Cum itaq; Galli, caeteris provinciis peragratis, etiam Pannoniam contigissent, et eam variis guerrarum turbinibus vexassent, Poloniam ingressuris, Grach Polonorum Princeps occurrit, et pugna cõmissa, insignem et memorandam victoriam de Gallis, tum robore veteranorũ et exercitatorũ militũ, tum arte et actu militari reportavit. Qui etsi suis charus esset, hoc tamen triumpho de Gallis relato, charior reputatiorq; esse coepit, maiorq; devotione et promptitudine erat sibi externum a Polonis paritum. Huius tanta fuit clara fama et nobilitas ut tota Bohemia sibi deditionem fecerit, et eius omni vitae tempore sub suo degebat regimine, et principatu. Habet nonnullorum tam aestimatio quam assertio Graccum Principem ante incarnationem Christi annis circiter quadringentis regnare apud Polonorum gentem caepisse, et tam industria quam viribus celebre sibi nomen fecisse.

HOSTIBUS in circuitu Grach Polonorum Princeps bello aut pactis summotis, satis prospera felicitate usus, ad promovendas quoque civiles res, externis quietatis, diligentiae suae studia convertit. In primis itaque in edito colle, qui ab incolis Vawel nuncupatur, et quem undis suis Visla alluebat, latam et speciosam planitiem in summitate habenti; arcem Regiam construit, deinde pro eius firmiori subsistentia, amplitudine, et decore, urbem haud procul ab arce, ab eodem flumine Visla, fluebat, irrigatam, eique ex suo nomine nuncupationem adaptans Cracoviam vocat. In huiusmodi quoque arce et urbe thronum sui regni allocat, illicque intra Polonis et Bohemij reddit, ac illam metropolim, et primariam sui Principatus designat decernitque sedem, raro et naturali situ, spem sibi de magnitudine futurae urbis non ambiguam portendenti. Nec eum opinio fefellit, velocibus enim incrementis, Gracco adhuc bona vigente valetudine, urbs Cracoviensis multipliciter consurgere caepit, et in eum statum, et fortunas attolli, ut a vicinis regionibus et urbibus eius sorti et conditioni invideretur. Vehementiori autem aemulatione et livore Gnesnensis civitas ei infesta esse caepit, quod sedes primarias et praecipuae dignitatis specimen illi detraxerit, et priscum suum obtenebraverit candorem. Inter tot tamen suorum primordiorum grata et facunda auspicia incommodo augebatur urgenti. Bellua enim insolitae magnitudinis, Draconis aut Olophagi speciem habens, in antro montis Vavel, super quo castrum Grach erexerat, cubile posuerat. quae ad explendam suam esuriem aliquot pecorum aut armentorum praedita corpora corripiens, devorabat, sed nec humanis parcebat corporibus, sed quoties illius rabiem non reperti aut non dati pecoris diutior excruciasset rabies, et fames, toties sub clara luce diei, ad mitigandam sui ventris ingluviem, horrida rictibus ora trahens, e cubili suo potenter emergeret, et valida iumentorum atque boum corpora, sive adiuncto carpento, sive subiugato aratro invaderet, suffocaret, voraret. In quos etiam homines saeviens, nisi in tutum refugerent, salivam suam illorum horrenda caede explebat. Qua execranda ingluviei rabies adeo cives Cracovienses terruit, afflixitque, ut de deserenda magis, quam de habitanda urbe propter tam infestum vastatorem cogitarent. Mandato autem et decreto principis Graci qui urbis a se fundatae molestius ferebat progressum, civium discessu rescindi, tria singulis diebus belluae iactantur corpora, quorum sacietati non hominibus solum verum et ceteris animantibus praestabatur securitas. Sed cum haec quoque onerosa magis principi, quam civibus, qui post mortem suam urbem desertum iri verebantur, conditio videretur, iactanda monstro corpora sulphure iussit et caminati parum igne contecta, cera atque pice impleri et belluae exponi, quae cum naturali et solida aviditate deglubisset, ab igne torrenti, et flammis altius diffusis interiora urgenti, sensim collapsa et extincta est

Occidenti bellua et immani monſtro, quod a quibusdam ſcriptoribus Olophagus intitulatur, Cracouienſis urbs periculo grandi praeter ſpem exuta, territorij ſui longius coepit dilatare fines culturae, et facile inter Polonica urbes vendicare principatum. Sed et ipſe Crak princeps ob deletam ſua arte et ingenio belluam, parens et liberator patriae appellatus, apud proprios et exteros inſignis et inclitus habebatur. Tunc primum leges promulgat, iudicia conſtituit, decreta condit, mandata edicit, quibus rudem adhuc illam aetatem credidit poſſe regulari, quibus Poloni in poſterum uſi ſunt. Prouincia pace et quiete fruens, opibus aucta, Quicquid autem ab illo conditum ſancitumque fuit, id per multas ſucceſſiones et aetates pro iuſtiſſima lege, et perinde ac ſi a quodam diuino oraculo promulgatum fuiſſet, apud Polonos cuſtodiebatur, Cum praeter inſitam legibus ab ipſo conditis naturalem iuſtitiam, etiam legiſlatoris honeſtas, et aeſtimatio illis ſingularem cultum, reuerentiam pariter atque metum adderebat, Tenuit autem in diebus eius Polonorum regio annis multis, finitimis omnibus aut eius prudentia et ſagacitate territis, aut bello perdomitis. Quapropter ſub principatu ſuo, et in antiquis oppidis, colonijs, noua conſurgebant tecta, et in vaſtis nemoribus noua erigebantur coloniae. Pluribus itaque annis Crak princeps Polonorum Rempublicam feliciter et prouide adminiſtrans, in ſenecta uberi, plenus dierum, hominem exuens, fato eſt interceptus, ad cuius funera cohoneſtanda, primi Polonorum proceres, caeterumque vulgus permiſcuum accurrunt et iuxta morem illius temporis cadauer ſuum in monte Lyaſſotino, qui Cracouienſi urbi conterminatus eſt, iuſto honore et comprobatione ſepeliunt, bustum autem eius quo esset durabile et perpetuum, et nulla illud edax posset abolere obliterareque apud posteros vetustas, Sabulo monti, in quo conditus est, arte et ingenio superexcito, duo fily eius, a patre, dum adhuc viveret spirituali mandato edocti, ad tantam perduxerunt altitudinem, ut collis ipse omnibus vicinis sit celsior et sublimior suo cacumine, humano elaborato opere; et tanti viri Sarcophagum, et progenitorum Polonorum, pro traducenda nominis sui ad posteros memoria, et tribuenda illi immortalitate, etiam in hoc tempus favorem ostentet. Qua etiam sepulchri editiores formatio, Romanum cum fuisse convincit, ut ea fabrica conditorem urbis Romulum, sepulchrum, in collis modum ex petra congestum, habentem, pro viribus exprimeret.

CZECHORVM gens, apud quam Cracus pro sua industria et virtute, etiam principatum memoratur gessisse, Lubussam unam ex tribus filiabus, quas Bohemis relinquebat, in dominam et principem assumit, quae saltudinum populi iniquo animo imperium muliebre ferentis sollatura, rusticanum quendam hominem, ruri et agricultura vacantem, boves et aratrum relinquere coactum, Przemysl nomine, in coniugium et in regnum accersijt. Cuius successio et posteritas in plures filios et nepotes derivata, usque ad tempora Joannis caeci Luczemburgensis Bohemis imperavit, in Vuentzlao Rege apud Olomuncz occiso extincta, licet septennio integro, regimine Premislai uxore Lubussa fatis intercepta, faemina Valasca virgine duce, Amazonum morem et ingenium sortita, clarioribus aliquot viros et eorum exercitus sterminio perturbassent, dolo magis et astu, per Premislaum tandem debellatae et confractae, quam viribus

Expletae

EXPLETIS diebus luctus, quibus animos, di primoribus Polonorum super morte Graci, iusta etiam funeri persolvimus, erant occupati, ad surrogandum in thronum Gracij alium Principem curas intendunt. Reliquerat autem Graccus duos mares, Graccum, et Lechonem, et tertiam filiam Vandam in spem successionis genitos, hosque moriens Proceribus Polonorum commendaverat, enixis precibus rogans, ut beneficiorum suorum memores, prolem suam dignam principatu indicarent, unumque ex filiis in sede sua constituerent. Minor itaque natu Lech, maiorem natu fratrem Graccum sibi in principatus successione tum ratione primogeniturae, aetatisque magis maturae, tum ratione benevolentiae et praestantiae virtutum, et morum, quibus germanum antecibat, metuens antiferri, et se contemptum iri, temporis opportunitate servata, fratrem maiorem natu clandestine obtruncavit, et laterum cadaver pressum sabulo abscondit, et ne ob parricidij crimen excluderetur a regno, fratrem mentitur venationi operam dantem, et audacius quam sat erat in belluas grassatum, occisum, relationi quoque quo facilior daretur credulitas, fletus, lachrimas admiscet. In hunc morem Polonorum proceribus circumventis, et delusis, Rex ab eis constituitur, et primus illi decernitur principatus. Quem cum annis pluribus tenuisset, et non minori illum omnis Poloni, quam parentem coluerant fide, obedientia, et devotione: perpetrati fratricidij scelere, primum secretis rumoribus gliscenti; ex post vero certa indagine illustrato, patefactoque, omnibus invisus esse coepit, tantumque odium procerum Poloniae in eum ob inhumanum scelus et immeritam fratri necem conflatum est, ut illum a sede principatus deicerent, et perpetui exilij poena in detestationem et horrorem facinoris per eum admissi, mulctarent. Non indecori ob eam rem commendatione dignum, quod parricidij ambitionisque reatum, aequissimo expiaverunt remedio, nec passi sunt, tam atrocis piaculi authorem sibi diutius imperare. Alijs placet Graccum secundum praefatum, neq. exilio neq. alia paena pro patrato fratricidio punitum fuisse, sed divinitatem omnium iniuriarum ultricem, prolis faecunditatem, illi, et subditorum charitatem et benevolentiam ademisse, quapropter tam conscientia in fratrem necis furijs, quam Polonorum iustis odijs vexatus, maerore et anxietate contabuit. et nullo memorando edito actu e vita inglorius et detestandus discessit. Utcunque tamen sit, certum est illum nullo superstite relicto herede obijsse.

VTROQVE Gracchonis filio absq. liberis ex humanis rebus assumpto, Principatus Polonorum gubernacula unica filia Gracci, quae Vuanda, quod Hamus in latino sonat, nominabatur, Polonorum universali consensu delata sunt, tantus enim amor Gracci apud omnium Polonorum pectora insederat; tantum probitas eius, et in amplianda, defendendaq. patria, virtus recenti memoria virescebat, Accedebat formae tantus decor, et omniũ lineamentorum tam venusta speciositas, ut omniũ intuentium in se mentes affectionesq. solo aspectu converteret. natura dotes suas munere prodiga largitate in illa diffundente; unde erat ipsa forma pulchritudine, ut nomen nacta erat, cum rutilantia speciei suae, singulos quasi hamo in sui amorem admirationemq. converteret, venusto vultu, aspectu decoro, eloquens in verbis, atq. omni pulchritudine composita, auditoribus dulce praebebat alloquium, Spes autem omnium procerum Poloniae mentis haud dubia tenebat, principem aliquem prudentia et divitijs insignem, quo amplior Polonia regionibus dominiorum vicinorum proveniret accersisse, Vandae virgini, quae usq. in demillam quoslibet procos repudiaverat locaturos, enim plures illam quam ante, formae excellentia, et dominorum amplitudine illo eti, verisimiliter forent procaturi. Sed haec regni paterni solium sortita, alto magnoq; animo omnium eam procantium, praesertim invis sui se fastam videns, repudiabat connubia, et tam salubriter, tam provide, et iuste singulas Reipublicae Dominii sui regebat, gubernabatq; partes, et singulos eius facundias et industria excelleret in stuporem, mirantibus cunctis, et ut quadam assertione usurpantibus, virilem animum in sexum muliebri insedisse, dum et sapientes maturiq; viri sententias quoq; suas magno exciperent praemio, et hostiles animi eius aspectum et faciem succumberent.

Cum sub regimine et auspiciis Vandae, Polonorum res, atq; opes florentes essent, Almanorum ea tempestate Princeps Ritegarus, et genere et potentia illustris, et regno Polonorum vicinus, opinionem celebrem Vandae virginis, quae per ora multarum regionum sonabat audiens, et sperans tam illius forma, quam Polonorum Regno potiri, procos mittit solennes Vandae nuptias sub belli denunciatione petituros. Sed cum a Vanda, quae caelibem vitam se custodituram denunciaverat, aliquoties promissionibus et precibus nequicquam resumptis, vacui redissent, Almanorum princeps Ritogarus intelligens virginem Vandam precibus et oblationibus amplissimis frangi, et ad tedas coniugalis pelliri non posse, dolens quoq; se contemptum et repudiatum iri, collecto ingenti exercitu Poloniam intrat, quod precibus non poterat armis confecturus. Nisd autem Vanda Polonorum regina, rumore belli territa, sed copiis Polonorum in unum celerrime educto coactis exercitui occurrit Almanico, copiamq; facit dimicandi. Substitit paulisper Ritigeri animositas, et precibus certandus permilius quam armis atendum ratus, aliquot ex purpuratis suis ad Vandam virginem armis dimicare paratam transmisit. Horum expetit, divitias suas numerat, potentiam ostendit, minas subvehit, existimans fæmineum animū utrunq; vel precibus vel minis frangi et emolliri posse. Oratum, inquit ad te Regina Vanda nomine Principis nostri Ritogari venimus, parem te ut illi thori coniugem largiaris, sponsum habitura virentem, opibus et potentia pollentem, amplissima tibi largiturum dotis munera, si tuum assensum suo non negaveris coniugio, si minus, armis te ad id impulsurum. Illa in deus fidus constantis et virilis animi fæmina, Dicite (respondit legatis) tenuis sortis et coniugij indiga vestro Principi mulier visa sum, ut regni mei celebritate et potentia deposita, gravius quoq; iniuria, quam regno meo invaso intulit infertq; oblita, me illi subditam iri cum regno consentirem? Proinde renunciate Duci vrō et suum et cuiuslibet alterius connubium mihi perosam esse. Satius quoq; ducere, dominam me, quam dominantis coniugem appellari, bellum mihi indixit, bellum paret, turpe putet stando acie, et virum et Principē omisso Marte in Venereis transigere; armisq; neglectis coniugalia tractare. Quo responso edito, signa canere, et suos armis correptis iubet in aciem descendere Sogbilem, et superbam denunciationem sibi a legatis ingestam, victricibus armis humiliatura.

Verum dum Almanorū milites præcipui vultum Vandæ Polonorū Reginæ diligentius contemplati fuissent, volentes experiri eorum quæ apud eos fama de singulari eius pulchritudine vulgaverat veritatem, omnium subito corda tam eorum qui viderant, quam cæterorum, qui a referentibus audiebant, mollita, et in quandam tabem soluta sunt, ut omnes convenienter certamen futurum, quod et pro causa iniusta, et cum exercitu potentiori gerendum censebant, aperta publicaq; denunciatione detrectarent, asserentes se sacrilegiū et horrere non prælium, nec velle pro causa noxia et

impiā

impsia, notorium subire discrimen a certaminis loco diuertunt, in castraque reuersi, nullá poterant ad decernendum aut castigatione aut ~~armis~~ persuasione arma resumptis induci. Vehementi itaque moeroris afflictu ac doloreque Princeps consternatus Almanorum Rytogarus, quod omnia ei secus quam sperauerat, cesserant, ne ad penates redire cogeretur inglorius, a vicinis quoque ludibriorum pati cogeretur opprobria, qui illum solo muliebri aspectu commentarentur deuictum, fati eum praeoccupandum statuit. Conuocatisque militibus, ait. Quoniam inquit a vobis desertus, omni morte amarius iniuriam hanc reputo, et qui bellum viro inferebam, sum bello superor. Vanda enim mari, Vanda aeri, Vanda terrae imperans, Deorum immortalium voluntate, vos effecit pauidos et imbelles, corda quoque vestra solus eius conspectus infascinauit, et in vestrum meumque dedecus perpetuum conuertit. Ego tamen ob socios et commilitones meos pro vobis solennem hostiam inferis me ipsum deuoueo, hanc tamen vobis a Dijs quos scio quos desero, imprecor sortem, ut tam vestra, quam filiorum et vestrorum nepotum progenies, pro expiando scelere in me admisso, sub foemineo consenescat imperio, gladio, quem acumine contra se verso, gerebat, corpore inermi incumbens, vita expirauit. VANDA autem cum primoribus Almanorum foedere celebrato et inito, maximoque bello eius voluntaria extinctione confecto, exercitum incolumem cum triumphali pompa Cracouiam reducens, cum magna reuerentia et solennitate recepta, pro tam magnifica et insigni victoria, pro tam felicibus successibus, quibus in omni vita sua supra caeteros mortales abundabat, primum Dijs suis ad omnia puluinaria per dies triginta supplicationem pro re bene gesta decreuit, qua vite expleta, se ipsam spontaneam victimam Dijs offerendam statuit, errore illius saeculi lapsa, quo tale quid gratum Dijs arduumque et heroicum facinus putabatur, simulque ne actionum eius uniformis splendor et felicitas aliquo casu adverso fuisset caligata. Proceribus itaque convocatis Polonorum, victimis per prius caesis, et sacrificio more patrio rite peracto, in quo et gratiae diis praestitis donis exolvebantur et imprecabatur precatio, ut sibi partes meliores conciliarentur apud inferas sedes, de ponte in amnem Vislam saliens, undis fluuij praefati Visla se donat, quibus praefocata mortem oppetijt, ac supra fluvium Dlubnia uno a Cracovia milliari in campo sepulta. Res apud posteros plus admirationis habitura, quam fidei. Sepulchro quoque eius honos, qui paterno servatis, terrena enim ~~molle~~ simplici colli in altum erectus, bustum suum illic in hanc diem testatur, a quo, et loco nomen Mogila inditum est, quod munus supremitatis tam Gracco, quam Vandae pro merito nemo a Polonis debitum ambiget, tale enim utrique perpetuitati celebrandum decreverunt. Fluvius insuper Visla cognomine a Vanda Regina Vandalus sortitus, gentes quoque Poloniae ab illo a plerisque scriptoribus et gentibus Vandalitae nuncupantur, licet vetus fluminis nomen novo non sit abolitum, quod Albula qui nunc Tiberis Romam perfluenti, a Tiberino in eo submerso, legimus contigisse.

PREMISLAI principatu per mortem apud Bohemos finito, duobus filiis suis immaturo funere absumptis, tertius morienti seni Premislao succedit, Nimislaus nomine, segnis, et in omnia tardus, et piger, mollis quoque et lasciviarum sectator. Nimislao Mnatha successit, quo excedente, duo filij sui Unislaus, et Wratislaus successere, quorum alter videlicet Unislaus, apud Pragenses, alter Wratislaus apud Zathorenses patre ordinante dominatum sortiti. Ex Unislao natus est Crzymislaus, qui et Nyeklam dictus, vir pavidus et ignavus, cuius ignaviam patruus suus Wratislaus animo metuens, et universam ditioni suae Bohemiam subijcere destinans, in nepotem, (cuius enim pater obierat) movet arma, et plurima adversus eum feliciter gerens, in finale nepotis, et gentis, quae illi parebat, lactentibus etiam non parcens, excidium grassabatur, et pugna acerrima in campo, cui Thusko nomen, est commissa. Vincit Neklam patruum suum Wradislaum in locum suum Sdercio, corpore sibi perquam simili, sed animo et fortuna dispari, in Ducem constituto, et universas illius copias confligit. Ambobus autem Ducibus videlicet Wradislao et Sdercio in huiusmodi conflictu cadentibus, Neklam rerum summa potitus est, inventusque Wradislai filius impubes, principi Neklam traditus, qui misertus pueritiae, et aetatis, educandum illum Durnygo, quod patri pueri amicissimus erat, tradit, qui caeca cupidine captus, tanquam gratiam Przimislai initurus, caput puero piscatura operam danti aufert, atque illud ad Neklam defert, asserens se puero necato, solium suum firmavisse. Verum Neklam impium scelus perosus, obiurgato carnifice, quod illum neque amici memoria, neque innocentis pupilli miseratio a scelere revocaverit, Durnysum in patibulum egit.

PRINCIPATUS iugo ex morte Vandae Poloni soluti, ad formandum libertatis statum omnium aspirabat intentio, haec est enim omnium rerum quidam instinctus, et vicissitudo, ut praesentibus et recentibus in quibus versamur, ea quae non attigimus, vel discernimus, credantur potiora. Abrogato itaque unius regimine et principatu, duodecim praefectos iuxta rationem provinciarum, quae tunc regno Poloniae subijciebantur, creant, eosque vulgari suo Woiewodas id est exercituum ductores appellant, illisque regimen provinciarum et bellorum administrandorum committunt, ut pro defendenda patria, tutandaque ab hostili invasione, diligentes excubias facerent, et quoties id exigeret necessitas, delectus agerent, et vocarent quoslibet ad arma, copiasque in hostes ducerent, et disciplina quoslibet contumaces et rebelles coercerent, pace autem reddita, iura populis subditis redderent. Quae consuetudo illo tempore coepta per multas successiones traducta etiam in hanc diem apud Polonos manet, et vetusti priscique temporis speciem praefert. Nam quilibet ducatus et provincia Woiwodam seu palatinum salariatum ex publico habet, qui et maiores causas suae provinciae cum aliquibus aliis magistratibus illi pro consilio iunctis, iuxta iura Polonorum municipalia constituto iudiciorum tempore decidit, exercitum suae provinciae ad bella prodeuntem lustrat, gubernat, et praecedit, exulatis et proscriptis dummodo iuri parere se astringant, salvum conductum largitur, ministeriales publicos creandi, coetusque et conventiones particulares suae provinciae celebrandi, pondera, et mensuras instituendi, caeteraque quibus regulatur, relevatur, et gubernatur provincia, sibi et non alteri est attributa iussu regio facultas. Unde et maiores natu, qui crassiora sortiti sunt ingenia, ad gerendum hunc magistratum exquiruntur, cum ex illis salus vel pernicies Reipub. dependeant. Funguntur fere eadem authoritate sub regibus et principibus, quibus stante libertate, et imperio Regum ac principum abrogato, fungebantur. Regebatur autem Polonorum provincia per huiusmodi duodecim ~~viros~~, Woiwodas et praefectos annis multis, unoquoque Woiwodarum praedecessorum vestigiis pro administranda iustitia, pro defendenda patria, et libertate operam navanti, ne gravior cuiusque Polonorum offensio dissidium creandi principem animos incenderet, et statum libertatis, quo res eorum publica et privata diu feliciter infloruerant, pessundaret.

Stanti.

STANTE florentiq; Respub. Polonorum sub gubernatione duodecim Palatinorum seu praesidum annis multis, rursus dum Poloni novi ingenij humani gubernationem Palatinorum pertesi, desiderio novi principatus tenerentur, credentes se sub eius regimine magis feliciter victuros, temporis opportunitate ad explendum grandium iam et maturum desiderium sunt adiuti, duplex enim et utrinq; in grandi et frequenti numero ex Pannonijs primum, deinde ex Moravia, quibus caeterae nationes praebuere solatia, in Polonorum regiones concitatus hostis copias educebat, Polonos, sui iuris, adempta libertate, facturus. Quibus etsi Polonorum turma sub ductu et auspicijs suorum Palatinorum occurrissent, et praelio conferto pro viribus dimicassent, laevam tamen et adversam fortunam experti, et cladem hostilem aliquoties perpessi, de summa rerum caput illos anxietas et formido, dum hostes continue pallantes per agros praedas agerent, et libera licentia vagarentur. Omnibus itaq; Rempublicam, Polonorum exercitibus deletis, hostibusq; diutius grassantibus, existimantibus amissam, vir unus restituit, hancq; retinuit. Erat ea tempestate inter Polonos vir quidam impiger, Przemysl nomine, industria, disciplinaq; militaris, aliquanto quam pro sorte, in qua erat, expertior, ingenio deniq; atq; industria, quam prosapia generis maior, iustitiae opinione insignis, ac apud vulgares propterea celebris, et vir multiplici praestantia clarus. Quare is certiori spe Polonos, quam qua oculis subijci posset, impleverant, cui ad naturalem indolem frequens praeliorum, in quibus militaverat, accesserat exercitatio. Is cum apud hostes omnia negligentius agi explorasset, ad consilium magis dolosum, quam audax animum adiecit, et secum tacitus circumspiciens, diuq; agitans, quanam arte hostibus superaretur potentia, quam languidis suis viribus arbitrabatur frangi non posse, solerti rem insolitam animo exagitat, et vani terroris, variaque ad pugnam simulationis instruit apparatum. Simulachra siquidem galearum, in crebra multitudine; in collibus, castris hostilibus confrontatis, primo mane solis orienti ordinat suspendi, quarum reverberatio solis causata radijs adeo hostilem exterruit exercitum, ut universi certatim armis utcunque comprehensis, nulla lege, nullo ordine servatis, illuc ubi micantis galeas viderant, pervicaci cursu convenerunt, novam victoriam de Polonis relaturi. Verum dum ad loca in quibus ab illis simulachra galearum conspecta erant, pervenissent, et nullas illic Polonorum acies, sed nec primo visas galeas, Crepenti enim illas, exercitum Pannoniorum et Moravorum armari videns, ac temi illos ob eius quam conceperat opinionis causa Przemysl sub duci mandaverat, compensissent, diffugisse Polonos, qui apparuerant, rati, solutioribus ordinibus in stativa revertuntur. Przemysl vero occasionem bene gerendi belli quam quaesierat, se videns magis simultate et arte, quam veris viribus consequutum, Polonorum milites, qui se illi iunxerant, animat, hortaturque ad pugnam, certam illis spondens si et ipsi quoque adiecerint ad vincendum animos, victoriam. Atque ita illis acerrimum ad triumphandum conceptum infundens, ut ea aggredi auderent, quod non ausuros eos hostis verisimiliter rebantur, a tergo et a lateribus somno stratos et corpora curantes prima vigilia hostes aggressus, fortissime et audacissime alienatis a memoria periculi Polonorum sensibus, et hostium tela intrepide excipientibus, dimicat, et plurimis occisis, caeteris omnibus metu nimio perculsis fugientibus, hostiles copias cum paucis prosternit, et devincit, castraque hostium pluribus rebus et spolijs referta capit, praedamque illic repertam militibus concedit. Facile hostium fugientium multitudo poterat deleri aut capi. Sed

Przemysl patriam liberasse, et hostem vicisse contentus, fugientes insequi vetuit. Tantus autem ob defensam liberatamque patriam erga Przemyslaum amor esse caepit, ut tam militari quam vulgari favore, dignus imperio acclamatus, mox in Polonorum Monarcham et Principem, universorum suffragiis et consensu crearetur. Ab eo autem tempore priore nomine abrogato Lestek appellatus est, quod signat vafer, et dolosus, eo quod astu vafricia et calliditate magis, quam armis et robore, hostilem et aliquoties victorem exercitum superavit, sive quod magis verum reor, ne quid illi ad conditionem et authoritatem Principis deesset, nomen vetus et commune Principum Poloniae ei impositum, quod a Lechone primo caeteri Principes ex eo descendentes appellatione diminutiva, quae singulis fere gentibus in usu est, vocabant Leschones, non Lechones, quod quidem nomen in generationibus Principum Poloniae in tempora nostra traductum perseverat.

LESTKONIS seu Przemislai principatu annis aliquot continuato, et felicibus successibus finito, nemo enim in diebus suis ausus fuit regionis Polonorum bello publico, prius ante eo invadere, Pannoniis et Moraviis magna clade perdomitis, novum inter Polonos de surrogando Principe subortum est dissidium, nova et varia post mortem suam generata sunt principatus studia. Praefatus enim Przemislaus seu Lestek nullam suae posteritatis in virili aut foemineo sexu reliquerat progeniem, propter quod illo mortuo ad occupandum principatum plurimorum animi variis respectibus incitati aspirabant, alium enim instigabat genus, alium divitiae, alium facultates, alium industria alium consanguineorum crebra supellex, alium maiorum clarae imagines, hinc quoque effectum est, ut postquam comitiorum dies ad eligendum novum Principem advenisset, varia quoque ambientium principatum apparuerunt tam studia, quam ingenia, quorum unusquisque ab se iuxta vires rapere conabatur. Pluribus itaque diebus super novo eligendo Principe nequicquam consumptis, intendebatur amplius quam remittebatur potentum illorum ambitio, nec finis monstruosae electionis, suffragijs eligentium in plures divisis, alijs alium ordinari cupientibus, sperabatur. Ne tamen ex factum eligentium disturbium, quod in apertas et publicas contentiones atque schismata, aemulationi eligentium, crebra etiam strage et interitu multorum propterea subsequuta, veritum est prodiisse, in universa Reipub. vergeret atque serperet periculum, et discrimen, post longas altercationes ad sedandum exortum disturbium, haec via consensu omnium reperta, captaque est, ut in certo tempore ad id constituto et deputato firmaretur columna, quam omnes Principatum Polonorum ambientes equis distinctis, et varias maculas seu colores in corporibus habentes, velociori quo possent cursu a designando et praefiniendo loco peterent, et quicumque ex currentibus primus columnam attigisset, is Polonorum regimen et Principatum contentione cuiuslibet cessante pernicitationi cursus sortiretur. Ad assequendum itaque per hanc viam, in qua cuiuslibet fraudis et doli nullatenus posse interponi credebant materiam, utilem et idoneum rectorem, campestris planities de prope civitatem Cracovien. versus fluvium Prandnick sita, et prospectum habens uniformem, placidum, et virentem, eligitur, columna figitur, spacia cursorum certis signis et terminis praefiniuntur, singula impedimentorum obstacula removentur, senes et grandaevi proceres, puri et sinceri ad inspectandum iudicandumque currentium merita eliguntur, nobile bravium Principatum videlicet regni Polonorum victori et athletae collaturi. Verum ut est ingenium humanum nullis cautelis circumscriptibile, facili via capta est, per quam studijs humanis repertum decretum, dolus supergrediens perveniret. Vir enim quidam vafriciarum et ingeniorum plenus, qui inter petituros, per cursum, Polonorum Principatum, ardentior, ambitiosiorque habebatur, Lestek nomine, omne campestre spacium, quo ad columnam currendum erat, nocte intempesta, sine arbitro, ne a quoquam prodi vel vulgari facinus posset, ferreis oxigoniis caute replet, et sternit, viridi zabulo, ne posset notari, superiecto, una tantummodo laterali semita, per quam sibi currendum credidit, sine oxigoniorum labe et stramento relicta, et certis tantummodo signis sibi notis discreta. Quo facto, non sine ingenti gaudio comitiorum diem, principatum non dubitans ad se perventurum, operiebat. Interim autem artificiosi elaboratum ingenium casus prodidit, duo siquidem adolescentes fortis tenuis et obscurae ad locum palestrae solaciandi gratia egressi, ludicro facere inter se paciscuntur, pedestri cursu et citimam columnam locatam se petituros, eo praemio proposito, ut victus victorem semper regem et nominet et salutet. Verum destinatum pactum impleturi, in ipso mox primordiali cursu oxigoniis ferreis plantas laedentibus prohibiti, subsistunt, ac universam illam planitiem similibus ferris stratam reperiunt, nihil tamen de his, quae casuali deprehensione invenerant, vulgandum rati, rem omnem silentio premunt. Cumque comitiorum dies advenisset, et plures tam viri quam adolescentes indiscoloribus equis fortunam experturi advenissent, ad palestrae locum per eos quibus summa rei cura mandata erat, deducuntur, universa nobilitate et plebe Polonorum ad tam grande et rarum spectaculum infrequenti numero, exitum novae rei spectatura, concurrente. Constitutus Idibus Octobris dies^{2} ^{1}currentibus, circumscriptum ex omni parte spectaculum, stratus arena campus, extructum proceribus et primatibus Regni solium, populi qui undique spectatum convenerant, ora mentes, oculos, in currentes converterant, quibus multiplex ut sit metus, favor, misericordia, et studium, iuxta affectionum qualitatis iuvant. Cumq; omnium regnum petentium ex pari incitatus esset cursus, universorum equi laesuram Oxygonorum, quos nullatenus vitare poterant, passi, primum respitant, subsistuntq;, et ad extremum concidunt, sessoresq; suos vehementius illos urgentes deiiciunt, remorantur, aut sternunt. Solus Lesthio Oxygonorum dolosus iactator, qui et ungulas equi sui babatorum ferramentis undiquaq; accuratius sepserat, ut etiam Oxygonorum, si in illos aliquo eventu incideret, refellisset acumen, semita non infecta gradiens, primus et solus non sine comitū et spectantium stupore et admiratione ad columnam equis et prior pervenit, et columnam velut victor et athleta apprehendit. Sed nec alter ex duobus adolescentibus, quos pridem Lusabij patio cucurisse monstravimus, qui pauciora ab Oxygonis vulnera contraxerat, iamq; sanitati redditus erat, palestram illam negligendam duxit, quinimo equestri termino ad currendum dato, excessoq; tempore mox et ille circo arenali et cursu obliquo non sine populari vel euloga vociferatione, et cachino, pedibus concito rapidoq; cursu ad statuam secundus pervenit.

Quamvis autem Lesthio primus in equo marululoso iuxta condictum ad columnam pervenisset, et Rex Princepsq; ab universis consalutatus esset, mox tamen per competitores suos, dicendenti incusatur fraudis, causamq; dicere coram iudicibus ad inspiciendum constitutis currentium merita, est compulsus. Producuntur autem in evidentiam patratae fraudis omnes equi sui quatuor ungulae, ferro undiq; circumvolutae, illoq; evidenti documento Strator Saltatorq; Oxygonorum et publici instituti vafer temerator esse convincitur, omniumq; iudicum concordi sententia ambitus reus, et doli artifex damnatur. Damnationis autem in illum prolato decreto, a competitoribus suis quos fefellerat, et caeteris qui illius exquisito vexabantur facinori, membratim laceratus et discerptus est, fraudis suae parum meritam pendens atroci supplicio. Concordi autem universorum instinctu, et acclamatione, adolescens ille qui pedestri cursu statuam cocabundus contigerat, dignus principatu indicatus, in thronum regium extollitur et sublimatur. Et sibi quamvis sortis ut praediximus esset obscurioris, singulorum undiversu defertur principatus, decernentibus cunctis, sincere illum iuxta easdem leges principatum meruisse. Ne quid autem ad principandum priscum nomen officeret, abrogato vetusto Lestek vocatus est, celebre enim id nomen apud Polonos protunc habebatur, et etiam quos in principatus dignitatem assumerent, illo, quasi quodam charactere, insignirent. Sic pro uno eodemque tempore et sacrosanctae Regiae Maiestatis magistratus, et fraudulento ambitiosoque homini cum sua poena negatus est et humili simplicique viro cum summa eius laude collatus, verificatumque tum est de vidue scriptura eloquium. Multi consederunt in throno, sed insuspicabilis portabit Diadema.

OBSCURAM autem sortem conditionemque suam in fastigium regale mirabili providentia divinitatis evectam, tantis Lestek Secundus extulit operibus, tot virtutes illustravit actionibus, ut non in rusticano tugurio natus sed in regalibus thronis parentibusque ingenuus ortus crederetur, animus ille liberalis, vastus, et insuper, audaciaque ferax, quo non solum vicinorum hostium domicilia sua innudantium impotens repressit, sed etiam Pannoniis Moraviis, Bohemis, Teutonicis, aliisque in circumvicinantibus bella ultro intulerit, in quibus gerendis solertia et felicitate usus, nonnullos hostium magnis

praeliis

prælijs fuderit, cæteros terris et fortunis multauerit. Si quando vero forinsecus hostis deesset, ne militum corpora longa quiete hebetata languescerent, curias indiceret, ludos hastarum, et simulacra pugnarum, cæterosque actus militares instaurat, victoribus et athletis præmia proponit, et ea cum magna animi alacritate interuenientis partitur. Quæ quidem actuum militarium et luctarum continua instauratio, et exercitatio illi apud viuentes milites magnopere procurauit, et milites ad gerenda bella continua armorum exercitatione atque vsu effecit constantis atque pronos. Tanta insuper liberalitate et in domesticos et in aduenas resplenduit, vt sæpe maluerit ex largitione egere, quam per tenacitatem ex abundantia ditescere, nullum bene meritum remuneratione negligens, aut petenti aut egenti patrocinij sui suffragium recusans, vt non Rex sed omnium indigentium saluberrimus prouisor putaretur. Parco autem et castigato victu contentus, maximus ebrietatis et crapularum osor habebatur, mensam denique suam admiranda prouidentia parsimoniaque venustauerat, vt omnibus quidem vescentibus dapes sufficerent, ingurgitationes vero et crapula procul abesset. Exigua hæc forsitan et minus admiranda in Principe viderentur, nisi et his omnibus vnum specimen virtutis cætera supergrediens adiecisset. Eam enim animi continentiam, modestiamque, quam dum priuatus esset, a virtute mutuatam an a natura datam incertum est habuerat, in regalem fortunam pertulit, eiusque vsum in omni tempore vitæ suæ seruauit. Sæpe quidem in ædibus publicis quoties illum clamide regia vestiri aliqua necessitas impulisset, totiens pannos et vestes hirsutas et ignobiles, in quibus suscepit regnum, super lectum suum in eminentiori loco iussit extendi, quatenus habitus ille originariæ sortis sibi renouaret repræsentaretque memoriam, et ipsum vitæ necisque cunctorum creatum

dominum

dominium insolescere non sineret, cuiuslibet pompae arrogantiae, et iniuriae sibi transgressione interdicta, ab initio principatus usque ad vitae exitum humanus et clemens, humilitatem generis originarij, neque unquam inficiatus est, quinetiam in delicijs tulit, atque in facinus pulcherrimum, quod illi in eam principatus amplitudinem ex sorte humili emersi et [illegible] contigisset

IVSTO et modesto regimine dum apud Polonos annis multis Lestkoh Secundus, victoriose et feliciter imperasset, longaevo senio confectus, ad maturam aetatem perveniens, vita excessit. Nonnulli asserunt hunc Lestconem in praelio cum Carolo filio Caroli Magni inito, victum et occisum, ita enim reperi Martinum Gallicum de eo scripsisse, Anno Domini octingentesimo quinto, Imperator Carolus misit Carolum filium suum in Poloniam qui depopulatis omnibus ducem terrae illius Lechom occidit, indeque reversus ad patrem in Wosego sylva venatui studentem invenit. Ex quo quidem constat Polonos et tunc et in antea bella et cum Imperatoribus et Regibus finitimis gessisse, sed quo tempore, quo ordine, aut qua fortuna, quibusue viribus, propter literarum et scriptorum, quibus tunc Poloni veluti gentiles caruere, penuriam, parum constat. Sive itaque naturali, sive violenta morte Lestko decederet, unicum filium sui nominis Lestconem tertium Polonis pro haerede reliquit. Qui ob patris praestantes actus et merita, in solium paternum dignus inauguratus est succedere, nihilo autem paternis moribus, quibus peroptime fuerat institutus, inferiorem se gerens, celebris fama, virtutibus et gloria apud suos et exteros adeo habebatur, ut patris virtutem et merita transcendisse magis quam aequasse putaretur, plurima hic bella cum finitimis gerens, nomen et gloriam gen tis suae, et suum plurimis Heroicis nobilitavit operibus. Quasdam quoque Polonorum Regni provincias sua prudentia et bellica virtute vacillantes, et res novare cupientes in fide continuit motusque earum compressit, quasdam etiam denuo expugnatas suo adiecit imperio. Crebris autem vicibus a Pannonijs, tum per Graecos et Italos bello lacessitis, magnis precibus et largitionibus pro administrandis bellis invitatus, legiones Italorum et Graecorum, frequentibus victorijs fudit, gentemque Pannoniorum, qui et ipsi Slavi sunt, ne Graecis aut Italis tributaria fieret, tam suo et exercitus sui robore quam arte militari, qua pollebat, providit.

Ex legittima autem uxore unum duntaxat filium, nomen ei Pompilius imponens, progenuit, quem in spem futurae suae successionis, adhibitis magistris et curatoribus, dignis moribus et virtuosis institutis providit educari, Ex pluribus autem pellicibus viginti filios omnes mares suscepit videlicet Bolislaum, Casimirum, Wladislaum, Wratislaum, Oddonem, Barnimum, Przibislaum, Przemislaum, Jaxam, Semianam, Semovitum, Semomislum, Bogdalum, Spizignevum, Spizmirum, Sbignevum, Sobeslaum, Vuismirum, Cosmirum, et Vuislaum, Veritus autem Lestsch ne eo ex humanis rebus absumpto, super dominijs et principatibus suis contentiones et bella sanguinisque profluvia inter filios consurgerent, filium legittimum Pompilium Monarcham et regni Polonorum dominum constituit. Caeteros vero fratres suos, naturales, suae subjicit obedientiae et servituti, et iureiurando constringit et obligat, mandans, ut sibi in omnibus pareant, et illius tribunal atque superioritatem recognoscant. Partitur autem inter viginti filios praedictos omnem maritimam et Slavorum et Rugianorum, Paloborum, Obotritorum, Varrensium, Casubitarum, oram, versus Misnam et Vestphaliam, et Oceani fretum se protendentem, et omnes regiones Polonicae sive Slavi sitas inter flumina Albiam et Habolam, et cuilibet congruam assignat portionem, Qui in illis plurimo tempore principatum gerentes plures urbes castra munitiones atque castella ex suo nomine condiderunt, quas etsi natio Theotonica successione temporis occupasset, occupetque in praesens, vetus tamen urbium, castrorum, et locorum, quamvis in Almanicum transformata manet etiam in hanc diem appellatio videlicet Buchow Dobin Zbrena Mihelburg Lunemburg Aldemburg, Raczesburg. Sigeburg, Plunen, Slesunik, Illow, Zuerin, Malechow, Rostokh, Luczin, Vuerle. Occupatę autem sunt terrę et regiones Slavorum pręfatę una cum castris et civitatibus per Saxones, Westphalos, Holandros, Frisones, aliosque Theutonicę linguę populos et successive principes, optimates, nobiles, et proceres, pręfatarum regionum, ab Almanis exterminati et eiecti. Ad extremum Niclotus Princeps Slavorum cum duobus filiis Przibislao et Vuarczislao ab Henrico Leone duce Saxonum deleti, in villis tantum et rure, Slavi rusticani generis habitant in hanc diem, nec aliam linguam nisi Polonicam seu Slavicam licet corrupto et in pluribus mutato propter commixtionem et vicinitatem aliarum linguarum et nationum idiomate sonant

MENTIO de filiis naturalibus Lestkonis facta admonet me, ne illorum principatus, et dominia, urbesque a se conditas et populatas absolvam silentio, quatenus posteritas Polonorum intelligat quantum sit Polonorum Regionibus per nationem Almanicam detractum, cum omnes illas oras atque provincias Almani sui iuris fecerint, licet adhuc in villis et rure Slavonicum genus et lingua vigeat. Cesserat itaque Bolislao primogenito naturali Lestkonis, Barwino et Bogdalo, Pomerania inferior. Casimiro et Wladislao Cassubia, Jaxe et Semiano, Serbia, Vuratislao Rama, Przybislao, Czesimiro, et Oddoni, Ditmarsia, quae nunc

Olsatia, Przemislao Semovito, et Semomislo Szgorzelicia, quae nunc Theutonice nomine Brandeburg appellatur. Aliis vero residuis fratribus quaedam sortes in huiusmodi provinciis consistentes, adiectis quibusdam desertis syluarum et nemorum fuere consignatae. Condidit autem Vuislaus castrum Medziborz quod nunc Meydburg dicitur. Sobeslaus castrum Dalen quod Dalemburg vocitatur. Vuissimirus castrum et civitatem in ripa maris Septentrionalis Wisimiriam ex suo nomine quae in hodiernum etiam diem Wisimiria nuncupatur. A ceteris haec castra noscuntur erecta, castrum Bremen in confiniis Vetstphalorum et Frisonum situm, et nomen istud excepit, Brzemie enim in Slavonico ~~pend~~ pondus denotat. Item castrum Luna quod hodiernus Lunbork vocitatur, in petra enim latissima quam utrimque latitudines planiciesque camporum ambiunt situm, nomen castro indidit. Slavi enim splendorem Lunae nocturno tempore interlucentes Lunam vocant, a cuius similitudine rupem in campestri planicie lucentem castrumque in ea fundatum Lunam vocaverunt. Item castrum et civitatem Bukowiecz, quam Almani Lubek appellant, licet per Slavos in circuitu commorantes prisco intitulatur vocabulo. Item Barkibor, item castrum Swerin, item castrum Lubow, quod quia a quodam Mikloue conditum, Theutonici illud Michelburg et principes qui in eo dominantur, Michelburgenses appellantur. A campor vero spaciosa latitudine in Latino Magnopolensis ex duobus integris, licet in duplici idiomate Latino videlicet et Slavonico compositum vocitatur. Item castrum Bylow a crassitudine terrae, Item castrum Rostokhi a dissolutione et inundatione aquarum Item castrum Vurla a crudelitate Item Zwanowo a vocando vocatus enim vel vocandus in Slavonico Zwany dicitur Item castrum Ostrow a loco insula in qua extat erectum

Item Stettin, Marlow, Bobel, Trzebiatowo, Wologoscz, Crasny, Wolinecz, pluraque alia castra, municipia, urbes et castella, quae a filiis viginti Lesthonis, filiisque eorum et nepotibus, circa Sarmaticum Oceanum et Septentrionale mare, paludibusque, insulis et desertis, fretum illud ambientibus sunt constituta et erecta, quae frequenti numero gentium propter maritimas opes et lucra involuntur et inhabitantur, novarumque urbium in oris illis varia consurrexit structura et habitatio numerosa. Illa enim Septentrionalis plaga quanto minus Solari ardore exuritur, et nivali geluque magis frigescit rigore, tanto salubrior corporibus hominum et ad producendum humanos fetus, et Germania aptior extitit.

ORDINACIONI LESTKONIS tertii, in singulis quae de filiis vivens consecraverat, paritum est. Legittimus enim filius suus Pompilius, tam fratrum quam universorum Poloniae procerum approbatione unanimi, et consensu, patre fatis absumpto in Regem et Monarcham Poloniae susceptus et surrogatus, universis viginti fratribus ex concubinis susceptis praestantibus sibi iuxta iusiurandum et patris decretum debitam obedientiam, et fidelem subiectionem. Firmato itaque Pompilius solio, viginti fratres ad provinciamenta, quas illis pater Lestko donavit, dimisit provincias quas extunc iuxta unicuique attributam industriam coeperunt administrare. Pompilius itaque sive Popiel suscepto Polonorum regno, montana sub quibus Cracoviensis urbs fundata extitit postponens, in campestribus et planiciebus delectari coepit, unde et sedem regni sui a Cracoviensi urbe transferens, in quibus praedecessores suos noverat habitasse, ad originariam priscorum Principum Poloniae Gneznam reduxit regiam. Sed cum Gneznensis quoque habitatio sibi ingenerasset fastidium volens principatus sui in posteros relinquere monumenta, in campestribus longum prospectum habentibus, nouam arcem, nouamque urbem iuxta lacus et paludes conduxit, eamque Crusviciam nominavit, et in illam continuam suam mansionem traiecit, principalem eam sedem Regni sui constituens, Ob quam rem urbs noua faciliter mercatorum et colonorum numero impleta, inter Polonicas urbes pro ea tempestate famosa et insignis habebatur. Quotiens autem aduersitate hostili aut vicinorum bellis Popieli aut Poloniae principatus invasus fuisset, totiens fratres sui et propriis personis et omnibus copiis illum contra quoslibet hostes iuuabant, non prius recedentes ad propria, donec aut hostes fusi, aut exorti motus conditione honesta compositi fuissent. Nullum autem opus egregium Heroicum aut insigne Popiel praedictus scriptus est edidisse, neque auita, aut paterna in administrando regno, in propagandis eius finibus, in exercendis militaribus actibus, in eo reluxit propago, sed parta tantummodo gubernare contentus, de coniuge legitima unico filio suscepto, quem suo nomine Pompilium appellavit, nondum ad senilitatem pertingens, in marcida et torpenti aetate morbo correptus vita decessit, nihil aeque ac timidus et [illegible] fuit, caetera in illo venerabiliora videbantur. Illud quoque criminosum et enorme, sive illud sibi natura intulisset, sive venturi mali omen foret, quod in omni sacramento atque execratione murium devorationem, quae successu temporum diuino iudicio permittente, secuta est, sibi deprecabatur, continuam In Latino idiomate vocatus Cinereus, in Almanico Offenrot. Circa annum incarnationis Dominicae octingentesimum creditur apud Polonos imperasse, et Monarchiam Polonorum Monarchus ipse per annos plures rexisse.

LANGVORE POPIEL principis viginti fratres eius qui ad maris Septentrionalis oram, et in Pomerania inferiori, Cassubiaque Principatus et dominia sortiti erant, ad se perlato, singuli de dominijs suarum habitationum egressi, propero cursu Crusniciam ad visitandum fratrem languentem conveniunt, sed fratrem Popiel postridie animam exalasse reperiunt. Super cuius morte non mediocri dolore consternati, plures fletus fundunt, corpus iuxta morem illius temporis honesto loco condunt, et honore debito funeralibus suis iusta peragunt. Ea autem in omnium pectore ad fratris filium quem unicum Pompilius superstitem reliquerat, reperta est affectionis charitas atque fides, ut quamvis potuissent probantibus ac proceribus et Primoribus Poloniae propter imbecillem nepotis aetatem, Regni Poloniae nancisci curatorum nomine administrationem, omni tamen ambitione circumscripta, nepoti Pompilio quamvis immaturo et parvulo regimen relinquere, quam illud in aliqua parte contingere maluerunt. Unde et tunc adolescentia nepotis in annos longiores minime expectata, ipsum in Regem et Monarcham Poloniae extulerunt, ac illi quemadmodum a patre Sacramento constricti erant, fidelitatis obedientiae Omagium praestiterunt. Dolebant autem aliqui ex eis, quibus omnibus illud caeteri mandaverant, et per certa intervalla maiorum quaestionum et causarum, quae ad Pompilium perferebantur audientiam faciendo, decisionis et coacta in curia nepotis domi adolescere benigna longanimitate morabantur, rati se Pompilio nepoti ex tam benigno assiduoque officio in illius tenera aetate impenso, postquam in virum evaderet, chariores

Sub diligenti et accurata patruorum solicitudine minor sensibus, annos adolescentiae supergressus, suo imperio et potestati, a patruis relictus, ab auitis mox coepit degenerare moribus, ijs rebus tantummodo intentus, quae parum commercij habere videbantur cum virtute. In omnia quoque praua, et scelesta, proclivus, turpis et flagitiosissimus habebatur. nulla in eo nobilis indolis, nullus actus, viro strenuo et principe dignus, nullū virtutis specimen, nullus honestatis amor, somno aut, crapulae, et ventri deditus, non Baronū suorū intererat consilijs, sed lasciuia petulantiaque deditus, in apparatissimis conuiuijs, intra hemdo ebrietatibus, in choreis plausibus, et choreis occupatus, post habita omni virtutis cura, serta tractabat non arma, foeminarum coetibus et conuersationi implicatus, virorum et praesertim maturorum et prudentium consortia quasi quandam pestem et perniciem fugiebat, propter quod vicinorum hostium furor, priorum Principum strenuitate sobrietateque compressus, mox reuixit, Principis consilij sterilitate et pusillanimitate accensus. Crebris itaque bellis, diuinitate permittente, lacessitus, muliebri illa [illegible] administrabat animo, ad consuetas et [illegible] voluptates semper reflexus, unde et saepe contingebat, hostes, quamuis minoribus potentijs fretos commisso praelio euadere superiores, Ipse enim consilij tardus omnia quae ferro administranda erant, prouidens, primus in fugam prosiliens, caeterosque in egro discrimine mortis vel captiuitatis aut fugae ignominia inuoluebat. Si quae autem bella feliciter sub principatu suo gesta sunt, non sub, sed praefectorum ingenijs prouenerunt, quoniam et ad repellenda bella gerendaque certamina, Baronum deliberatione et consilio

nunquā

nunquam illum velut quandam inhabilitatis sentinam probabat ~~amoveri~~ acciri. Non solum autem despectui sed et ludibrio apud suos et exteros patuit, qui cum deformis et hos quidem attritos et raros in caesarie haberet capillos, turpisque propter id, sed turpius propter laxatos in omne facinus mores haberetur, Chostzho a suis pro vituperii nota, quod significat vilem, attritam, et deformem scopam, cognomen accepit. Bello segnis, et timidus, in quolibet vero opere cunctator, adversus demum corruptelas pecuniarum parum pervius. Procatur autem illi et desponsatur ex Principibus Almaniae vicinis Polonico Regno coniunx, generis nobilitate praestantis et formae elegantia rara, foeminas plures suae aetatis supergressa, in omne tamen facinus et praesertim in ambitionem et avaritiam muliebri ingenio prona, ea spe et respectu a patruis provincialibusque Poloniae illi coniuncta, ut viri actus deterrimosque mores in meliora verteret. Verum illa blanditiis suis muliebribus calliditatibusque illectum captumque laqueat, adeo ut apud illam magis quam apud Regem totius Regni administrandi consisteret potestas. Singulaque per Regem decernenda non secus rata habebantur, nisi postquam illa Regina et consensu et authoritate probavisset. Duo demum pignora ambo mares ex illa suscipiuntur, procedente tempore, quae prolis fecunditas ampliorem illi strinxit et apud Regem et apud primores Regni venerationis gradum, statum eius et ex amore venereo mariti, et ex succedentium filiorum crescentibus perpetuatum. Ex quibus omnibus Regina magis magisque insolescens, conditionis suae oblita, totius regni ordinationem et regimen ad se unam, viro hebetato et effeminato traduxit, regiumque animum suapte tetrum et languentem Proceribus nequicquam potiora suadentibus, ad deteriora quaque

propensiorem

propensiori studio inclinat. Filijs autem Regijs nomina
indita sunt antiq, uni quidem Lech, alteri Pompelius

VIDENTES autem et ab experto cognoscentes
patrui, secundi Pompelij, suum nepotem in quaeque obscena
et prava declinasse, et tam suis quam exteris magno
despectui et ludibrio esse, saepius illum privatim et
publice accedunt, saepius per avitos et patrios cineres
obsecrant, admonent et deprecantur, quatenus suam
et avorum progeniem non prostitueret, non pollueret,
et indignis moribus, sceleribusque abusibus non conta
minaret. Cum evidenti demonstratione, pluribus argu
mentis et exemplis illi declarantes, non divinitatem
solum, sed etiam subditos facta sua ludicra et petulan
tia opera quoquomodo perpessuros, saepius illi regni imi
nentem exterminiū, saepius suum et suorū tam suffra
giorum quam consiliorum hactenus illi praestitorum
allegant auxilium. Verum secundo Pompelio ad ma
lignitatem naturali conditione insitam, altera labes,
consortis videlicet, quam ex primoribus Almanorū
duxerat impuritas accesserat, quae secundi Pompelij
suapte aegrum et ad omnia nefanda pronū ani
mum, ad quaeque deteriora inclinabat, suspendens
siquidem maritum suum tam primoribus quam infe
rioribus, tam divitibus quam pannosis, exosum et in
visum esse, verita ne Proceres Regni eius malignis mo
ribus et muliebribus actibus pertaesi, ad eius pro
scriptionem, ejectionē, vel perniciē laborent, et in locū
eius aliquem de patruis suis principibus videlicet ad
oras Septentrionalis habitantibus surrogarent, Stir
pis quoque sua duos mares, quos ex Popiel susceperat,
exulatum iri contigisset, noctu et interdiu animum viri
muliebribus blanditijs demulcet, lenit, flectit, et in
necem exterminiumque patruorū allicit, mollit, et inclinat.

Non est, inquit, tibi sed neque proli tuae, quae tibi successura est, patruis superstitibus secura vita; non est tranquilla regni quod habes, sed incerta prorsus et periculosa possessio. Quot enim patruos habes, tot tuorum pignorum insidiosos hostes, disertos tecum misceant, et familiares sermones, crebris te urgeant monitis, magnam ornamentorum congerunt supellectilem, maxima vim praesidiorum pollicentur, Omnia haec callide vafroque agunt animo, ut tibi laqueum struant, ut te subditis tuis magis reddant contemptum et exosum, non patruorum solum sed parentum se erga te opera esse glorientur, altam necessitudinis compensationem, crebra sermonum usurpatione exigunt, saepe te non Regem, non primarium principem, sed sui figmenti vocant mancipium, suorum consiliorum te regi nituntur disciplinis, non quo melior exercitatiorque, sed quo contemptibilior evadas, amitas virtutis mores, et actus, assidua relatione obludant, bella te cogunt aut repellere aut inferre, quo celerius te extinguant, Universa quoque eorum ad haec sudant, ad haec incumbunt, ad idem invigilant, artes, et ingenia, ut te et prolem tuam exterminent, tibique in regno succedant. In tua itaque manu situm est, illi principari, ~~quam~~ an aliorum sclavus, si inclitus an ignominiosus, si felix vel miser esse malis. Si itaque sapis, si aliqua prudentia vigeas, si tuum et tuorum cupis stabilem esse statum, expergiscere aliquando, et somnum quo hactenus usus es, excute torporem, et priusquam patruorum tuorum in te roborentur machinationes, priusquam te suis fraudulentis cassibus includant, vitam illorum si ferro parum tutum et commodum censes, saltem potione toxicata extingue. Cuius rei fidam me habebis cooperatricem et ministram. Dij te penates patrijq; et tam paterna quam avita imago in Regnum soliumq; regni vocat. Sed et plebs omnisq; nobilitas et patrum caetus creat vocatq; regem, patrui tantummodo obstant, nec filium gloriosumq; regem esse sinunt. quibus sublatis, omnia tibi non dubites pro voto cessura. His alijsq; increpando, persuadendo, virum ad facinus instigat, suo artificioso secundum alloquio, et muliebribus verbis illaqueatum.

His et pluribus similibus sermonibus viri animum expugnatum et incensum, ad innocentem suorum patruorum necem, nefanda femina perliciens, oportunum tempus et modum, quo destinata animo mandet celeri effectui, ingenti sollicitudine observat. Ea itaq; rem huiusmodi muliebri calliditate digerente, Secundus Pompilius in gravem morbum se simulans incidisse, ad grabatum se velut languidus et moribundus reponit. Patruos crebris nuntijs et literis obsecrans ut ad eum alterum non cunctentur, antequam illum languor conficiat, accedere, suprema quaedam mandata ab ipso percepturi. Quibus ex more prono et devoto animo convenientibus, sic apud eos Popiel ambiente Regina et primoribus Procerum disserit. Deorum, inquit, beneficio, proximam mihi mortem imminere, ex languore, quo me cernitis correptum, edoctus, non amplius probabile est me posse aura vitali frui, vos charissimos patruos meos dignum existimaui accersire, ut antequam vita me eximi contingat, de successore regni, vestro saluberrimo, cui parere consuerim, ordinem transigam, consilio. Ut quemadmodum vestro regnaui munere, sic et vestro perdeam mortalitati

vitam

vinam beneficio per successionem filiorum. Magis enim me superstitem, quam extinctum, magisq. viventem, quam mortuum existimare potero, si vobiscum meas concelebraveris exequias, et vestra in me studia, palpitante adhuc anima vivus perspexero, quae mortuo, studio et lege humanitatis affinitatisq. estis impensuri. Fatis enim vocantibus obsequor, nec fas est amplius mihi vobiscum immorari. Praestiti etiam vivo quod morienti officiis praestatur. Impulistis enim conscientiae facinus, id viventi amico abnuere quod etiam non consuevit hostis exanimato negare. Simulat deinde lachrimas et gemitus cum suspirijs arte compositos, execranda potius vafricie, quam vero dolore expressos, et velut occupatus luctu, oppressus lacrymis, praepeditus singultibus, aggravatus languore, dicendi ordinem non tenet. Ad haec tam dulcia et fellea suavitate delinita verba, pectoribus omnium grandi maerore percussis, universa regia alte caepit concrepare singultibus, audiuntur hinc [illegible], hinc fictas lamentationum voces, inde suspiria, aut horribiles alibi ululatus, tunsiones pectorum, aut complosiones palmarum, lacerant crinem virgines, matronae vultum, habitum annosae. Augent autem omnium lamenta Reginae simulatricis plusquam Punica fraude ementitus eiulatus, quia nunc virum, nunc mariti patruos, nunc singulos fratrum luctuoso amplexu, suspiriosis flatibus tenet et demulcet, et suo comploratu simulato veras patruis et fratribus lachrimas excutit, pro marito. Tantusq. omnium mentis occupat maeror, ut etiam fama, prodente vulgari assertione, falso licet, vulgatum fuerit, simulachra quaedam aerea, et statuas in Regia positas, quae tantarum lamentationum mugitum, sudorem in lacrymarum modum largius, quam inanimatis conveniebat, profudisse. Quid plura? ad nutum Consilij Regis sumptu liberali et magnifico funebralis inchoantur, consummanturque viventis hominis, quod monstro par videri potest, exequiae. In quibus tanto quisque ex Patruis Consilij Regis, et Primis Poloniae, studium officiumque suum extulit, quanto a spectatore Rege et omnium officia scrupulose notanti, studiosi favoris et benevolentiae gratiam anhelabat commendari. Superstitiosis itaque exequijs, more et ritu gentilitatis illius temporis, expeditis, omnes qui aderant, delicato excipiuntur convivio, et singuli epularum prolata administratione opipare pertractantur. Quos a refectione digressuros, etiam maerore levatos, Pompilius Rex ad praesentiam suam praecepit induci; simulans se ex iocunda eorum praesentia, et dulcissima alloquutione, imminentem fati horam levius toleraturum. Conspiciens autem Reginam fallacibus indulgentem lacrymis, his eam solatur verbis. Quid inquit charissima coniunx maestis maceras fletibus? quid luctuosis [illegible] te querelarum acerbitatibus? viduitatem ne timeas? at certe his quos pro tua orphanitate tutamina relinquo curatores, superstitibus viduitatis incommoda te ingressuram non spero, sed illis incolumibus me quasi tecum reputa praesentem. Singulos enim tam patruos meos, stricta mihi affinitate iunctos, quam Baronum meorum praecipuos, quos mo riturus desero, obtestatos, deprecatosque esse volo, et in te, natisque nostris communibus, mei vivat vigeatque recordatio nominis, et post; qui te et filios meos, reliquias corporis mei, et dimidium animae meae illis pro vade relinquo. Assurgunt patrui, assurgit et Baronum venerandus Senatus, et pro se quisque operam suam iuxta extremum posse erga Consortem et filios Pompilij se pro viribus navaturum repromittit, mortemque aut periculum sibi accidere per praesens imprecatur, et devovet, si siverit se Reginae et filiorum salutem quoquo modo negligere. Simplici enim et recto corde quod unusquisque sentiebat certatim depromebat, ad demonstrandum suae devotionis et charitatis in Regem et Reginam affectum, neque credere aut perpendere poterant, quod simulatae tam Regis, quam Reginae fuerant lachrimae et gemitus arte compositi nec ullo dolore expressi. Adijciunt patrui, et Duces Proceresque Poloniae, quo magis fletus flebiles rescindant, Regis et Reginae siccant lachrymas quas in veritate et non in dolo opinabantur effusas, se filiorum regiorum, nondum Ephaeborum aetatem supergressorum, Lechonis videlicet, Pompilij, tam studiosam, tamque accuratam curam Pompilio Rege absumpto gesturos, iuxta ac propriorum, ut alios parentes filij Regij non desiderent, illumque honorem et cultum fidem et devotionem, quam ipsi patri exhibere consueverant, in eius filios superstites, cura non remissiori translaturos. Gaudere se Pompilius Rex simulat ingenti gaudio, et obortis fictis lachrymis quas fraudis et doli magnitudo excitabat, universis in commune gratias agit, ſingulos deinde proprio nomine compellans, et amplexibus et falſis oſculis deliniens, cunctos obſervabat, ut verbis ſuis dando virtutem in promiſſa fide permanerent. Ad Soram autem, quaſi prope jam moriturus, Reginam coniugem, duosque in ſucceſſionem Poloniae a ſe genitos illis madentibus lachrymis commendat.

INTER HAS ſermocinationes in ſpacium declivis Olympi ſolare approximabat iubar, et Pompilius ſingulis ſuis doloſitatibus ad fallendum patruos, et primos procerum arte coniugis compoſitis, iam perfunctus erat, patrui quoque et Proceres ſingulis, quae penes moriturum morituri Principem rite expediri ſolebant peractis, diſſolutionis tempus iuxta denunciatam ſibi divini oraculi certificationem, credebant imminere, dum Pompilius quaſi patruis et Proceribus ſuis valedicturus, nectar iubet ſurrogari per miniſtros, extremum facturus potionis illius, et oſculo cum patruis et proceribus percuſſurus. Erat autem aureum poculum regia ingenio ſubtili caelatura et arte elaboratum, cui infuſus liquor quamvis tenuis et exiguus in altum ſpumabat, et cratere ex dimidio liquor vaporali aſcenſu in ſummum evadebat, qui aeris flatu diſſolutus, ad veram quantitatem ſucceſſive ut in bullientibus igne ſubducto cernimus, redibat. Tali itaque vaſi laetifer potus infuſus, primum Pompilio Regi porrigitur, ut a Rege praeguſtatus, a caeteris velut purus et ſalubris haberetur. Verum Rex ad ſingulos patruos et Pro

ceres

ceris, prægustationem fallacem et ſimultaneam faciens, virtute flatus, ſpumarum denſitatem, quæ medium Crateris occupabat, nihil de ſubſtantia nedum contingens, ſed nec libans, conſumebat. Reliquias vero potionis dimidiæ, in qua validum conditum erat virus, abſumere quosque ex Patruis et Proceribus, iuncto Regi per primo oſculo, iubebatur. In hunc modum peſtifera potione impletos, ſomnum ſibi, ex eorum ſuavi et aſſidua collocutione obrepere fingens, re autem vera, ne in ſuo conſpectu aliquem illorum extingui contigiſſet, excubare de cubili iubet. Veneni autem vigore præcordia artusque virorum necis iniuſti adiutorum occupante, ſubito in quandam amentiam, furoremque verſi, a pleriſque ebrij, ab alijs delirj, et inſani putabantur. Tandem virus in ſedem animæ pertingens, ſingulos peſtifero nectare inebriatos, antequam noctis conticinium ſuccederet, ultimis affectos cruciatibus peremit. Patens quoque ruptura etiam in cadaveribus præmortuis prorumpens, veneficia illos infectione interijſſe euidentiſſima demonſtratione vulgavit. Tum quoque primum ab univerſis intellectum et compertum eſt, Pompilium Regem fallaci et virulenta potione inebriaſſe patruos, et ſub iniquiſſimo ſuæ mortis colore, illorum, deteſtabilem ſibi, deteſtabilem patriæ, deteſtabilem univerſo ſuo generi, mortem maturaſſe, et magis uxoris perſuaſionibus, et delinitionibus, ~~quam~~ magis ſuis ambitionibus, quam iuribus naturalibus, et humanis ſtitis parere voluiſſe. Cupiditate ſiquidem terrarum quas patrui possederant illectus, et coniugis suae alterius quondam more Isabel in Achab et ipse versus instructionibus, consiliorumque assiduitate incitatus, de iustis possessionibus paternisque sedibus patruos germanos exturus, omni communione sanguinis neglecta, omni pudore postbabito, ultorem iniuriarum vilipendens Deum, neque credens illum iustum innocentium sanguinem vindicaturum, aut sanguini germanorum patruorum poena celeri et condigna unquam parentaturum, pietate simulata in crudelitatem notoriam mox conversura, necem patruorum germanorum utrumque procuraturus grassabatur, nec prius a pessimis ceptis resiliit, donec ea spiritu maligno instigante peregit

Sideribus patriae indigna miserabilique occidentibus morte, maeror tacitus, et suspiriorum crebra ingeminatio mentes omnium occupavit. Pavore siquidem Tyranni constricti, ac veriti, ne quid in eos, qui mortes necatorum publice deplangerent consuleretur gravius, patulos proferre non audebant eiulatus. Solus Tyrannus cum consorte mitis tripudiis hilarescebat, conviviisque et calumniosis criminationibus in viros innoxios a se veneno sublatos celebabatur, asserens illos ob facinus in Regem nepotem et amicum cogitatum caelesti verbere miraculose percussos, interiisse, dum necem nepotis et Regis, de qua in festivis gratulabantur funeralibus, universi divinae ultioni exceperunt, impietatemque quam sub religionis et officiis praetextu, fu

turum Regis et nepotis fictis et simulatis la-
chrymis deflendo excessum monstrabant, repenti-
no suo interitu, detexerunt. Geminato autem ne-
cis et criminationis scelere in Patruos, Proceresque
non contentus, peccata peccatis congeminans, ali-
ud atque facinus adijcit. Prohibet districtione seue-
rissima extinctorum cadauera a quoquam contin-
gi aut sepeliri, negans et amicis et patruis se-
pulturam, quibus ademerat vitam. qui secus a-
gent, pœna capitali plectentur. Primus autem hoc
tam saeui exempli occupatoris insignem crudelita-
tis titulum non sine infamia illius saeculi emeruit.
Iacebant itaque mortuorum cadauera tabe diflu-
entia, et vniversis inspicientibus commiserationis
et horroris ingerebant terrorem. Tyrannus inte-
rim consiliis Lamia crudelior maiores singulorum
facinorum impetus edidit, et totus scortorum im-
pudicorum gremijs se infudit, non aliter libitis,
quam licitis vtens, existimans se de caetero vitam
beatam et felicem, patruis et proceribus deceden-
tibus, absque vlla reprehensione in sertis, choreis,
balneis, vnguentis, odoribus, somno, crapula, ebrie-
tate, et luxu traducturum. Sed non est ingenio hu-
mano aut robore comprehensibilis manus Dei, et
quando velit vltionem non inferat delinquenti
vltor scelerum et omnium iniuriarum vindex Deus.
Scelus illud, quod consiliis suis nitebatur adum-
brare et inficiari dolositatibus, graui multauit sup-
plicio. Dum enim seuerissimus omnium popul augit
scelera, celebrat conuiuia, madet mero, et vnguentis
dissoluitur

dissoluitur crapula et luxu, et ut alter Sarda
napalus omni lasciviae genere foedatur, et infamiae
repentina divinitatis obruitur ultione. De cada
veribus siquidem patruorum et procerum quae Ty
rannus abijci iusserat inhumata, insolitae quantitatis
murium multitudo ebulliens, residentem in convi
vio et voluptati dantem operam Pompilium, non sine
aliorum extasi et stupore, in unum duntaxat Ty
rannum Pompilium, et suam consortem, duosque filios
Pompilium et Lestconem coepit continuatis cre
bris morsibus desaevire, quos etsi militum servorumque
sedula cura abigeret, recentesque succederent fatiga
tis, vincebat tamen murium perseverans nocte
et interdiu nullo spatio ad quietem concesso, multi
tudo, humanis suffragijs aut defatigatis, aut se ab
eius tutela subducentibus, cum et in defensores
rabies saepius murium verteretur. Nova remedia
praeparantur, extruuntur frequentes et ardentes
foci, et in medio eorum Pompilius cum uxore et fi
lijs consistit, si forte incendijs mures arcerentur.
Sed et ignes quantumcunque flammantes, muribus
pervij, nullum praestabant Pompilio profectum.
Fit ad aliud elementum recursus, in late paten
tia stagna deportatur per navem Pompilius, cum
consorte, et liberis, et in turri locatur lympha undis
undique ambita, sed nihilo plus undae tulerunt, quam
rogi, singulos enim gurgites, in quos se Popiel confe
rebat, mures innatantes, varijs itineribus illum se
quebantur, consequutique navem assiduis corrosio
nibus infestabant. Milites autem et nautae, ne
simul navi a muribus perforata, aquarum suffo

catione

cationem interierint, ipso etiam Pompilio mandanti in lectulos navem redeunt. cui navem egredienti nova murium caterva occurrit, et cum sibi quae illum in stagna prosequuta fuerant, simul coniuncta Tyrannum vehementius infestat. His etiam et alijs pluribus remedijs nequicquam proficientibus virtutem divinam universi agnoscentes ab eo diffugiunt, qui videns se ab omnibus desertum, in turrim Castri Crussvicensium excelsiorem cum coniuge et duobus filijs confirmat, ubi superabundanti murium multitudine, a quibus absque intervallo oppugnabatur, duo primum filij sui, eo et infelici matre inspectante, nullam inferre valente opem, inde crudelissima coniunx, ad extremum tyrannus Popiel adeo lacerati corrosi et cum singulis partibus artubusque devorati sunt, ut neque alicuius ossis, vel viri vestigium relinquerent. In hunc modum scelestus et impius Poppiel, cum sua suggestrice iniqua altera Jessabel et filijs divina ultione deletus, et insolito novoque genere mortis consumptus, Manibus necatorum patruorum, et Procerum iustas paenas dedit. Cuius interitu cognito, ossa, et reliquiae peremptorum ab eo Patruorum, et Procerum quae nondum tabe defluxerant, a Crusvicensibus pia miseratione collecta, unius Sarcophagi tumulo condita atque consepulta sunt. Hic autem divinae ultionis insolitus et rarus casus Popiel tyranni, et Principi Polonae accidens, a pluribus Scriptoribus et Historiographis pro singulari monstro et miraculo eorum libris insertus reperitur. Morbo autem sororino, et fere eadem peste Arnolphus Francorum Rex, et Romanorum Imperator

rator Augustus, ex concubina Magni Caroli filius scribitur interijsse, non murium quidem, vt hic noster Pompilius, sed pediculorum vndique scaturientium infestatione consumptus, qui pulsis omnibus nocte et interdiu non quiescendo corrosis, ossibus neruisq; relictis, vsq; ad praecordia penetrarunt. In hunc modum Pompilius Polonorum Rex cum regina consorte et pignoribus diuina vltione deletus, et aliquanto grauius praecipitatus, vnde per iacturam et sanguinem patruorum et procerum innocentium, se ac uxorem et filios suos securum reddiderat, quam Phaeton e curru Solis. Intuere quaeso quilibet mortalis et diligenti studio considera, et oculos tuae mentis in Arnolphum Imperatorem conijce, et in Pompilium Regem, quorum alter nulla medicorum ope a pediculis liberari poterat, alter nulla militum resistentia a murium corrosione defendi; quin tam dolore quam fastidio torti interirent morte abominabili, et miseranda, a quorum corporibus pediculi tam paruuli et mures inermes nequiuere euelli, quos neq; innumera opes, neq; thesauri neq; diademata, neq; sceptra, neq; purpura a pediculis et muribus tutari potuerunt. Et his duobus, si caetera deessent, humanae infirmitatis argumentis certissimis, tuos actus, tuosq; exitus metire, pediculis Arnolphi, muribus Pompilij. Terrefactus, fastu posito, Deum Omnipotentem omni virtute viribus et corpore cole, maiores aequo animo tolera, pares iugi dilectione pro meritis honora, minoribus per charitatem indulgendo, compatere, et in lege altissimi meditare die ac nocte.

MORSV MVRIVM Popiel Tyranno consumpto, et filijs eius una deletis iusto Dei iudicio et extinctis, proceres nobilisq; Polonorum universi ad prouidendum de futuro Rege et Principe generalem conuentum apud Crussviciam indicunt, velut in urbe, quae pro ea tempestate prima et famosior habebatur, in qua hactenus nihil praeter famam durat. Vix vici retinens nomen, et magnarum quondam opum tenue vestigium, cuius parum consumptiq; vix licet nunc intueri vestigium, nec regiam quis fuisse illic modernus crederet, sed nec Regiae bustum, turpi omnia aut vetustate dissoluta, aut conflagrata incendio, superna diuinitatis prouidentissimo prouidente consilio in horrorem sceleris a Pompilio patrati, quatenus locus ipse facinorosum licet humidum habens solitudinis potius quam frequentatae repraesentaret formam. Initiato et pluribus diebus continuato super electione futuri Regis et Principis Poloniae tractatu, variae dissensiones contentionesq; subortae sunt inter eligentes, et schismata. Nonnullis priuata ambitione et suffragijs cognatorum, principatum sibi nollentibus usurpare, caeteris vero contraria oppositione reluctantibus et indignum indicantibus aliquem indigenam in Principem surrogari; Filios autem interfectorum a Popiel patruorum et Poloniae Principum, ex pluribus respectibus uniuersis Poloniae proceribus et nobilibus assumi non placuit, tum quod a pellicibus eorum protendebatur origo, tum quod stirps et cognatio Pompilij cunctis facta fuerat execrabilis et inuisa, tum quod metus et respectus apud nonnullos subierant, ne filius aliquis occisorum a Popyel in principem erectus, patris et patruorum necem retorta in Proceres et nobiles Poloniae culpa tandem ultum iri contenderet. Votis itaque eligentium in diversas partes divisis, infensis animis ex Cruswicia dissolutum est, nullo ordine pro administranda Republica procurato. Interea et vicinae per circuitum nationes infesto agmine Poloniam aggressae, pro libito eam nullo resistente spoliis et rapinis affligebant, et nonnullas urbes districtibus, et oras, iuri et proprietati suae usurpabant. Procerum insuper et nobilium Poloniae teterrima erat conditio, qui mutuis in se grassantes odiis, continuis se invicem depopulationibus consumebant. Propterquod Polonia aliquanto tempore propriis et externis bellis defervescens magnae patuit ruinae et calamitati. Gaudentibus et singulari exultantibus per circuitum nationibus tripudio, quod Polonico regno plurimorum bellorum intestinorum stimulibus se ipsum collidente, crediderant compertissimum exterminium proventurum

QVAM dum vidissent primi Procerum ex dissensione domestica magis quam hostili bello vexatam et attritam, secundum apud Cruswiciam indicunt super eligendo Principe conventum. Ad quem dum universus Procerum ac popularium coetus de Principe ordinando coisset, sedatis mutuis eorum odiis et simultatibus (sedari enim illas et componi extrema calamitas regno imminens compellebat) modestos convenientesque coeperunt habere de surrogando Principe tractatus. Erat autem in urbe Cruswiciensi vir quidam nomine PIASTH, ab eo quod statura quidem depressa, sed robusta atque crassa esset, nomen

sumens more

Huiusmodi sortitus, Poloni enim suo vulgari, eam partem rotae quae in axe volvitur, truncam et crassam Piastam appellant. Vir simplex et rectus, naturali iustitia caeterisque grandibus virtutum insignis, sed ob inopiam agellum exiguum colens aratro, cui et plerisque tenuitatis causa proiectus erat. Habebat paris virtutis et moris uxorem quae Rzepicza vocabatur, et unicum filium ex ea susceptum nondum aliquo nomine appellatum. Ambo agrorum operi intenti, cuncta quae humo gignente quaesiverant, admiranda et per omnium ora celebrata charitate, indigentibus, advenis, peregrinis, miserabilibus personis, et quibuscunque aliis eorum opem implorantibus, gentiles ipsi et Christi erogabant, ut ad illorum tuguria maior quam ad regiam stirpem concurrerent et frequentia conveniret. Contigit autem vivente impio Rege Pompilio, a muribus corroso, duos peregrinos et hospites, nunquam antea cognitos aut visos, in Cruswiciam in habitu venerando, et humano advenisse, et primum apud Regiam susceptionem simul et refectionem expetisse, qui cum a ianua regia prohibiti et exclusi essent, in omnium susceptoris et hospitalarii Piasti aedem se receperunt, et tam a Piasto quam consorte sua Rzepicza hilari vultu excipiuntur, et affectu ingenti pertractantur. Coxerat autem Piastus vernam mellis, porcumque saginatum nutriverat, utrumque hoc praeparando convivio, excipiendisque vicinis hospitibus, dum more gentili ad tondendum filii unici caesariem advenisset dies, in quo et puero imponebatur nomen, reservabat. Verum divorum illorum hospitum plurimum laetatus adventu, convivio destinata, peregrinorum

procuratione

procurationi consumenda decernit, porcoque occiso dapes conditioni suæ congruentes præparat, mensam ponit, et hospitibus accumbere iussis, coctos apponit cibos, liquoremque medonis magna sedulitate una cum consorte Rzepicza subministrat, multiplici ingeminatione precum utrosque hospites deprecatur et observat, ne parsiores et tenues suas dapes fastidiant, ne personam suam in omnibus cum beneplacita, voluntatem contemptum iri sinant, sed affectu cuius, suppositus cibus et potus vilis sit, referant in acceptum. Hospitibus autem iusta gratitudine refectionem illis præstitam commendantibus, divinitatemque omnium bonorum operum præmiatricem pro se retributuram asserentibus, liquor medonis nunciatus est suapte excrescere, et fluore ad inundantiam prodire. Monentibus autem et iubentibus hospitibus, commodantur a vicinis varia vasa in frequenti numero et quantitate, liquorque medonis exuperans tamen in singulis infunditur, quousque vasorum defecit accessio. Ex porco insuper occiso carnium multiplicatio secuta est ut illam vix decem lintres explere valerent. Geminatum innovatumque miraculum per Heliam primum apud Sareptam Sidoniorum urbem, deinde per Eliseum apud Samariam crederes præstitum, nisi quod in prophetarum locum si duo vel Angeli vel Martyres successissent. Pro qua re, hospitum munere et largitate sibi præstita Piastus ditior factus, singula ex hospitum illorum suorum agit arbitrio. Unde pro futuro, quod celebraturus erat pro tonsoratione filij sui convivio, non solum cives et vicinos, sed et ipsum principem Popielum hospitibus sic iubentibus invitat. Quem magnifico cum omnibus carminibus. Deo singula augenti, procurat prandio, in quo filius Piasti, duorum hospitum tonsuratur ministerio, nomenque ei ab eisdem duobus hospitibus imponitur Semovitus, qui ex ea die peracto disparuerunt officio. Angeli a nonnullis crediti sunt, ab aliquibus Joannes et Paulus Martyres, quorum festum sexto Calend. July agitur, forte enim huiusmodi nominibus, quaerenti Piasto, qui vocarentur, et qui essent, se insinuaverant. Gratissimum atque summo Deo et sublimis praemij hospitalitatis officium, eo magis commendat, qui quamvis gentilium, huiusmodi opus non dedignatus est tam liberali compensare praemio, ut et Angelos hospitio exciperent, tantamque suae posteritatis fecunditatem, et generis claritatem et excellentiam apprehenderint, ut ex eorum lumbis Reges et Principes Poloniae prodierint, agnitioni unius veri Dei, et successio a septingentis annis et amplius exorta, in tempus praesens multiplici, florida, auctaque germinatione perseveret

Inter felicissimos Piastus ipse reputandus, qui hospitalitatis conditionem naturamque, licet gentilis sortitus, ob illius officium atque meritum mercedem uberiorem ab Angelis non secus quam mulier vidua ad Elisei Prophetae iussionem olei auctum et domi vasa commodata sufficerent infusum vidit. Et ad instar Abraham Patriarchae Angelos hospitio recepit, cuius stirps divino munere in Ducibus Poloniae, qui Silesiam Masoviamque inhabitant, in hodiernum diem ex illo tempore perseverat, quamvis amplitudinem et fulgorem regiae dignitatis quam etiam illi superaddiderat altissimus, eorum et subditorum iniquitatibus impietatibus et iniustitijs amiserint. Aiunt autem et scribunt Polonorum Historiographi anno gratiae nongentesimo sexagesimo quarto, nonnulli et verius nongentesimo quinquagesimo quarto, quo tempore praefuit Ecclesiae Catholicae Agapitus Papa secundus, qui sedit annis octo, diebus sex. Agapito secundo quiescente in pace Joannes duodecimus, natione Romanus, non legitime electus, sed per patrem suum qui potens erat Romanus intrusus, venator fuit, et totus lubricus, et feminas publice tenebat, quapropter depositus fuit per Ottonem Caesarem, cuius depositionem floccifaciens, pro Papa se gessit, tandem cum uxore cuiusdam Romani se oblectans, a Diabolo in tempora percutitur, et sine poenitentia subito moritur, cum annis septem, mensibus duobus sedisset.

CVM ITAQVE Polonorum proceres et universa nobilitas pro electione futuri principis Cruswiciae absumpsissent plures dies in cassum, nec satis inter primores conveniret, ambientium enim principatum, electionem difficilem faciebant, importuna suffragia, contigit ex multitudine quae ad electionem convenerat, victualium necessaria deesse, quo defectu cum singuli angerentur, et discessionem electione imperfecta pararent, duo hospites illi qui superiori tempore filium Piasti totonderant, nomenque augmentum et carnium effecerant, domum Piasti non sine sua et uxoris suae ingenti iocunditate introeunt, eique denunciant futurum eum oportere esse Polonorum Regem, et in Polonia annis multis per filiorum et nepotum successionem regnaturum. Qua denunciatione illi detentus, hospitum suorum refertur consolatione, qui illi princi-

patum

vatum filiis et successoribus augendum declarabat divina voluntate, cui resisti non potest, proventurum. Proceribusque et nobilibus Poloniae non tam esurie quam siti laborantibus, Piastus hospitum suorum instructione et iussu vasculum medonis, quo sibi illi tantum cum domesticis aleret, peregrinorumque necessitati subveniret, exponit. Cumque omnis illa cohors et congregatio pro tam necessaria refectione in domum suam concurreret, omnibus tamen ex tenui et exiguo vasculo miratus medo liquorem illius divina virtute et hospitum adventu aucto, non solum pro necessitate sed pro satietate coepit sufficere. Ubi autem tanti prodigii primum vulgata, deinde deprehensa esset certitudo, ad eligendum virum tam sanctum in Regem omnium corda et intentiones, quaedam quasi religio incommota inspirante, unusque Piastus miraculi prodigio declaratus ex omnibus dignus visus est, ad quem regnum deferrent. Incredibileque erat quantus ardor summae dignitatis ad Piastum deferendae procerum et totius nobilitatis corda penetraverat. Altera itaque die illucescente, in solitum atrium convenientes, universi concorditer Piastum regem pronunciant et eligunt atque in casam suam in copiosa multitudine advenientes, iuxta denunciationem, quae ei pridie angelico ministerio revelata fuerat, ipsum igitur virum aetatis mediae et virilis in Regem sustollunt patrio ritu, et assumunt. Verum quo promptius eligendo instabant, eo electus resistebat perseverantius. Postremo reluctantem circumfusi omnes precibus devicerunt, ut magis coactus quam voluntarius principatum susciperet, eo quidem maiori cum sua et totius suae posteritatis laude, quod ad fastigium summae maiestatis, non ambitione populari, sed spectabili morum moderatione divino instinctu cre-

datur cinctus, et Regem salutant, Regemque sibi
et universae genti, atque regioni Polonorum constitu-
unt, et ordinant, nihil pensi habentis quod vir in
tugurio rusticano genitus, et nulla nobilitati insi-
gnitus, sortis etiam tenuissimae fuerit, et potius a-
grariam et mellificiorum exercens artem. Ex vili
autem in quo degebat tugurio, per patres et Polo-
norum proceres in Ducalem aulam deducendus,
Sandalia ex suberino robore elaborata secum de-
tulit, asservarique in regia mandat, posteris suo
undique exhibendaque: quatenus intelligerent
superbireque et insolescere desinerent omnes Polonorum
Regum accepturi, quod originarius eorum parens
ex humili fortuna fastigium regium conscende-
rit. Felix nimium incrementis, ex quo tot pullu-
larunt excellentissimae plantae, tot Illustres Prin-
cipes emanarint, tot animae candidatae prodie-
runt, Regum videlicet Principum Poloniae nu-
merosa propago etiam usque ad nostra tempora
frondescens

RESTITISSET autem omnibus conati-
bus Piastus electioni de se factae, illamque qua-
dam infamiae ad se delatam credidisset, nisi di-
vino hospitum suorum oraculo de illa certior ef-
fectus fuisset. Itaque quamvis stupens et trepidus
invitus sibi consentit electioni, plurimum miratundus,
quia sibi sors nec speranti sed nec cogitare auden-
ti accidisset, quapropter germinis sui propago tanto
extitit sublimior, quanto stirps credebatur fuisse
depressior. In administrando autem et regendo
Polonorum Regno adeo illi divina pietas, quam
extunc suo licet gentili ritu ferventissime, et magis

praecipua, quam tunc, quando privatus viveret, opera misericordiae, cura, colere adnixus est, et admiranda cunctis et celebris cunctis habebatur industria, cui singuli Proceres et universa nobilitas Polonorum audientes specimen singularis sapientiae, et quae magis collata et infusa divinitus, quam naturali dote concessa putabatur in eo lucere, promptam obedientiam et subiectionem et subiectionem in omnibus quaecunque decreverat, aut imperaverat, exhibendo, quievit, et sub eius regimine singulorum hostium Poloniam invadentium, furia praedonum, et furum rabies, contabuit, dum et hostes mira aequitate, modestiaque compescuit, et latrones animadversione debita perstrinxit, quo effectum est ut Respublica sub misero et crudeli Rege Pompilio, et tandem post corrosionem suam, et stirpis suae, ex Baronum et nobilium intestina commotione, et guerra, plurimum languida et depressa maximum resumeret robur et vigorem, licet patrato per Pompilium immediatum praedecessorem suum in patruos et proceres suos scelere plurimum infensus, regiam ex Crusvicia in Gneznam originarium et vetustum suum locum transtulit, indignum iudicans ibi Polonorum Metropolim consistere, et iura gentibus reddi, ubi tam atrox facinus, quod ex loci inspectione renovabatur, admissum extitisset, Et quamvis sub praefati Piasti regimine et Principatu omnia felicibus fluerent successibus, id tamen unum magno discrimine Poloniam diuturno tempore involvit, quod filij et nepotes Principum citramarinarum Pomeraniae, Casubitarum, aliarumque, quarum superius mentionem fecimus, orarum, quorum parentes veneno a Pompilio fuerant extincti, et parentum morte, et suo contemptu, alteriusque de simili sorte surrogatione in Regem, grandi furore

commot

commoti, tributarium et feudale iugum, cui Saxonibus fuerant subiecti, amaritudine primum, sed fortius indignitate electionis permoti, abiecerunt, pro infestis quoque hostibus magis quam pro feudalibus principibus habiti, in Polonorum gentem, regionemque frequentibus debacchationibus saeviebant. Dolebant siquidem parentes suos toxica fraude peremptos, sed ultio diuturnius inflicta dolorem terminabat. Verum amplior cruciatus vindeniusque subibat praecordia, quod sibi obscurae rusticanaeque sortis hominem omnibus eis praeteritis videbant praepositum, et in principatus locum, quolibet eorum neglecto, suffictum. Principes vero proceres, et universi Satrapae Poloniae neque indignum ducebant Piasto parere fascibus, et illius adorare tribunalia, quem obscurae sortis hominem noverant, religionis ad id quam hominis virtute inducti. Ingerebaturque in singulorum pectoribus haud tenuis admiratio, quod quem pridem manus aratro apponentem, boves iungentem, et in exigua gleba arantem, ex alvearijs quoque apum quaestum exigentem, in vili tugurio degentem, animadverterant, eundem nunc in regia residentem, mitis et recta potestatem administrantem, exercitus regentem, de hostibus triumphos et spolia referentem viderant. Sed ne cui scrupulum pariat ad discredendum, et scripta nostra praesentia praebeant occasionem ad obtrectandum, duo exempla subnectam. Unum quod legitur in vita Sancti Remigii, qui cum esset Archiepiscopus Remensis, et sollicitus valde, ut et inclytum pecus suae fidei commissum, caulas reduceret ad caelestes, Diocesim suam annis singulis per seipsum corrigendo, deformitates et vitia et zizania evellendo, visitaret, Hospitatus

tus esset in domo cuiusdam consanguineae suae, videns eam erubescere pro eo quod vinum non haberet, cum ipsis omnibus facta oratione ante dolium vacuum, et signo crucis edito vinum exivit. Desuper aliud quod in vita Sancti Germani legitur, qui cum per Britanniam cum socijs et discipulis suis viris religiosis praedicaret, hyemis asperitate urgente Regis palatium intravit, petens hospitium a Rege, qui ei negavit. Cum autem subulcus Regis egrederetur e domo Regis ad suam, portans portionem cibi sui, misericordia motus, videns Germanum et Monachos eius in nive algentes, rogatos abduxit ad tugurium suum, occidens et parans eis vitulum, quem idem Beatus Germanus congregatis eius ossibus super pellem, suis precibus reparat. Tunc immane palatium ingreditur, et conveniente populo, arguens Regem de immisericordia, et ostendens eum malignum gubernatorem Regni, deposuit eum a Regno, et ille, cum virtuti divinae, per quam operatur Sanctus, non posset resistere, licet invitus, recessit et cum coniuge, et liberis suis, de palatio. Sanctus autem Germanus dictum bubulcum Regem Britaniae constituit, propter hospitalitatem et sanctitatem suam, et exinde Reges illi de subulco sublimati sunt.

ANNIS multis, Polonorum regno per Piasth prudenter et feliciter gubernato, sub quibus plura per consilium deformata, ad evidentem instaurationem fuere reducta. Piasth ipse senio longaevo confectus, centesimo et vigesimo aetatis anno rebus eximitur humanis, non sine universae nobilitatis et populi grandi maerore et luctu, singulos enim pro cuiuslibet condicione et merito extollebat et praemiabat, parentisque magis, quam Regis ab omnibus celebrabatur loco, post cuius decessum favore et voluntate con

cordi

concordi, filius eius Semouitus in Regem assumitur, et thronus paternus illi decernitur gubernandus vivente. Siquidem patre in principem militiae creatus, in administrandis bellis, caeterisque regijs obeundis, expediendisque negocijs, plurimis probitatis signis emicuit. Frugalis enim, modicus, et laboris patiens, cibum, potumque pro naturali mensura, non pro voluntate sumebat, vigiliarum somnique non discriminans tempora crebris terebatur excubiis. Inter custodias stationesque militum excubabat, solus universa quibus insidiae hostiles poni possent, circumspiciens, largitor erat in omnes munificus, et severitate correptionisque moderatus, habitus suus nullam pompam redolens, vix procerum et nobilium habitui aequabatur. Quibus virtutibus, adeo se militibus et proceribus, cunctisque statibus Polonorum insinuaverat, ut plus quam caro, illum singuli venerarentur affectu, morteque patris sequuta dignum omnes principatu acclamarent. Imperium apud Polonos anno 921 adeptus

In paternum solium Simouitsus ascendens, prioribus virtutibus alias adijcere conabatur, universam autem curam pro bono gerendae Reipublicae principatus sui, pro restituendis finibus Regni occupatis, et novis propagandis intendens, creato primum principe militiae, centuriones, quinquagenarios, decanos, tribunos, chiliarcos, ordinum tam equestrium quam pedestrium ductores, praefectosque constituit, hosque antequam ad bella prodirent, certaminum simulacris, et hastarum pugnarumque ludis exercitavit, quo animosiores et cautiores in hostes existerent, disposuit. Finitimis deinde, Pannonijs videlicet, Almanis et Ruthenis pro terminis regni sui sub Popyel principe

ignavia

ignauia occupatis, bella mouit, et aliquot certaminibus confligens, hostesque magna strage confundens, magnae virtutis triumphator celebratus cunctis per circuitum nationibus erat in terrorem. Recuperatis autem assiduitate bellorum veteribus Polonorum finibus, in aliud bellum mox conuersus, Principibus Pomeraniae, Cassubitis, et Cymarinis, quorum patres Pompiliana extinxerat per venenum saeuicia, guerram pro denegato sibi et patri feudo indixit, eamque annis aliquot, Principibus illis, non robore aut militia exercitus, sed situ et difficultate locorum, fortiter resistentibus, continuat. Verum antequam duces eorum et rebellantes animos domuisset, immatura morte apud Gnesnensem Regiam suam obijt triginta et duobus annis in Principatu exactis.

ARNULFO imperatore, qui anno natiuitatis Domini nostri Jesu Christi 890 coepit apud Romanos regnare, tres Slauorum Duces videlicet Rostislaus, Swantopelkus, et Hoczen, missis ad Graecorum Imperatorem Michaelem nuncijs, quatenus pro ipsis et eorum gentibus in fide Christiana erudiendis, doctos illos viros transmitteret, Methudium, et Cirillum mittit, qui Duces, et gentem Slauonicam, tum primum ad fidem conuertunt, Scripturas de Graeco in Slauonicum transferunt, sacra in vulgari Slauonica peragenda instituunt, sedem pontificalem apud Welogrod Morauiae ponunt. Accersiti posthac Romam, et a summo Pontifice arguti, quod rem diuinam lingua Slauonica agerent, respondent, Scripturam omnem spiritum laudare Dominum, permisisse, disputatione tandem in sacro Senatu habita, licet non pauci apparuissent contradictores, obtentum et decretum est, ut sacra in lingua Slauonica, iuxta atque Latina Graeca et Hebraea peragantur

Semouite

SEMOVITO decedente, magnus Poloniam moeror eius involvit maeroribus, cum enim Principem audiebant sibi subtractum, cuius ductu et auspicijs magnas iam res gesserant, et maiores se acturos sperabant, cuius etiam largitione munifica, et triumphorum relatione, privatim et publice, opibus, armisque et equis, meruerant, uberioresque victoriarum trophaeos, amplioraque praemia, et laetiora patriae reintegrationem eius ductu, eius solertia, se adepturos non dubitabant. Benivolentiam autem Semovitho praestitam, in filium eius Lesconem, quem unicum reliquerat, converterunt. qui etsi nondum debitae aetatis statum attingeret, procerum tamen et nobilitatis omnium assensu post patris funebria, quibus summus per Polonos iuxta gentilitatis et illius aetatis ritum, honos est peractus, LESCO ipse in Principem assumitur, et certi Barones pro curatoribus donec adolesceret illi deputantur, sub quorum gubernatione bellorum erga Principes Pomeranorum, Cassubitarum, Slavorum, et Cismarinorum, consumatio intermissa elanguit. In virilem autem statum Lesco perductus, paternarum virtutum coepit esse imitator, singulari sobrietate, prudentiaque et Rempublicam dirigendo, et iustitia, liberalitate, atque probitate, in omnes suos subditos clarescendo, militiae tamen munera non aeque ac pater coluit, partaque et restaurata per patrem nihil adiecit, et bellum contra Principes Slavorum, Cassubarum, Pomeranorum, et Cismarinorum penitus gerere intermisit. Anno redemptionis nostrae nongentesimo quinquagesimo secundo, ad regendum Monarchiam Poloniae assumptus, Procerum et optimatum Poloniae magis charitati quam suo merito.

In años

IN ANNOS plures Lesthonis principatu producto, naſcitur illi filius, de cuius ortu plurimis exhilaratus gaudio, nomen illi circa conſecrationem Ziemomysl imponit, ſignificatione nominis, quod ſonat terram recogitans, terrarum Poloniae, in quarum futuri regiminis genitus erat, ſollicitam curam ſibi demandans. Lesthone itaque mortuo praefatus filius ſuus Ziemomysl perfectam in vita patris nactus aetatem ſibi ſuccedit, naturali virium robore plurimum valens non minori etiam virtutum ornatu fulgeſcens. Nitebatur ſecundum pro viribus, et id praecipua vendicabat cura, ut tam avitam quam paternam in omnibus exprimeret indolem et virtutum fragrantiam, inſita ac illi in cives et forenſes effunderet. Et quamvis avitam felicitatem audaciamque in gerendis bellis non impleverit, caeteris tamen virtutibus ſuis nihilo fuit inferior, et quod ille bellica laude et armis, hoc iſte toga et prudentiſſima in ſingulis rebus librationeque modeſtia creditus eſt patria praeſtitiſſe

Ioanne Papa duodecimo interim mortuo, Benedictus quintus a Romanis eligitur, contra Leonem, ſed ab Othone Ceſare deponitur, et in exilium ad Saxones miſſus illic conſeneſcens obijt

ANGEBATUR autem Princeps Ziemomysl dolore vehementi, quod uxor ſua annis pluribus ſterilis manebat, credens ſtirpem ſuam extinctum iri. Inſpectore tamen et remuneratore omnium virtuoſorum operum deo, apud quem nullum opus ſine praemio praeterit, ſterilitatis opprobrio adempto, faecunda et gravida eſſe coepit. Sed partus die adveniente ſummum gaudium ~~quidem~~ quod de ortu nova et inſperata prolis Ziemomysl credebat ſibi proventurum, verti contigit in luctum. Enixa quidem eſt uxor Ziemomysl marem, ſed caecutientem, quod utrique parenti ſingularem dolorem et amaritudinem inferebat. Sterilitatis quoque incommodum de dedecore illo magis videbatur auctum, quam praeceſſit, Stimulabat et amplior dolor, quod regina illo unico filio caeco edito, parere desinens, sterilis ut ante permanserat, natus quoque filius in annos aliquot succrescens, nec aliqua videndi potentiae signa praeferens, perpetuam oculorum caliginem portendebatur habiturus. Pater autem pueri in virtutum operatione nihilo factus est segnior, sed pluribus placitis Deo actionibus refulgens, Hospitalitatem, quam haereditariam a proavis acceperat, summo studio sectabatur. Omnium autem quos unquam legi Polonorum Historiographorum annales et literae de caecitate huius Mieszkonis concordant, scribentes, illum infra cellam adhuc materni uteri caecitatis contraxisse tenebras, caecumque effusum integro septennio ab ortu caecitatis aerumnas tolerasse. At clementissimus Deus genti Polonicae propagationis gratiam post tot quae praeterierant aetates, impensurus, lumine quoque Polonos iuxta ac ceteras illustraturus gentes, fidei, caecum illius principem nasci caecitatis quoque opprobrium septennio ferre, occulto suo iudicio permisit, ut Princeps ipse caligine oculorum percussus, mente plus videret, quandoque quoniam oculis et caecitatis tenebris a se per gratiam Salvatoris depulsis carnalibus, propensius et ipse a se et ab universa gente sua Polonica infidelitatis et idolatriae sordes et tenebras effugaret diuturno tempore concretas

INSTANTE denique septennio, in quo iuxta ritum Polonorum veterem et gentilem, filius Principis debebat tonsurari, et nomen illi aptari et imponi Ziemomysl princeps primores Procerum et nobilium Poloniae Gneznam ad solennitatem tonsurationis, in filio suo, quamvis caeco peragendam invitat. Qui autem constituta advenerant, dum de nomine puero apte imponendo quaereretur, Myesskam illum et Patris et Procerum decreto appellari placuit, quod in vulgari Polonico significat turbatio vel commotio, eo quod conditioni suae caecitatis, et parentibus, et genti Polonicae in suo exortu confusionem intulit, et patre Zemomysl decedente, maiorem esset illaturus, verentibus Proceribus et nobilibus Poloniae, et id crebra sermonum et tractatuum ingeminatione usurpantibus, quod patre suo Principe Zemomysl mortuo, maior vel eadem turbatio, quae post mortem Pompilij acciderat, Poloniam esset invasura. Tonsurato itaque Principis Zemomysl filio, coeperunt tam ipse quam omnes corrogati Proceres epulari, ovantibus tamen omnibus, solus Princeps Zemomysl filij tum tonsurati caecitatem animo et cogitatione volvens, altis suspirijs pectus implebat, tacitis singultibus de tanta nati infelicitate, seipsum verberando, cui tanto dolore consternato mirum in modum subitus nuncius advenit, denuncians filium Miesshonem in ipsa hora perfectam claritatem et visionem oculorum accepisse. Sed patre Principe et convivis universis dubitantibus magis, quam credentibus, mater pueri Principissa, de epulantium triclinio exilijt, experimentum denunciatae novitatis palpatura. Quae cubili, quo puer affirmabatur ingressa, videns in orbibus oculorum, prioribus nebularum tenebris dissolutis et disparentibus, veram claritatem illuxisse, attonita, prae gaudio, decidit in terram, et a ministris sublevata, spiritu resumpto, rapto in ulnas puero ad coniugis et convivarum defert conspectum, secum, nisi coram viderent, puerum, accedenti miraculo nullatenus credituros. Repletur summo gaudio pater, replentur et convivae. Pater tamen super sublato opprobrio uberius exultans, lachrimis faciem irrigabat, quas letitiae immensitas indites cordis expresserat. Puer quoque Myessha mirabundus exultat, et nunc parentum, nunc convivarum intuitus, quos nunquam ante viderat, vultus, singulis illum certatim deosculantibus applaudit. Extenduntur dies conuiuij, epularum quoque praeparatio intenditur, et magno strepitu, miscetur atque iubilo, regia conversat universa, parum quoque id Zemomysl ducens, singulis proceribus et nobilibus ipsi ~~nati~~tatis munera largitus est, mirificumque se cunctis sodali et tempore plus solito ostendens, quo divinitati propitia desijt esse et infelix et orbus. Placet nonnullis ducalem puerum Mieczslaum, quod significat habiturum gloriam, appellatum fuisse; sed ad nomen Mieschko per diminutionem vocitationis, dum puericiam ageret, defluxisse, quam opinionem nos quoque ex multiplici respectu probamus, attento, quod Poloni Regum et Principum suorum nomina, non in ko, sed in slaw terminare solite sunt, lingua sua formando Principum et Regum nomina Wladzislaw, Boleslaw, Mieczslaw, Przemyslaw, Stanislaw, Swantoslaw.

DULCIORI posthac puer Mieczslaw providentibus parentibus cura habitus est, ad tam ministrorum quam suppellectilium ad eius ingenuam educationem duplicatus numerus et ordo. Magnum enim illum futurum tam apud patrem et proceres nobilesque Poloniae quam apud ceteras nationes declarabat naturalis caecitatis et usque ad septennium perpessa, supernaturalis quoque illuminationis divinitus attributa portentum. Quo quidem Zemomysl Princeps vehementius quam ceteri, paterno incensus ardore, permotus, ariolos, aruspices, divinos, Phitonicosque sepius scrupulosi consultos inquirebat quid filij sui caeci nati caligo, et in septennio divinitus collata illuminatio portenderet. Omnium autem consona responsio accipiebat regionem Polonorum superiorum Principum pravis moribus et ignavia caecutientem, tenebrescentemque, filij sui virtute et singulari prudentia fore et illustrandam, et in sublime erigendam. Quod etsi pater, divinationes quae erant implicitae, carnaliter intellexisset, veriori tamen spirituali intellectu comprobatur fuisse impletum, postquam Mieczslaw ipse superstitionem Idolorum, quae haereditaria successione coluerat, et quorum cultura per plures successiones traducta septennario, qui universitatem designat significatur numero, abiecta, lucem veri luminis et fidei ut in sequentibus narrabimus, apprehendit. Ziemomysl tandem Polonorum Monarcha cum plures annos gratus civibus, gratus forensibus, in principatu exegisset, et Rempub. strenue et prudenter gubernasset, filio Mieczslao iam maturam aetatem sortito regnum derelinquens in aetate pene eadem qua proavus suus Piastus vixit in ritu sacrilego, complorante illum universa Polonia mortuus est, et in Gnesnensi castro patribus suis gentilitatis more appositus Anno ab ortu Christi nongentesimo sexagesimo quarto, annis octo in regni Poloniae gubernatione ~~assumptis~~ absumptis

Leo octavus natione Romanus Joanne deposito, omnium votis electus est, hic statuit ut nullus Papa fieret sine consensu Imperatoris, propter maliciam Romanorum qui filios suos et consanguineos per [illegible] vim intrudebant in Papatum. Sedit anno uno, mensibus quatuor, cui Joannes tredecimus successit

SEPULTURA Ziemomysli Principis iusto honore confecta, proceres et nobiles universi Poloniae unico filio eius Mieczslao ultimo Paganorum Duci, collatum dudum a Patre innovant Regnum, et ipsum Gnesnae in Dominum et Monarcham Polonorum assumunt, eo quidem minus cunctanter quo maiore spe suam Rempublicam per illum, ut divinatorum prodiderant indicia, amplificandam crediderant, et quamvis iusto imperitaverit regimine; nonnullaque bella cum finitimis feliciter gessisset, per annos tam multos falsa augurum non implevit oracula, ut etiam quaedam a spe concepta excidisse viderentur. In Venerem quoque more barbarico proclivus, cuius licet castissima fuerit adolescentia, libidinosa tamen et lasciva fuit aetas provectior, septem enim puellis quas uxores nominabat, utebatur, non tamen ex aliqua illarum sobolem et futurae suae successionis solatium susceperat. Quam dum orbitatem suam crebris sermonibus accusaret immodice, per nonnullos Catholicos viros, tum religiosos et spiritualibus, tum etiam saeculares, qui in curia sua obversabantur, et qui ex finitimis regionibus curiam suam accedebant, per quos iam fidei splendor, et Christi redemptoris adventus radiare in Polonis sensim coeperat, sibi suggestum est, ut sacrilego idolatriae cultu relicto, unum verum Deum agnosceret, et fidem Catholicam cum gente sua prophanis ritibus deleta susciperet, tum eum et faecunditatem sibi prolis, et cuncta alia feliciter perventura, et ipsum inter Principes Catholicos Slavonicae generis atque linguae in se et filiis celsiorem sortiturum thronum, et magnum et celebrem futurum. Cui suggestioni benignas aures accommodanti, plura per viros religiosos et Heremitas adducta sunt, quibus et idolorum quae hactenus colebat spurcities et cultoribus earum, gehennis et perpetui praeparati detegebantur cruciatus. Simul quoque divini consilij super redemptione generis humani summa benignitas sibi declarabatur. Inspiratione itaque agni caelestis, quia Polonorum gentem in sacrilegijs ritibus hactenus spurcidam et foedam, caeterisque Catholicis nationibus invisam et contemptam cerneret, et ad sui nominis agnitionem vocationemque et culturam volens perducere, inspiratus, et salutaribus consilijs et monitis virorum religiosorum et Heremitarum persuasus, flexus est Christianum venerari dogma, et se per omnia eorum doctrinis acquieturum repromisit, et omnis Polonorum regionis a Dijs gentium, ad veram orthodoxamque religionem caeremoniasque eius se adducturum spopondit

Brzimislaus seu Nechlam Bohemorum dux moriturus, Hostivitum maiorem natu filium in Principatu instituens, Depoldo altero filio Prenimiam Burminghem in sortem dedit. Hostivito Borzywoij successit. Qui et ipse a Beato Methodio Moravorum Episcopo cum Ludmilla coniuge sua filia comitis Slamborij ad Baptismi gratiam perductus est. Borziwogius duos filios Spitignium et Wratislaum reliquit. Primus patri successit, sed moriens sine liberis, fratri principatum reliquit. Coniunx Wratislai Drahomira mulier audax, et in scelus prona, duos uno partu geminos Wenceslaum et Boleslaum effudit. Prior a Ludimilla enutritus alter a matre, utriusque mores alumnarum sortiti. Wenceslaus pius, mansuetus, religiosus, et in pauperes liberalis. Boleslaus contra ambitiosus rapere, occidere, adulterari, et opprimere solitus. Ludimilla parti tre ex cedenti imperium Regni sortita, iussu Drahomirae strangulata est, et inter Sanctas relata. Wenceslaus charitati populi propter sanctos mores, liberos et admirandus habebatur. Eo odio frater Boleslaus inflammatus, matre instigante, conviviū extruit, et Wenceslaum fratrem invitatum post epulas ad Ecclesiā orationis gratia properantem, in limine, anno Domini nongentesimo trigesimo octavo et anno Othonis primi primo obtruncat, qui et ipse clarissimis fulgens miraculis, Sanctorum honores sortitus. Drahomira mater pro scelere parricidij apud Pragā arcem hiatu terrae absorpta. Boleslaus totius Bohemiae, germano interfecto, cuius sibi longā putabat mortē expectare, dominiū adeptus. Indignā mortem viri Beati Wenceslai Otho Imperator primus ulturus, in Boleslaū Bohemiae Ducem insurget, bellumque indicit, longaque inter eos altercatio annis quatuordecim tractata.

Explicit Liber Primus

LIBER SECUNDUS.

ANNUS DOMINI NONIGENTESIMUS SEXAGESIMUS QUINTUS.

Monentibus autem viris Catholicis et Religiosis, septem pellices, quarum carnali detinebatur amore, a se abdicari iussit, ne molliciis muliebribus eum in assuefacta detinerent idolatria. Quorum contubernio remoto, ad Principem Bohemiae Boleslaum Sancti Wenceslai interfectorem, et germanum, procos mittit, filiam suam Dambrowkam pro unica et legittima uxore sibi petituros. Verum dum Bohemiae Princeps respondisset, se magnificum et insignem generum non abnuiturum, si illum ritus gentilis abiicere, et fidei Sanctae Catholicae normam eum suscepturum scisset, aliter enim filiam suam nulla ratione gentili et idolorum cultori Principi aliquatenus desponsaturum. Eodem responso virgo Dambrowka procis et nuntijs Mieczslawi Poloniae Ducis, illam de ineundo foedere matrimonij interpellantibus, versa respondit: Non convenire suae conditioni Christianae se Idolatrae nubere; ubi tamen Mieczslaus Dux Poloniae spurcitias idolorum abiecerit, et baptismatis lavacro renatus fuerit, non recusaturam se in eius transire amplexus. Eo responso Poloniam relato frequenti Senatu Mieczslaus Poloniae Dux coacto, quid facto opus esset, consultavit, Satraparum suorum sententijs variantibus placuit rem in crastinum differri. In nocte vero subsequenti, propitiatio divina aerumnas longi erroris Polonorum miserata, Mieczslao Poloniae Duci, et pluribusque suis Consiliarijs, per quietem inspirat, et imperiosa visione monet, conditionem oblatam ne negligant, felicitatem Regni ex fide suscepta exturam et in omnes aetatis Saluti. Mouit sacra visio et Ducem Poloniae et proceres, decretoque concordi desumenda Christianae salutis religio sancitum est, purgantibus procis totam difficultatem et Principem suum non se solum, sed et universam Polonorum gentem de fidei articulis peroptime instructos, unda Baptismatis abluituros. Euidenti allegatione certificantibus affinitatem postulatam, Dux Boleslaus Bohemiae gratificat, et Nuntijs Ducis Poloniae Mieczslawij filiam ſuam Dambrowkam virginem nobilem et honeſtis moribus plenam, cum dote et ſuppellectili locanti et accipienti digna tradit præfato Duci Polonorum Mieczſlawo deſponſandam.

Fuerunt autem plures numero, Polonorum Reguli, Proceres, et Satrapæ, qui in ſuſcipienda fidei Chriſtianæ diſſentiendo grauiter aduerſabantur. Alij dicentes eſſe ſuperſtitioſam Chriſtianorum ſectam, alij obſervantias eius fore difficiles, alij non eſſe bonum poſtponere commoda paternarum traditionum, et novæ ſectæ et Sacrinis inſolitæ libera colla ſubiugare, Ita tamen et pluribus alijs oppoſitionibus, miſeratio divina, quæ dat ſalutem Regibus, ærumnas longi erroris Polonorum miſerata, facile diſſolvit, inſpirando Polonis converſiam, et religionis Chriſtianæ puritatem, ne illa abiecta a Bohemis cæteriſque nationibus pro contemptibilibus haberentur.

PROCIS autem Ducis Poloniæ Mieczſlawi, pluribuſque Baronibus et nobilibus de Bohemia virginem Dambrowkam cum apparatu et ſumptu magnifico, doteſque et ſuppellectilem raram et inſignem ſecum, ut par et dignum erat, ſorori et genero, ferentem, comitantibus, ad Regiam Gneſnenſem perducta, ubi tam a Duce Mieczſlawo et ſuis Baronibus et Proceribus Poloniæ, quam ab omnibus ordinibus ſibi obviam itum eſt, et ingreſſus ſuus, magnifico cultu, et ſuperbo exceptus. Pro quo honeſtando inſigniores matronæ et virgines Poloniæ, varijs gemmis, auro, argentoque onuſtæ, cæteriſque inſignibus decoræ, Gneznam iuſſu ſuo in cœtus convenerant. Tranſactis autem paucis diebus Dux Mieczſlawus, de fidei Orthodoxæ articulis, et ritu, ſufficienter per viros religioſos, et Anachoriticam vitam in regionibus ſuis ducentes, quos ob eam rem ſingulariter acceſſiverat, inſtructus, tenebris vetuſti erroris renuntiat, et cum principalioribus Baronibus et nobilibus urbiumque Poloniæ primoribus, ſaluberrimã Orthodoxæ religionis Catholicæ legem amplexurus, ſua de tenebris idolatriæ in lumen fidei converſionis primitias ſacro fonte conſecrat, ſacrum in Gneſna ſuſcipit Baptiſma, et depoſita in regeneratione omni vetuſtate peccati, in no uam animae innocentiam, vitaque infantiam est renatus, lavacro baptismali sordibus ablutus, tam facinoribus, quam idolorum, ex caeca et vetusta caligine idolatriae; in agnitionem et puritatem fidei, et religionis Orthodoxae vocatus, lumineque eodem fidei lumine rationis naturalis, quo etiam illum regem altissimus consignaverat, exoriente, illustratus, et gratia Spiritus sancti ex aqua et spiritu renovatus est. Vetustoque nomine Mieszko abrogato, velut barbaro, Mieczslaus nominatur. Sed et germana sua virgo sacro charactere fidei insignita, Catholica efficitur, eique nomine Adleida aptatur. Eodem insuper die Sacramento Baptismi peracto, Dux Mieczslaus aliud contingit Sacramentum, et virginem Dambrowká ritu Catholico sibi desponsat. et nuptiae felicissimae rogatis variis Principibus Gnesnae pluribus diebus magnifico celebrantur apparatu, et singuli invitati, et omnia opulenter et delicate tractantur necessariis, et multiplices ludi et spectacula in honorem Principis, et ducis acta tum solemnitatis instaurantur. Qua finita, Principes finitimi Baronesque et nobiles Bohemiae sumptuosis muneribus a Duce Mieczslawo honorati, in oras proprias reversi, Ducis Mieczslawij Poloniae munificentiam, liberalitatem, et opulentiam, laxato sermone divulgant. Ex eodemque tempore universa Polonia regio fidei Sanctae Catholicae iugum subiit. Studio quoque Ducis Mieczslawy et consortis suae Dambrowcae ferventissimo, Poloni miseratione divina, lumine fidei illustrantur, praesidente in Cathedra Petri, Leone octavo natione Romano, qui eodem anno rebus humanis exemptus est, et cui in vicariatu Christi Stephanus septimus natione germanus, per electionem conformem successit. Secundum alios, Ioannes XIII natione Narniensis, alii scribunt XII. Strenuissimo post haec Mieczslawo, Polonorum Principe educto, et omnium Baronum et nobilium

Poloniae consensu communi confringuntur idola, et falsorum Deorum simulachra, atque ignis flammis traduntur. Cultores vero illorum, et singulorum bonorum privatione, et capitis plexione mulctantur. Sed et singulos ritus celebritatesque atque festa quibus honos et supplicatio idolis impendebatur, Sed et omnes ariolos, incantatores, augures et phitones, Mieczslaus Dux Polonorum abrogavit, et erasit de terra, ludos omnes publice et privatim in honorem Deorum gestos prohibuit, non enim est Deus noster ut Dij gentium, quos saepe populus Polonicus, ludis, plausibus, et gestibus inhonestis atque sexcentis alijs generibus impietatis placatos credidit esse. Felicissimus profecto et Deo amabilis princeps qui primus Polonorum regiones fidei Orthodoxae, et corpori Sanctae Ecclesiae per veritatis cognitionem et idolorum destructionem innexerunt, et quoniam fere in omnibus civitatibus, oppidis et villis insignioribus Poloniae, simulachra Deorum et Dearum idola, atque luci habebantur, quae lentius tardiusque quam iussio habebat Mieczslai principis, succidebantur, confringebantur, septima dies Martij ad confringendum abolendumque ea in universis Polonorum regionibus a Mieczslao indicta est. Qua adveniente quaelibet civitas, et quaeque villa suorum Deorum simulachra confringere, et confracta in paludes, lacus, et stagna, prosequente populi utriusque sexus multitudine, demergere, saxisque obruere cultoribus Deorum Dearumque, et his praesertim quibus sacra eorum erant quaestui profusius ingemiscentibus, illachrimantibusque, non tamen quicquam metu praefectorum Ducalium mutire audentibus, coacta est. Quae quidem falsorum Deorum Dearumque confractio, demersioque tunc facta, apud nonnullas Polonorum villas simulachrum Dziewanam et Marzanam in longo ligno extollentibus et in paludes in Dominica Quadragesimae Laetare proijcientibus et demergentibus repraesentatur, renovaturque in hunc diem, nec huius consuetudinis vetustissimae effectus usque modo apud Polonos defluxit.

ANNVS DOMINI NONIGENTESIMUS SEXAGESIMUS

MUS SEXTUS, Rudimenta fidei nuper suscepta et initiata Mietzslaus qui et Myescho Polonorum Princeps, post sacros suscepti baptismatis lavacris auctivus apud caelestem Regem suorum cumulum meritorum, et fulgorem sui diffusivus Principatus, in soliditatem perfecti roboris volens perducere, et in omnibus quibus religio Christiana veneratur, et colitur, ceteris Principibus nihilo inferior esse, ad sacrorum locorum dotationem, ministrorumque Dei institutionem, fideli et devota consorte Ducissa Dambrowka, suasione religiosa et ferventi devotione refertum animum mariti et Principis sui, instigante; omnem curam et cogitationem suam convertit. Et primumquidem in locis magis celebribus, Gneznae videlicet et Cracoviae duas fundat Metropoles, Gnesnensem quidem in titulum et honorem excellentissimae Dei et Domini genitricis virginis Mariae, a qua plenitudo totius salutis et gratiae manant, Cracoviensem vero ad instantissimas preces consortis suae Ducissae Dambrowcze, in titulum Sancti Wenceslai novi eo tempore Martyris, cuius eadem Ducissa Dambrowka germana erat neptis, Et quia in natione Slavonica primus martirio et sanctitatis insignis refulsit, Gnesnensem tamen superiorem esse voluit, et apud illam decus primiciale consistere, Cracoviensi vero secundum. Item Ecclesiae Cracovien̄ praeesset Gnesnen̄ ut esset una, Gnesnensi vero praeesset Cracoviensis ut esset prima, Pro quarum honore Metropolitico, septem alias Episcopales Ecclesias videlicet Posnaniensem, Smogorzoviensem, quae nunc Wratislaviensis, Cruswiciensem, quae nunc Vladislaviensis, Plocensem, Culmensem, Lubucensem, et Camminensem, quas binis Metropoliticis Gnesnensi et Cracoviensi Metropolibus voluit esse subiectas. Duae autem Suffraganeae quas nominavimus videlicet Smogorzoviensis, et Cruswiciensis, propter locorum transmutationem etiam titulos suos variare coactae sunt. Smogorzoviensis enim primum in Bitzman oppidum districtus Brigensis, sed propter uberiorem situm, tandem in Wratislaviam translata est, et ultimi loci sortita est appellationem

tionem. Cruswicensis quoque per solitudinem loci, in quo primum fundata erat, Wladislaviam meruit transferri, Caeterae Ecclesiae Cathedrales et loca et nomina originaria retinent, in hunc diem. Fundavit praeterea et alias collegiatas plures, Parochiales quoque Ecclesias, Monasteria, et loca religiosa, secundum quod Neophitorum populorum tum necessitati, tum devotioni videbat congruere. Smogorzoviensem seu Vratislaviensem Sancto Joanni Baptistae principatum post intemeratam virginem inter omnes Sanctos retinenti; Posnaniensem Sanctis duobus praecipuis Apostolis Petro et Paulo, Cruswicensem seu Wladislaviensem Sanctissimae Mariae virgini, Plocensem Sancto Sigismundo Regi et Martyri, Culmensem Sanctae Cruci, Caminensem Sancto Joanni Baptistae, Lubucensem Sancto Joanni Evangelistae in titulos erexit, et in honorem eorum Basilicas praefatas dedicari disposuit. Quod quidem sui operis pium et laudabile in fundamento tot Ecclesijs Cathedralibus meritum, felicitatem suam ad aeterna capessenda praemovit praemia, et tam sui, quam omnium successorum suorum Principum et Regum Poloniae tempora, omnibus saeculis laude maxima efferenda mandavit, et res perituras in non perituram coegit transire mercedem immarcescibilem sibi thesaurum apud superos cumulaturus. Testimonia autem nulla exquirimus, cum operis effectus sub hominum conspectu assidue volvitur, dicta praeponderans, quantalibet depositione solennium, opus suum apud Deum et homines illustret. Quapropter bonorum omnium retributor multiplicavit Regni Poloniae prosperos successus, multiplicavit incrementa frugum, justitiae Regis cumulavit gloriam, praestitit virtutibus praemia postea aeterna largiturus. Ordinatus est autem in Gnesnensem primus Archiepiscopus Wilibaldus, in Cracoviensem vero Ecclesiam primus Archiepiscopus Prohorus, In Posnaniensem primus Episcopus Jordanus, In Vratislaviensem primus Gotfridus, In Cruswicensem seu Wladislaviensem primus Lucidus, In Plocensem primus Angelotus, In Culmensem primus Octavianus, In Caminensem primus Iulinus, In Lubucensem primus Iacinthus. Egit eo anno Dux Russiae Swantoslaus in Hungaros, qui et ipsi Ruthenorum sunt populi, expeditionem et obtinuit eos bello, et cepit castrum eorum Bialawiesz, et facti sunt ei tributarij. Egidius Episcopus Tusculanus Cardinalis Poloniam a summo Pontifice Ioanne 13° missus, singulos Episcopatus Poloniae videlicet duas Metropoles Gnesnensem et Cracoviensem, Item Posnaniensem, Wratislaviensem, Wladislaviensem, Plocensem, Chelmensem, Lubucensem et Caminensem confirmavit, et singulis Dioecesibus terminos posuit, et distinxit. De quo etsi singulae Ecclesiae eiusdem Egidij Cardinalis et Legati privilegia et literas habuissent, singularum tamen Ecclesiarum singulares literae aut parum solerti cura custoditae amissae sunt, aut frequentibus, cum tunc in Polonia infrequentes forent muri, periere incendijs.

ANNUS DOMINI NONIGENTESIMUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

Novem Cathedralibus Ecclesijs a se fundatis Mieczslaus Polonorum Dux dotes sufficientes assignat, et tam Pontificibus earum, quam personatibus, dignitatibus et Canonicatibus in Cathedralibus et alijs institutis, Monasterijs quoque et Ecclesijs Parochialibus, omnem universae Polonorum regionis omnium frugum nascentium deputavit decimationem, Sic et universos Barones, proceres, nobiles, cives, et rusticos, non solum ad redditionem, sed etiam ad iustitiam campestralis decimae subijciens. Largitus est praeterea Ecclesijs Cathedralibus, collegiatis, conventualibus, et Parochialibus, largas possessiones, fundos, reditus, et praedia, largitus est et pretiosa clinodia ex auro et argento fabricata, vasa et Clinodia diversi operis, vestes quoque sacras, et caetera ornamenta. Sed neque his contentus

omnibus

omnes Cathedrales Ecclesias a se fundatas, firmissimis, licet humilibus et angustis muris, iuxta illius temporis qualificationem et morem, quadra petra et tabulata perficit, et ornamentis plurimis variatus lapidum, uncturis, commissionibusque ferri et plumbi communit. Ex omnibus tamen octo Ecclesijs praefatis devotione et sumptu suo fabricatis, unam tantummodo videlicet Cruswiciensem superesse videmus, antiquitatem suae fabricae, saxo, artificio, et more attestantem, septem enim caeterae successu temporum, Regum, Principum, et Pontificum Poloniae devotione et liberalitate accrescente, demolitae sunt, et in earum vicem insignis et excellentis Ecclesiae magnifico et sumptuoso opere, ampliato situ, extructae. Providebat et illustris religiosaque foemina Ducissa Dambrowka pro vice sua singulis Ecclesijs a viro suo fundatis, vasis, apparatibusque ad cultum Ecclesiarum necessarijs, et universa quae habere poterant in sacrorum locorum usum et ornamentum erogabat, adeo ut eam cum marito et Principe suo Duce Mieczslao liberalitate et largitione in Ecclesias et servos Dei constat pio studio certasse, quorum universa Poloniae Baronia et nobilitas aemulata mores, et vestigia, in praedijs et villis suis ad constructionem et fundationem Ecclesiarum, dotationemque earum ferventius intendebant. Ex alto autem benignitas divina in operariam per Ducem Mieczslaum et consortem suam Dambrowkam certa eorundem respiciens, prolis illis foecunditatem concessit, Ducissaque Dambrowka concipiens, filium pulcherrimum peperit. Cui patre annuente, matre quoque plurimis precibus instante, avi avunculique materni in Sacro Baptismate nomen imponitur Boleslaus, quod significat plurimum famosus, magnum illum et famosum etiam hoc nomine portendens. Eodem anno Boleslaus Bohemiae Dux Sancti Venceslai occisor et Ducis Poloniae Mieczslaij gener moritur, cui filius eius Boleslaus vir plurimum modestus et pius, germanus Ducissae Dambrowcae Poloniae succedit, patrui magis quam patris aemulatorem se gerens, ad augendum cultum divinum, fundando

dando pleraque Corlisias animum intimat. Frater alter suus Strarzi quasi saeculo relicto apud Ratisponam Bavariae civitatem in caenobio Sancti Emmiramii Monachatum assumpsit. Soror altera Mlada, sacris imbuta literis et multa eruditione pollens, monasterio Sancti Georgii in arce Pragensi construendo et sacrae cellae facta caeteras virgines suo exemplo ad professionem virginitatis et religionis induxit

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS SEXAGESIMUS OCTAVUS

Hessi Pannoniorum sive Hunnorum princeps, fama nobilissima virginis Adleydis Ducissae Polonorum et sororis germanae Mieczslavi ad se pluribus relatione perlata, multiplici commendatione pulchritudinis et virtutis eius aulicis differentibus, mittit Poloniam ad Ducem Mieczslaum solemnes nuntios, virginem praefatam Adleydam sibi procaturos, pro consorte, priori uxore fato interempta. Quorum petitione Dux Mieczslaus audita, et in consilium Praelatorum et Baronum suorum relata, quid agendum sit, aliquandiu consultat. Et quamvis et ipsa virgo Adleydis thorum gentilis principis magnopere abnueret, et nonnulli Consiliarii suum modi affinitatem propter ritus disparitatem improbarent, disponente tamen caeli iudicio, quae ex malis novit optima eligere, flectit Dux Mieczslaus animum suum, et sororem suam virginem Adleydam, spem futurae reductionis principis Hessi et gentis Hunnorum ad fidem Catholicam sibi ingerens, per eum firmandam Itaque Duce Mieczslao Poloniae de consilio consiliariorum consentiente, contrahitur inter Ungariae et Poloniae dominia, et principes eorum affinitas, et virgo Adleidis Ungariam deducta Duci Hessi copulatur. Quae velut faemina religiosissima coepit magnae devotionis sanctitatis specimen, quamvis inter sacrilegos et profanos homines versaretur, de se exhibere, et sedula

persuasione

persuasioni, operibusque religiosissimis. tam virum suum Geysę Ducem, Hunnorum, quam proceres et nobiles suos ad fidei Sanctae Catholicae agnoscendum amplectendumque lumen, invitare. Fovebat et ipsa mulier benedicta Ducissa Adleidis plures Status Ecclesiastici viros, religione et vitae puritate plurimum pollentes, quos secum ex Polonia, susceptam semel fidem nulla contagione temeratam, conduxerat. Hi itaque Ducissae Adlaidis comisso, et iussu, legis Divinae et Evangelij saluberrima monita saepius Duci Geysę et Consiliarijs eius instillabant. Quorum assidua doctrina et consortio sua quotidianis precibus, et lachrimis perunctis, sordes idolorum in quorum cultura in eam diem versabatur abijcit, et cum primoribus Baronibus fidem sanctam suscipiens, dirigente providentissima coniuge Adleida, baptisatur, maioremque regni sui partem sacro Baptismatis fonti ablui procurat. Mirabili itaque miseratione altissimi, Polonis per Bohemam Dambrowkam, Hunnis per Polonam Adleidam, Catholica veritas eadem aetate licet modicum distincto tempore resplenduit, sanctificatio quoque per foeminas provenit, non virorum solum, sed et duarum inclitarum nationum. Ecce quam mirabilis imo inaestimabilis divinae miserationis respectus, ut duas terras Poloniam videlicet et Ungariam confinea salutis aeternae causa, duarum obsequio mulierum misericorditer visitaret, Una enim earum extitit occasio, imo causa Catholicae fidei mysteria in Polonia seminandi, et divini verbi semen salubriter propagandi; Altera vero earum fuit origo superstitionum idolorum, ex Ungaria penitus eradicandi, et religionis Christianae principia cognoscendi, et sanctitatem vitae cum dinorum assumendi. Quarum prima edidit Ducem Poloniae strenuum defensorem Boleslaum, altera genuit Stephanum Regem Ungariae, vitae merito, totius Ungariae assiduum protectorem. Gratias igitur agant utriusque regni incolae immensae Dei pietati, et in tripudium iubilationis et laudis iubilationibus et laudibus cum exultatione mentis et corporis indesinenter prorumpant, dicentes: Benedictus es Domine Deus noster, qui diuturni nostri laboris miseratus et erroris, oriens ex alto, et viam veritatis nobis aperiendo, nostram dignatus es visitare et illuminare caecitatem, et inaestimabili pretio redimere captivitatem.

ANNVS DOMINI NONIGENTESIMVS SEXAGESIMVS NONVS.

Ferventi sollicitudine ad eradicandum, eliminandumque ritus sacrilegos, et ad plantandum in singulis angulis et locis Regni Ungariae fidem, religionemque Christianam, Hesse Duci Ungariae una cum consorte sua filia Adelheida intendenti, insolita et stupenda bonitatis divinae dignatio, Hesse Ducem consolatur visione. Astitit enim illi adhuc quiescenti adolescens decoro et placido aspectu, et stertentem adhuc in aurora ortu vehementer exterruit, cui dixit: Pax tibi Hesse Christiane, Deo dilecte. Annuncio tibi vota tua ad conspectum altissimi, auresque perlata, benigne suscepta esse, de his quoque quae pro religione Christiana meditaris, ne sis sollicitus, ex lumbis siquidem tuis nascetur filius, cuius solerti providentia, universa ad cultum fidei necessaria gubernabuntur, ad quem virum fidei ardore plenum et religionis sanctitateque insignem instructionem sua in singulis dirigendum plenitudinem temporis venerit; non dubites voluntati divinae venturum. Sed et ipse filius tuus primus inter principes Hunnorum diademate ornaturus est tempora, et terreno Regno transacto aeternum pro labili et caduco commutaturus. Visione huiusmodi Dux Hesse supra modum exhilaratus, altera die consortem suam

Ducissam Adleidam comperit gravidatam, quo signo crediderit omnia sibi denunciata ex ordine infallibiliter eventura. Simile quoque, sed magis illustre visio nobili faemina Adleida Ducissa contigit, dum enim partui esset vicinior, apparuit illi vir reverendus Levitico habitu amictus, trementique et de visione eius pavidae dixit. Confide filia, et depone timorem, certaque esto quia filium in brevi es paritura, coronam primum terrenam, deinde pro meritis immortalem adepturum, cui nato nomen impones meum. Quem cum stupore et extasi Ducissa Adleidis inquireret, Quis es Domine, aut quo nomine vocaris? Ego sum, inquit Stephanus Prothomartyr qui primus martirio stolam meam insigniui, meumque nomen filio ex tuo nascituro utero iubeo imponi. Quibus dictis disparuit. Ducissaque felix Adleidis, visionem praefatam primum consorti suo Duci Geysae, deinde viris timoratis et religiosis, non sine profluvio lacrimarum patefacta, filium post menses novem editum Stephanum nuncupavit. Licet aliqua Hunnorum annalia fingant Geysae Duci Ungariae ex Sarolth filia Gyula Ducis Transilvani uxore iam tunc secunda Stephanum filium de quo loquimur susceptum. Quo etiam tempore Stephanus septimus natione Romanus Leoni immediate succedens Cathedram Petri iam rexerat triennio, et qui eodem decedens anno Martinum tertium natione Romanum habuit successorem.

MIECZSLAVUS Polonorum Princeps attendens, quod auditum Dominus per potentiam clementiam suam superexal tamen gloria sui nominis suaeque fidei sibi affatim et intelligentiam praestiterat, effectum, omnem opem et operam in amplianda et propaganda fide Christiana, in novellis Polonorum plantis, quam efficacissime poterat, impendebat, producens superna prosperante clementia gratissimos religionis Christianae fructus in universa Polonorum regione pro firmitate et profectu eorum qui crediderant volentis.

Joannes Pontifex Romanus a Praefecto urbis captus, et aliquot dus in carcere custoditus, in exilium tandem in Campania mittitur. Sed Ottho Imperator iniuriam hanc ortis culpa bellionibus Romanis, durissime summi Pontificis violentiam, ultus est, aliquibus vero exilio multatis. Sedit annis septem diebus decem.

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS SEPTVAGESIMVS.

Non contentus Dux Russiae Swatoslaus Principatu paterno, Bulgaris vicinis suis infert bellum et octuaginta eorum castris, quae ad Danubij fluenta sita sunt, expugnatis, Bulgaros redegit ad tributum. Swantoslao autem Duce Russiae in Bulgarica expeditione immoranti; gens Pieczinigorum adveniens, castrum Kyow, in quo mater Swantoslai Olha alias Helena, cum tribus filijs Swantoslai nepotibus suis, videlicet Saropolko, Olha, et Wladimiro, residebat, vallat, et impugnat. Fuisset autem dictis castri Kyow, fame Olham et viros qui erant cum ea, premente, subiuganda, nisi nonnulli ex Ruthenis Pieczenigos hostes fallendo mentimentis invenissent, suggerendo Swantoslaum Ducem cum victore exercitu ex Bulgaris advenire. Eo enim nunciamento territi, Pieczenigi obsidione soluta, magna trepidatione discedunt. Sub quo tempore Olha mater Swantoslai moritur

Joannes Summus Pontifex Otthonis Imperatoris fretus auxilio, captivitatem evadens, Romam victor ingreditur, et diversa factionis principes graviter mulctat, ob remunerationem autem collati in se beneficij Otthoni Otthonis filium Augustum appellant

Wilibaldus Gnesnensis Metropolitanae Sedis primus Antistes annis quatuor in Pontificio exactis, moritur, et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur, et genere, et virtuosis operibus nobilis. Cui Hatto Italicus genere anno eodem succedit

Annus Domini

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS SEPTVAGESIMVS PRIMVS

Signum ignei coloris in caelo apparens plurimorum mentes in admirationem et stuporem vertit. Eaque res velut nova et insueta religionis loco apud Polonos habita est. Dissidium post mortem suam Swantoslaus Russiae Dux inter filios suos pro principatu Russiae, se absumpto, accidere veritus, Russiae principatum inter filios divisit, et Jaropolkum quidem natu maiorem in Kyoviensi Ducatu praefecit. Holham vero alterum filium Drewulianis, tertium Wlodimirum Novogrodensibus Duces constituit, magna execratione quemlibet obstringens, ut sorte sua contentus ab alterius occupatione se contineat

Hatto Maguntinus Archiepiscopus nondum integro biennio regiminis usus, consumatus in brevi mortem, et in Maguntinensi Ecclesia sepelitur, Cui Robertus primus Italici generis vir, anno fere eodem fuit substitutus

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS SEPTVAGESIMVS SECVNDVS

Martino Papa tertio qui annis tribus, mensibus sex, diebus decem sedit, defuncto, Agapitus secundus natione Romanus successit. Cuius temporibus Otto primus Dux Saxoniae, qui per Germaniam tantummodo Berengario in Italia imperante, regnabat, duram seditionem principum Germaniae; videlicet Comitis Palatini et Ducis Lotharingiae, sed et germani sui Thangmari, qui se illis iunxerat, rebellionem et hostilem guerram perpessus, contra omnes tamen triumphans, et quosdam ultionem ex illis cepit. Frater etenim suus Thangmarus castro Heresburg cui se incluserat expugnato, in Ecclesia ad quam confugerat confossus interiit. Revertenti Swantoslao Russiae Duci a Graecia, quam hostiliter invaserat, et spolia Graecorum ferenti, Pieczyngi hostes sui per nonnullos Ruthenos et Kyovienses avisati, cum singulis potentiis occurrunt, et Swantoslai exercitumque suum, tum quod spoliis onustus esset, tum quod in loco iniquo pugnavit, facile vincunt. Swanthoslaus ipse pugnam restituere, et suorum foedam fugam sistere satagens, in hostium manus vivus venit, cuius caput Dux Pieczenigorum Kura vocatus praecidens, testam capitis auro ornatam cyphum fecit, ex quo in signum devicti hostis bibere solitus triumphum suum quotidie innovabat

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS SEPTVAGESIMVS TERTIVS

Romanorum Rex Ottho primus et Dux Saxoniae, quam plurimos Saxonum cultibus idolatriae deditos, aut salutifera suasione, aut potestatis suae terrore aut Episcoporum praedicatione fidei subiecit Christianae. Et ut fidei religioque Christianae firmius haberet stabilimentum, in Parthenopoli quae ab accolis Magdeburg dicitur, Cathedram Metropoliticam instituit, cui tres illi subijciuntur Episcopatus. Qui anno eodem mortuus Otthonem secundum habuit successorem filium suum, qui et ipse paternam aemulabatur probitatem, Ecclesiae Romanae devotus et fidelis. In Cathedrali autem Sancti Maydburgensis Mauritij Ecclesia Metropolitana quam fundaverat, magnificeque dotaverat, sepultus est, quae primaria est Almaniae

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS SEPTVAGESIMVS QVARTVS

Frequentibus et varijs pietatis operibus, quae nobilis et Beata foemina Ducissa Dambrowka consors Myeczslawi Ducis Poloniae pro cultu divino in nova fidei plantatione devotissimo studio egerat, alteramque se exhibebat, non contenta, ad patriam suam Bohemiam oculos convertit, Sciebat enim illam quamvis religione Christiana annis pluribus pollentem, honore tamen Pontificali inopem esse. Cruciabaturque sponte, perspiciens Poloniam posteriori quidem ordine in lucem fidei perductam, novem Cathedralibus sedibus in ipsis principijs fore insignitam, Bohemia vero fidei susceptione priori, ne una quidem Cathedra ornatam esse, Sed sub extremum Pontificii sui deliberat Maguntinensis et Ratisponensis administrationi sursusque diduxisse. Illa enim Diocesano subdita erat. Missis itaq crebris nuntijs et literis ad fratrem Bolislaum Bohemiae Ducem, qui Patre Bolislao occisore Sancti Venceslai anno Domini nongentesimo sexagesimo septimo mortuo, ducatum Bohemiae, velut natu maior, et magnae vir pietatis ac religionis, regendum susceperat, illum, et sororem germanam Mladam, in continentiae et virginitatis proposito Domino famulantem, rogat, et obsecrat quatenus tam diuturnum non sinat in sua fronti et gentis Bohemiae inhaerere opprobrium, sed illud quanto citius meliori provisione summoveat et abstergat. Sororis itaq suae Dambrowcze crebris precibus et persuasionibus stimulatus, mox ei Pragensis Cathedram in Ecclesia S. Viti per avum suum Beatum Venceslaum muratam fundat, illamq certis bonis temporalibus dotat. Ad quam primus Episcopus Detmarus vir religiosus, et monasticam vitam ducens, natione Saxo, in Slavonica lingua aliquantulum eruditus, eadem Ducissa Polonorum Dambrowka dirigente, promotus est, Praesidente in Cathedra Petri Agapito Papa secundo. Praestiterat autem clementia Dei per preces Beati Venceslai et merita Ducis Bolislai iam Sancti Venceslai occisoris, et germani filijs et filiabus gratiam singularem, nam et filius suus Bolislaus natu maior propter clementiam suam et virtuosa opera contrariam appellationem pius vocabatur, alter vero Stragwasz, ad cuius natali Sanctus Venceslaus invitatus fuerat, a fratre occiso Bolislao, monasterium Sancti Emmerani in civitate Ratisponensi ordinis S. Benedicti ingressus, monasticam vitam quoq degebat, Filia quoq sua, senior Dambrowka Ducissa Poloniae et consors Mieshonis, magnum incrementum fidei attulit, et clarius fulsit, ideo multa pietatis opera, virtutibus. Altera soror Mlada regulam S. Benedicti in monasterio S. Georgij castri Pragensis professa, et post eiusdem loci facta Abbatissa, in bonis operibus vitam consumavit. Comparatione autem iusta facta, reperies Gnesnensem, Cracoviensem Wratyslaviensem cathedrarumq; Olomucensem Ecclesiam fundatione annis octo Pragensem praecessisse, nec unquam labefactatas aut pessundatas aliquo casu vel errore esse; sed per gratiam Dei ab exordio usq ad praesentem aetatem in fide et Christiana religionis virenti perseverantia et augmento floruisse.

Hyems anni gravibus et onerosa pruina, nive gravida, et quae omnia maria, stagna, lacus et paludes inglaciaverat, a Calendis Novembris usq ad Equinoctium vernale duravit in magnam admirationem apud singulos versa, quod simili illius aetatis exemplo promerat

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS SEXTVAGESIMVS QVINTVS

Agapitus secundus Papa Romanus cum annis tribus mensibus sex diebus decem sedisset, moritur, ibi in Ecclesia Sancti Petri tumulatur. et cessavit Episcopatus diebus duodecim. Cui Octavianus, qui Joannes xij cognominatus est successit, natione Romanus, ex patre Alberico. Qui quidem Albericus, alias Albertus filius Berengarij Italo imperantis, cum potens in urbe foret, vocatis nobilioribus Romanis, induxit illos et iuramento constrinxit, ut mortuo Papa Agapito filium suum Octavianum promoverent, quod et factum est, ac ex Octaviano Joannes xii appellatus, cathedram piscatoris ascendit. Otho cum magno exercitu Italiam ingreditur, detestabilem insaniam Joannis xij spurcitijs carnalibus vacantem, damnat. Berengarium captum, et catenis in Almaniam ductum onerat, Alberto filio eius in Corsicam fugato

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS SEXTVAGESIMVS SEXTVS.

Non poterat inter filios Swantoslai Russiae Ducis instituta a patre haereditas et terrarum divisio esse diuturna, sed occisionem Swantoslai sequuta, quasi provinciae et regiones latissimae Ruthenicae a patre relictae angustae illis forent, contentio inter illos de principandi maioritate, et praeminentia suboritur, quam sibi Jaropolkus natu maior vendicare satagens, castrum Varasz, in quo germanus suus Olha consistebat, expugnans, Olham interfecit, et in Ducatum Drewlyanorum sanguine fraterno dotatus, successit. Formidans Wlodimirus natu minor Jaropolkonis tyrannidem ad se quoque aliquando perventuram, quasi fraternam necem ulturus, castrum Kyowiense et fratrem Jaropolkum in illo circumvallat. Venientem quoque ad se in pace Jaropolkum fratrem suasu et consilio sui Halisky consiliarij nomine Blud Palatini interfecit, et omnes tres principatus possidere coepit. Principatibus autem sanguine germanorum quaesitis non contentus, etiam uxorem Jaropolci, graecam genere, ex Jaropolko tunc gravidam, accepit in consortem, ex qua filium Swantopelkum nomine, duos patres Jaropolkum et Wlodimirum habentem, suscepit.

Quinto Calend. Novembris signa ignea in aere visa sunt, in caelo, per totam noctem in Poloniae provincijs, resque huiusmodi monstruosa, uti fuit, insueta Polonis visa, in quod malum imminens genti et terris Polonorum portenderet, Sortilegijs auguribus divinitatem explorari placuit

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS

Dambrowka Ducissa Poloniae consors Mieczslawi Poloniae Ducis foemina religiosa et devota rebus absumitur humanis. Haec in aetate provecta caput non velabat, sed ad instar virginum serto et corona incedebat ornata. Cuius corpus in Ecclesiam Gnesnensem relatum, sepulturae mandatum est, et funeri suo a Mieczslawo principe et proceribus optimatibusque Poloniae, magnifico et liberali sumptu iusta persoluta. Luxit autem illam Mieczslawus Poloniae Dux maritus, et Boleslaus filius planctu magno, sed et omnes viri Ecclesiastici non secus quam suam matrem desiderabant

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS SEPTUAGESIMUS OCTAVUS.

Firmato principatus sui solio Wlodimirus Dux Russiae ad religionis versus, in montibus Kyoviensibus castro proximis, fana, simulachra et idola locat, templaque et delubra aedificat. Inter omnes tamen sua prophana superstitionis Deos, fulminis numen in praecipua apud illum et cultura et veneratione habebatur, cui et ampliora templa instituit, et excellentiori illud simulachro ornavit. Nec ipse Dux tantum, sed universus Ruthenorum populus detestabiles ritus huiusmodi sequutus, fulminis numen praestantioribus immolationibus et holocaustis venerabatur.
Fabricavit autem Vlodimirus deo suo principali fulmini corpus et simulacrum ex ligno, caput ex argento, et aures ex auro. Caeteris quoque Diis lucos et simulacra constituit, et adducens filios suos et filias sacrificat Diis et coinquinat se et terram Russiae idolis. Acceptat autem Wlodimirus plures uxores, ex una genuerat quatuor filios, Isaslaum, Mscislaum, Iaroslaum, Wszewolodum, et duas filias, Item ex Graeca Swantopelkum Item ex Bohema Wyscislaum Item a quarta Swantoslaum, et Mscislaum, Item de Bulgara Borys et Hlib, tenuit et plures concubinas. In caeteras quoque virgines et uxores alienas pervium pudicus et temporalibus illas devirginabat.

Otho coronam imperij insignem a Benedicto Septimo Romae accepit

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS SEPTVAGESIMVS NONVS.

Scrupulosiorem indaginem Mieczslaus Polonorum Dux, in his qui nondum sacri fontis baptismati initiati fuerant Polonis ostendens, ad plures viros, oppida, et villagia personaliter facit agressus, et tam adultos quam infantes maris, mixta ac foeminas aquis regenerationis innovat, innovatosque et ablutos in fide firmat, et tam pecunia quam vestium largitione exhilaratos, et in fide et in sui charitatem conducit, Quod quidem sui pij operis meritum in amplianda fide orthodoxa, et tunc et pluries, alias fideli et sancto ingenio exhibitum, non solum illi aeternum, et pia credulitate praesumi potest, sed etiam principatus et regiminis sui recolendam memoriam apud praesentes et posteros collaudandam effecit. Sed in caetera religionis Catholicae opera designanda atque explenda, virtuosos suos sine intermissione dirigebat affectus. Catholicorum Regum et Principum satagens in singulis sequi vestigia, et eorum aequari virtutibus, ne religione illorum foret inferior, quorum erat claritati et principatuum amplitudine atque dominio non minor. Ipsius siquidem opera et instinctu solemnis mos in proceres militares, et quoslibet nobiles, eo anno introductus est, prope ad nostra tempora usque servatus, ut praefati proceres Polonorum et milites diebus Dominicis audituri divina aedes sacras militari gladio ingrederentur accincti, et dum a sacerdote canerentur sequentia Sancti Evangelii secundum Mattheum, Joannem, Lucam vel Marcum, e vestigio omnes velut certamen inituri exerebant pro dimidietate e vagina gladios, quos dum a scholaribus responderetur, gloria tibi domine, reversa in vaginas recondebant, demonstrantes se eo tempore frequenti et quolibet die Dominico repetito actu, pro defensione veritatis Evangelicae ab eis receptae et professae intrepide et alacriter pugnaturos, et si oporteret mortem etiam oppetituros. Quem bene dictum morem degenerante saeculo, nescio quo casu syderi ex Poloniae regno abolitum esse, qui illorum singularem zelum ad fidem Orthodoxam sua raritate declarabant.

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS OCTVAGESIMVS

Intelligens Mieczslaus Poloniae Dux plerosque suae gentis subiectos tam nobiles quam agrestes fallacium et veterum Deorum spurcae teneri consuetudini, et sacrilego ritu, thura et libamina in domibus propriis illis offerri et litare libamina, vana quoque superstitione detentos alligatosque, baptismatis gratiam in eam diem neglexisse, misit in singulas regiones et in civitates quae pro capitibus habebantur, regionum praefectis, et proceribus, mandat universis districto imperio, ut ad proximiorem et viciniorem

Cathedrali

Cathedralem Ecclesiam a se fundatam, qualibet excusatione circumscripta, singuli convenirent, et Christianitatis tam nomine quam baptismatis se insignirent conditione, gravibus in eos et extremis usurus poenis, bonaque confiscaturus, si qui imperium suum detrectaverint, et sub certo termino atque die in Cathedralium Ecclesiarum locis, unda sacri baptismatis non fuerint renati. Institutam autem et infligendam poenam Poloni vitaturi, certatim ad id salutiferum fontis beneficium provenunt, et ad Episcopalem Ecclesiarum loca convenientes, charactere Christiano se insigniunt, ab Episcopis autem et Sacerdotibus in articulis fidei et ceremoniis ac ritibus instructi. Dominicos dies, festa quoque Christi, et suae genitricis Mariae, atque Apostolorum observare, festivare, et in diebus Mercurij, Veneris, atque Saturni, carnium abstinere iussi sunt. In summa itaque multo zelo et opera Ducis Mieczslaui omnia Polonorum simulacra radicitus evulsa et ignibus aut paludibus in perpetuam oblivionem contradita, studijs quoque vigilantissimis Mieczslaui quaecumque fuerant portenta potius quam simulacra, per totam Poloniam erasa, ritusque prorsus e medio et quaelibet sortes, augurationes, divinationes, et fictiones omnibusque superstitionum veterum gentilium errores sublati.

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS OCTUAGESIMUS PRIMUS.

Primo Pragensi Episcopo Dithmaro mortuo, Adalbertus Bohemus natione et lingua de nobilibus parentibus ortus, pater eius Slawnik, mater eius Strzezislawa, in suum Episcopum acclamatione cleri et populi electus est. Cuius etiam electionem Daemones in obsessorum corporibus velut dignam et sanctam ante praenunciaverant. Hic in Baptismo nomen Bohemicum Woiciech quod sonat exercitum consolator acceperat, sed Episcopus Maidburgensis Albertus, apud quem adolescentiam egit, eum Adalbertum difficultate exprimendi originarij nominis motus cognominavit. Extremum autem spiritum Dithmarus Episcopus Pragensis præfatus fusurus, plurimis verbis omnibus qui astabant, inter quos Adalbertus episcopus erat unus, causam et seriem damnationis suæ perpetuæ depromebat. Væ mihi inquit quod offerventius vixi, fructu temporis perverso, quam vellem vixisse, nunc dum morior, decepisti me fallax sæculum, annosam mihi pollicendo ætatem, et ecce insperato in anima et corpore vincior, damnationis autem meæ facinus etsi per virtutem passionis Christi veniabile foret, ob scelus tamen Bohemici populi ultro in desiderijs et voluptatibus suis pereuntis, qui etiam usq; nunc nihil aliud operando novit, nisi quod Sathanæ digitus in eius cordi tetro atramento descripsit, iustissima Dei lege quam latrare iuxta ac canis mutus, expiari damnor, et iam iam rectis ad inferna igni inextinguibili arsurus, proficiscor. Sic aiens, insuper animam iam tunc cruciatus suos gehennales ob negligentiam criminis exhalavit. Quo terrore Adalbertus correptus, omnibus deliciosis cibis et vestibus abiectis, in nocte cilicio corpore amiciens, caput vero cinere aspergens, in alterum virum ex milite delicato mutatus, omnia quæ habebat in egenos pupillos et viduas erogavit

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS OCTAGESIMVS SECVNDVS

Agapito Papa secundo qui sederat annis tribus, mensibus sex, diebus decem, obeunte, Joannes nomine Romanus ex patre Alberico viro nobili et prævalenti potestate in urbe potente, impressione et ordinatione patris sui in Papam, ut præmisimus, assumptus est. Venator et lubricus fertur fuisse, eiusq; in Deum prævaricationis, ut etiam in choro sua concubinas fovere non erubuerit. Duos autem Cardinales transgressiones suas Othoni Romanorum Regi per scripta denunciantes, et ut Ecclesiæ succurreret, expetentes, gravi et horrenda pœna multavit. Joannem quidem Cardinalem in naso, alterum in manu mutilando. Quibus omnibus Otho Romanorum Rex motus venit Italiam cum valido Germanorum exercitu, et Joannem papatu cedere coegit. qui in Papatu annos octo, menses decem,

dies

dus dictum exegerat. In cuius locum Leo Octauus Laicus ex communi populi voto propter singulares eius virtutes, qui Othonem Diademate coronauit, surrogatur. Eodem insuper tempore Otho Imperator, deuicto Berengario, qui sua tyrannide cum filio Alberto Italiam premebat, ~~Ad~~ Almundam relictam Lotharij Imperatoris, quam Berengarius tenebat captiuam, liberat, et sibi matrimonio copulat, nuptiasque et natalem domini in Papia celebrat, Berengario insuper in gratiam recepto, Marchia Foroiulia, Veronensi, et Aquileiensi exceptis, totam Italiam suae gubernationi restituit

Angilotus Florensis Episcopus, natione Romanus, dum Pontificatum Florensem annis quindecim rexisset, pro conditione Romana absumitur, et in Florensi Ecclesia tumulatur. Cui Marcialis a Joanne vndecimo ordinatus, genere et specie Romanus, anno sequente successit

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS OCTVAGESIMVS TERCIVS.

Molesti ferentes Romani ij praesertim qui Joanni Duodecimo cognatione iuncti erant, affinem suum de summo sacerdotio eiectum esse, et Leonem octauum sibi successisse, dum Joannem propter notoria sua scelera et turpitudinem vitae restituere verentur, Benedictum quintum, viuente Leone, in Papam assumunt. Qui cum mensibus duobus, et diebus quinque sedisset, venit imperator Otho ex Almania, et obsidet Romam, nec prius obsidionem soluit, donec Benedictus potestati suae traditus est, quem Otho misit Saxoniam in exilium, ubi mortuus in Amburg sepelitur. Ingressus autem Otho Imperator Romam, Leonem in suam sedem restituit, deformata reparat, et nonnullos Romanos nouare res molientes proscribit, filiumque suum Othonem secundum tunc secum Romae praesentem per Papam Leonem procurauit in Regem Romanorum benedici, pacataque Ecclesia in Saxoniam reuersus, in ciuitate Maydeburg post plurima quae Romano imperio digna peregerat, Nonas Maij moritur, anno regni sui tricesimo septimo, imperij decimo, cuius corpus eius in admirandae magnitudinis basilica, in Magdeburg. quam ipse vivens in honorem Sancti Mauritii opere sumptuoso fabricaverat, eo quo dignum erat, Caesareo cultu est humatum. Mortuus est autem valde senex aevo filio eiusdem nominis relicto, annis triginta sex in regno Poloniae exactis. Primus Wratislaviensis Ecclesiae quae a principio Smogorzoviensis tunc intitulabatur Episcopus Gothfridus genere Romanus, pontificatu suo per annos decem et septem continuato moritur, et in Ecclesia Smogorzoviensi sepelitur. Cui Urbanus primus ad petitionem Boleslai Chabri Ducis Poloniae et Monarchae, nobilis genere, natione Romanus, per provisionem Ioannis Papae duodecimi fuit substitutus.

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS OCTVAGESIMVS QVARTVS

Boleslaus filius Mieczslaii Poloniae Ducis duobus lustris materni e vita excessus, qui usque in annum sextum tendebatur, expletis, Mieczslaio patre iubente, coniugalibus sacris initiaturus, et cum Pannoniis veterem innovaturus amicitiam, Iudith virginem pulchritudine et forma insignem, amplissimam insuper dotem auri et argenti secum ferentem, filiam Hilli Ungarorum Ducis, ex prima uxore desponsat, et nuptiae apud Gnesnensem civitatem sub praesentia Praelatorum et Baronum qui sub frequenti numero ex Polonis et Ungaris convenerant in splendido apparatu et ludorum instauratione celebrantur.

Otho Secundus, octuagesimus secundus ab Augusto, patre e vita excedente regnare coepit. Qui quamvis sub patris praesentia, a Leone Papa octavo fuisset in Regem Romanorum designatus et coronatus, morte tamen patris sequuta, ab omnibus qui aderant denuo eligitur, et in Regem sublimatur, Huic pater vivens filiam Ioannis Graecorum Imperatoris nomine Theofannam desponsaverat, nuptiasque Papiae celebraverat. Ex qua etiam Otho Secundus, filium nomine suo insignem Othonem, clarissimique sui sanguinis normam propemodum exprimentem, filiamque Mathildam suscepit, et imperii Romani strenuissime disponens moderamina Lotharium Regem Galliarum exuit possessione; qui cum plurima bella feliciter contra infideles gessisset in extremo, toto fere exercitu in Calabria amisso, ipse merito Beati Petri Apostoli, quem

suppliciter

supplicatione innovabat Senatus, Romam reversus, exaltis, in imperio anno nono, in Ecclesia S. Petri sepelitur. Cui filius eius Otto tertius successit, a Gregorio quinto, cuius fuerat consanguineus Romae coronatus

ANNVS DOMINI NONIGENTESIMVS OCTVAGESIMVS QVINTVS.

Prophanis religionibus Wladimirus Russiae Dux perfunctus, ad arma animum intendit, Ducique Poloniae Mieczslao, et Polonis bellum primum movit, quod vario Marte gestum est, nunc Polonis, interdum vero Ruthenis triumphos referentibus. Expugnat autem Wladimirus Russiae Dux castra Polonorum videlicet Przemysl, Czyrwiesz et alia, expugnata occupat, praesidioque forti militum imposito suae et Ruthenorum subjicit et adjicit ditioni. Vadit deinde contra Radimiczi qui et ipsi a Polonis discesserant, et victis tributum imponit. Idem fecit et Radimiczys

Summo Pontificio Leo octavus, beneficio Othonis imperatoris primi resumpto, constituit, ut nullus sine consensu Imperatoris assumeretur in Papam, dum autem post resumptionem Papatus sedisset annum unum et menses quatuor moritur cui Joannes XIIJ natione Narniensis succedit

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS OCTVAGESIMVS SEXTVS.

Prohorius sive ut aliis placet Prohorius primus Cracoviensis Ecclesiae Archiepiscopus et fidei religionisque Christianae in nova plantatione dilatator aetate et senio confectus moritur et in Ecclesia Cracoviensi sepelitur, Sedit in Cracoviensi Ecclesia annis uno et triginta, cui Proculphus successit

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS OCTVAGESIMVS SEPTIMVS.

Exigentibus sceleribus humanis fames valida et generalis frumentis fere in universo mundo male provenientibus sequuta est, quae in singulis regionibus multos mortalium absumens, etiam in Polonia grassata, in pluribus civitatibus, vicis et villis orbitatem induxit. Sollicitatus Wladimirus Russiae Dux, primum a Machometistis, ut ritum secundum Machometi, deinde a Latinis, tertio a Judaeis ut fidem et legem Hebraeam, postremo a Graecis, ut fidem Christianam assumeret, nuncios quidem ritus praefatos sibi persuadentes, benigne tractatos etiam remuneratus remuneratos dimittit. cum suis vero Ruthenis, quaenam fides acceptanda esset, consultat. placuit autem ad omnes nationes rituum praedictorum nuncios speculatum mitti, et cuiuslibet ritum explorari. Missi itaque in Bulgaros, Latinos et Graecos nuncij, singulorum ritus ut iussi erant speculantur et explorant, et Machometi quidem ritus plura habens in se foeda et turpia, tanquam abusus profanus et inquinatissimus iudicatus est. Latinorum vero ceremoniae parum illis religiosae et templa parum ornata videbantur. Dum vero in Constantinopolim pervenissent, Basilius et Constantinus Graecorum tunc imperatores, intelligentes eos speculandi ritus sui gratia illuc venisse, coetu religiosorum et sacerdotum vocato, magnam solennitatem instituunt, et in splendidissimis ornamentis celebritatem missae per patriarcham fieri disponunt. Ruthenorumque nuncios ad Ecclesiam introductos, in loco eminentiori, ex quo omnes ceremonias videre possent, locant, honoreque mensa exceptos, splendide tractant et muneratos remittunt. Qui ad Ducem suum Wladimirum reversi, de singulis ritibus quae viderant asserunt, sectamque spurcissimi Machometi contemnendam prorsus et respuendam esse persuadent, et Graecorum sectam praestantiorem quam Latinorum fore, in Graecorumque Ecclesijs plura et magis cultiora ornamenta quam in Latinis consistere. Tantam insuper in missa Graecorum cui interfuerant testabantur se dulcedinem sensisse, ut paene extra se rapti magis caelesti, quam terrenae solennitati se putaverint interfuisse. Ad ritum igitur Graecorum suscipiendum omnium procerum sententiae inclinabant, persuadentque Wladimiro dicebant, si fides Graecorum bona non foret, non avia tua Olha inter mulieres prudentissima illam accepisset. Assentitur itaque Wladimirus procerum sententiae et baptisma ritu Graecorum se suscepturum promisit

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS OCTVAGESIMVS OCTAVVS

Aquarum inundatio frequens et diuturna quam aestas fecunda et pluribus perniciosa secuta est, propterea quod fruges partim disperdita partim diminutae. Siccitas insuper vernalis modum excedens accidit, ob quam satio vernalium impedita, nix insuper nimia decidit, quam imber assiduus sequebatur, adeo ut autumnalem sationem prohiberet, famemque induceret

Annus Dni

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS OCTUAGESIMUS NONUS

Enormibus sceleribus Adalbertus Pragensis Episcopus populi Bohemici cuius erat ipse unicus Pontifex, quorum haerebant praecipua, quod pluribus uxoribus contra legem Catholicam abutebantur, quod gentiles et sacrilegos ritus practicabant. quod subditos proprios, filios, et filias Christi charactere insignitos, Judaeis in servitutem vendebant, quod sacra diebus frequentarent convivia, quod sepulturas in prophanis eligebant locis, videns dicta sua, et omnem correctionem sacerdotis per eum adhibitam haberi in contemptum, virorum timoratorum usus consilio, sedem Episcopalem deserere, et habitum Monachicum assumere in animum induxit. et quod ut facilius assequi posset, Stragwasium Sancti Benedicti Monachum, et Boleslai Ducis Bohemiae germanum diligenti cura precatur et persuadet quatinus Episcopatum Pragensem suscipiat, facilius illum plebis Bohemicae abusus et facinora cum fratris Ducis Boleslai assistentia sanaturum. Cui Stragwasius respondens, non licere sibi ad quae contempsisset mundana repetere, et terrenis omnibus mortuum, ad honorem fastigiumque culminis pontificalis aspirare, subinferens se et honori Episcopali indignum et pastorali ponderi insufficientem. Ad quem vir Dei spiritu prophetico fertur dixisse, Scio scio inquit frater Pontificalem sedem Pragensem quam nunc iusto titulo et vero ostio conscendere potuisses, contemnentem, te ex post iniqua via iniustoque titulo petiturum, et successum mali inventurum, et quod nunc recusas in perniciem tuam vehementer expetes. His dictis Bohemiam et sedem suam prae taedio plebis incorrigibilis relinquens, Romam petijt. Hierosolimam versus Roma petiturus. Verum Romae consistens consilio virorum religiosorum Monasterium Sancti Alexij Bonifacij ingressus, vitam monasticam in vitae arctitudine agere coepit, fratre suo sancta vita Gaudentio in eodem monasterio secum una degente, pro sua conversationis et vitae studio, quasi angelus Domini, ab universis reputatus, quoniam sub mortalis corporis habitu vitam ducebat sanctissimam, et tam ipsis quam forensibus admirandam, religiosissime vivens verbo resplendens pariter et exemplo

Annus Domini

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS NONAGESIMUS

Iudith Ducissa consors Boleslai Polonorum Ducis, annos quinque sterilitatis perpessa opprobrium, Tandem anno sexto facundata utero sexus virilis puerum effudit. De cuius ortu dum et avus Mieczslaus et parens Boleslaus Polonorum Duces immenso exultarent gaudio, solemnem curiam constituto die baptisterorum indicunt, et infanti dum apud Gnesnensem Ecclesiam sacro fonte regeneraretur, avitum nomen imponunt Mieczslaum, quod fuerat [illegible] [illegible].

Congregata Wladimirus Russiae Dux gentium suarum multitudine copiosa, Graecis bellum infert, et castrum insigne Graecorum Korsthim conquirens, vicinam ex eo sibi subiecit regionem, cogitque oram illam ad tributum. Mittit deinde nuncios ad Basilium et Constantinum Graecorum imperatores, petens sororem eorum Annam suo coniugio copulari, offerens, si potiatur eius connubio, se extemplo et de castro Korsthim quod quaesierat, et regione quam subiugaverat excessurum. Sed Basilius et Constantinus Graecorum imperatores respondent, non convenire sibi et suae dignitati cum principe gentili et idolorum cultura polluto, affinitates iungere, et germanam suam illius connubio sociare, si vero errore gentili deserto fidem Christianam profiteri velit, non se eius petitioni abnuituros. Wladimirus autem Russiae Dux eisdem nuntiis iterum remissis offert se prono animo fidem Christianam suscepturum. Veniunt personaliter, sororemque suam Annam afferunt et ipsum baptizari. Adversabatur autem Anna soror imperatorum huic affinitati, assumereque illum multiplici renitentia dedignabatur. Sed Basilius et Constantinus fratres diffusius persuadendoque quanta bona ex affinitate huiusmodi secutura sint, et quod universa Russia ex eius connubio fidem Christi sit susceptura, animum sororis expugnant, pervenerunt ad conclusionem veniunt. Itaque Basilius et Constantinus cum sorore sua Anna in Corsthim, et illico Wladimirum Ducem Russiae oculorum caecitas invadit, fluctuarique vario mentis aestu coepit, an ritu suo gentili derelicto fidem et baptisma Christi esset suscepturus, Anna autem soror Imperatorum et futura sua coniunx docet caecitatem quae illi acciderat suscepto Baptismate dispariturum. Ab Episcopo itaque Korsthimiensi, baptizatus, illico caligine oculorum depulsa, illuminatus, nuptias cum Anna

sorore

sorori Imperatoris celebrat, et Ecclesiam in signum et memoriam tam suae conversionis quam Baptismatis et illuminationis aedificat. Castroque Korstun Basilio et Constantino Imperatoribus restituto, in Russiam cum nova sponsa plenus gaudio et hilaritate redit

ANNVS DOMINI NONIGENTESIMVS NONAGESIMVS PRIMVS.

Joannes XIII natione Narniensis succedens Leoni a Petro praefecto urbis comprehendentibus in castrum Sancti Angeli primum detrusus, deinde in Campaniam in exilium missus, Quo malo Ottho secundus, qui patri in imperio successerat, ad se postulato, cum magno exercitu venit Romam et Joannem Papam exilii molestiam duobus mensibus sustinentem restituit. Romanos vero captivitatis suae reos, quosdam trucidavit, quosdam laqueo suspendit, aliquos in exilium Saxoniam misit, ubi etiam a Joanne Papa praedicto unctionem et benedictionem suscepit imperialem. Cum autem tam Roma quam Italia pacata regredi in Alemaniam disponeret, audiens Joannem Graecorum Imperatorem suae consortis Theophaniae imperatricis genitorem defunctum, et alium in locum suum surrogatum, sibi de Calabria uxoris suae haereditate venditum negari tributum, legationem mittit, responsum accepit Calabriam non Theophaniae imperatricis sibi haereditatem et dotem esse, signum Sanctae Crucis in imperio Constantinopolitanae urbis Saxonibus signatum, et filiabus imperatorum pro dote dari solitum. Ottho igitur impotentior irae praecipitio non rationis maturitate, cum non satis justo exercitu, Calabriam petens, eam ferro et igni pervastat, et Beneventum capiens, ossa Beati Bartholomaei Apostoli inde asportat, pro vita, pro patria Graecas contra ipsum habens dimicatas, expoliando operibus aerarium auro argentoque. Saracenos sibi pariter in auxilium, et navalibus copiis in apticis collocatis, pariter cum Otthone pugnam conserunt, quae cum diu viguisset, ab his qui in insidiis latitabant invasus, cum universo exercitu suo Romanis et Beneventanis terga vertentibus obtritus atque victus est, et ne in manus hostibus veniret vivus, tam insignibus quam vestibus abjectis abiectis vestimentis se undis iniecit, fluctibusque maris tota innatans nocte, mane a piscatoribus captus, cuius imperatoris se fingebat armigerum. Piscatores autem in illum et ex decore et dispositione corporis, sicut erat, imperatorem suspicati, Graece de illo colloquebantur, existimantes ipsum non intelligere linguam, asserentesque eum non armigerum sed verum Imperatorem fore, respondebantque illum Graeciam secum deductum Graecorum praesentaturi Imperatori praemia ampla relaturos. Qui aliud, ni quod intenderat, periculum vitaturus, ea nautas arte circumvenit, fingit se apud Sicilia magnam abscondisse pecuniam, rogat ut navem ad terram reducat, pecunia recepta secum navigaturi; quibus cupiditate illectis rogata explentibus, in littus pervenit, et Calabrum probum in armis, ~~[illegible]~~ Cusum nomine, cum nonnullis suis militibus ostendens, et illorum suffragia invocans, nautas numero quadraginta invadit, et nulli parcens trucidat, divinoque et Sancti Petri quem assidue invocabat auxilio geminatum periculum evitans, primum ad Imperatricem Theophaniam pervenit, a qua cum hilaritate exceptus Romamque perductus, cum ex labore et dolore sensim languisceret, sexto Idus Decembris Romae moritur, cum annis octo imperasset, et in portico S. Petri tumulatur. Post cuius mortem filius eius Otto tertius, octuagesimus tertius ab Augusto in Romanum suffectus est imperium. Et licet in odium Imperatricis Theophaniae, quae femina et Graeca levitate optimatibus imperij de amisso in Calabria praelio, fugam et pavorem exprobrans, plures sibi hostes conflaverat, nonnulli Henricum Ducem Bavariae fratris germani primi Othonis in imperium surrogari laborassent, qui tamen et patris beneficijs Veronensibus, omnium iniuriarum obliti Othonem tertium ab Henrico praedicto, sub cuius custodia et tutela tenebatur gravi aere redemptum imperio praefecerunt, qui illud singulari Cronis Comitis Palatini Rheni prudentia industriaque extra administrare coepit.

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS NONAGESIMUS SECUNDUS

Sacrilegos ritus quibus priscis temporibus Ruthenorum gens dedita erat, Wladimirus Russiae Dux eliminaturus, tertio ex quo fidei Christ. illuminatus erat, anno, idola, lucos, arasque et templa eorum confringit incendit et comminuit. Simulachrum vero fulminis, quod praecipua veneratione a Ruthenis tsemus colebatur, ad caudam equi alligatum, spectanti multitudini Ruthenorum per terram trahi et in flumine Dniepr mergi, gentilibus Ruthenorum ex utroque sexu, Deorum et simulachrorum suorum, fletu et eiulatu, ingenti ~~se~~ confractionem prosequentibus, mandavit. Promulgat deinde Wladimirus Dux edictum, ut omnes nationes et populi sibi subiecti relictis idolis Christi fidei et Baptismatis charactere se insigniant. Habiturus eos pro hostibus, bonaque eorum confiscaturus qui detrectarent sanctis suis parere iussionibus. Quam affectati Ruthenorum populus consternatus ad Kyow catervatim confluxit, et fidem Christi professus in flumine Dniepr ab Episcopo Corsuniensi et Presbyteris ex Graecia adductis baptizatur, et in fide ac ceremoniis eius eruditur. Audita autem est vox et eiulatus Daemonum in aere querentis, se ex possessione Ruthenorum diuturna, non ab Apostolis aut martyribus, sed ab una foemina abiectum esse; Aedificavit autem Wladimirus primam Ecclesiam in loco quo Idolis Thura accendebantur, et eam Beato Basilio dicari ordinavit, sed et in aliis regionibus Russiae templa et sacerdotes Dei multiplicat. Aedificat, et alteram Ecclesiam Wladimirus beatae Virgini Mariae in Kyow, et ornat eam vasis aureis et preciosa suppellectili, et tam in ea, quam in aliis Ecclesiis Russiae a Duce Wladimiro, et Baronibus Russiae aedificatis Corsiniensis Episcopus ministros et sacerdotes instituit, pro quorum sustentatione Wladimirus Dux praedia et census largitus est, et primitias ac decimas tam Boiariis quam agrestibus mandavit solvi et offerri. Baptizavit et tunc Wladimirus duodecim filios suos videlicet Wisislaum, Isislaum, Swanthopelkum, Jaroslaum, Wssewoldum, Swantoslaum, Mscislaum, Borzyeth, Hlib, Stanislaum, Possuwyszd et Sudislaum, Puerosque Ruthenorum applicat literis, artifices insuper ex Graecis adductos solariat, et plures Ecclesias ex muro, petra, et latere aedificat

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS NONAGESIMUS TERCIUS

Bohemorum Principalibus nobilibus dilectissimi Pontificis sui Pragensis Adalberti, et absentia eius septennio integro continuata, plurimum angustiati, et dolori amaritudinique vexati, quod Pontificali honore ab eo sublato in praecipitium multorum malorum dietim ferebantur, culpam omnem in virum Dei

Adalbertum vertunt, ~~quasi~~ quasi ipse omnium quae contigerant illis malorum fuerit suo discessu author et patrator, propterea quod in furiam rabiemque conversi, poenas quas ab Episcopo absente exigere non valebant, in fratres suos genusque dilibus et patriam converterunt, et sub omnibus divi celebri tempore oppidum Liblicz in frequenti numero armisque ingressi, primum quinque fratres beati Adalberti germanos videlicet Sobobor, Spitimirum, Bobroslaum, Czawissa, et Czaslaum, variis cruciatibus extinguunt, nec fratres tantummodo viri sancti necare contenti, sed et fratrum filios masculum cum foemina insonti damnant. Aberat tunc forte a Bohemia et a paterna domo Sextus beati pontificis Adalberti germanus Socarius nomine, in curia etenim et obsequiis Boleslai Polonorum Ducis filii Mieczslawi superioribus temporibus et procella tempestatis versatus, trucidationem tyrannicam, quae fratribus et domui suae universaeque stirpi acciderat, longe a domo positus ignorabat. Hic quoque solus ex omni stirpe et familia viri Dei remanserat superstes, providente clementissimo Deo ne prosapia tam nobilis de terra viventium eraderetur. Hunc cum Boleslaus Polonorum Dux caedem fratrum ~~suae~~ suam insuper vindictionem assiduis et lugubribus lachrimis deplorantem audiret, magis enim diram in se Bohemorum truculentiam, quam quae in fratres edita fuerat, si in solum paternum rediret, verebatur futuram, benigne adolescentem consolatus, bono animo esse iussit, pollicitus se illi temporalium bonorum, quae in Bohemia habuerat, possessionem haereditariam sua munificentia resarciturum. Dat deinde promissis virtutem, et Socario Sancti Adalberti germano, multas possessiones opes et haereditates in Polonico regno largitur, ac illum suo dominio et Polonorum militum nobilibus intergerit, adiungit, et implantat. Ex Socariano uno surculo multiplex in Poloniae regno surrexit propago et in magnam atque frequentem progenies viri Dei familiam, quae se de rosis nominat albam rosam in campo rubeo deferens, Porai proclama habens, evasit, successionibus fecundis usque ad nostra tempora derivata, fratribus et consanguineis Pontificis Adalberti vario genere deletis Bohemi divinae

animadversio

Universum populum utriusque sexus oppidi praedicti Libicz, septem videlicet animarum millia crudelissimo more in ore gladij nulli sexui aetati vel conditioni parcendo perimunt, mediis contenti, in tecta etiam innocua saeviunt, et oppidum praedictum flammis exurunt. Quod quidem tam atrox facinus neque per Ducem Bohemiae prohibitum extitit, neque aliqua ultione punitum. Unde si caedes praefata quam scriptam apud Bohemorum annalia reperi, vera est sicut plura enim in hoc opere transcribo, quam credo, satis gentis Bohemicae pro ea tempestate miranda est feritas, quae nec naturali quidem compassione etiam bestijs insita a caede tam atroci in aetatem infimam et domesticam facta poterat deterreri.

Strage autem tam inhumana Maguntinensis Archiepiscopus Metropolitanus Bohemorum ad se perlata, missis ad Summum Pontificem nuntijs, in quanto periculo fidei religionisque Catholicae res in Bohemia versentur, declarat, obtestans obsecransque ut pro rescindendis abolendis malis patratis et patrandis, suffraganeus suus Adalbertus Pragensis Episcopus ad plebem Bohemicam remittatur. Summus autem Pontifex Gregorius alias Joannes quintus, fidei religionique Christianae consulens, mandat Beato Adalberto ad se accersito ad oves suas regressum. Declarat autem vir Dei, summo Pontifici, aperteque gentis Bohemicae mores et qualitatem, animo illam et cervicem sortitam esse durissimam, et cor indomabile, seque in cassum illuc rediturum, rogans ut sibi licentia praedicandi fidem, et verbi Dei gentibus Prussorum, quae oram Septentrionalem incolunt, tribuatur. Cum Apostolicus Pontifex, si inquit te contempto monitis instructionibusque tuis non paruerint, excusso pulvere pedum tuorum linque illos, et genti apostatrici atque perfidae praesentiam tuam subtrahe, nos etenim ex tunc et a vinculo, quo Pragensi Ecclesiae hactenus tenebaris, te absolvimus, et statuimus, caeterisque nationibus praedicandi fidem Christi potestatem impartimur. Qua quidem potestate sibi tributa Sanctus Dei supramodum exhilaratus, urbi et monasterio Sancti Alexij in quo degerat relictis, Germa-

norum

novum etiam et notorum caedi, dummodo salus Bohemorum perveniri posset, non pertaesus. Pragam mutus revertitur Sperans Bohemos deterius suas superstitionibus et flagitia relicturos. Unde multifariis remediis plebem suam sanaturus, alios obsecrat et mulcet blando suae instructionis alloquio, plerosque corripit, arguit, et obiurgat, sed omnes suos conatus et studia periturum iri videns, et angustissime ingemiscens, subsistendumne sibi an discedendum deliberabat. Interim sopore ex vigilia et tristitia oppressus divina voce audit se allocutum, Tu inquit stertis et ego iterum vendor Iudaeis, qua voce exterritus prosiliit, et in forum progressus, Christianos vendi Iudaeis, ut vox caelestis denunciaverat, reperiens, data pecunia venditoribus, et Iudeis ludibrium dispulit, et his qui vendebantur praestitit libertatem.

Annis septem, mensibus undecim, diebus quindecim, Ioannes Papa tredecimus in Pontificio Romano exactis moritur, et in Sancti Petri Ecclesia sepelitur, et cessant Episcopatus diebus decem, Benedictum Sextum natione Romanum habent successorem. Primus Wladislaviensis Episcopus qui Episcopus Cruswiciensis antiquitus dicebatur, annis tribus diebus triginta exactis in sede Cruswiciensi moritur et in Ecclesia Parochiali in Ozwieczno quam ipse fundaverat, dotaverat, fabricaverat, sepelitur. In cuius locum anno eodem Mauritius primus surrogatur

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS NONAGESIMUS QUARTUS

Prospiciens Venerandus praesul Adalbertus Pragensis, plebem Bohemicam, ad quam Apostolico mandato curandam regendamque venerat, suo salutari imperio, et abominandis transgressionibus in Deum deditam esse, non sperans se amplius in gente indomitae frontis et rebelli quicquam profecturum, Praga iterum relicta Romam regressus, a vinculo quo Pragensi Ecclesiae tenebatur, obtinuit se per Benedictum Papam Sextum absolvi, et sibi ad praedicandum Barbaris nationibus ultra Poloniam situatis praedicandi licentiam concedi. Qua obtenta cum Gaudentio caeterisque religiosis viris Ungariam ingressus ad Ducem Ungarorum Steffi pervenit, in fide Catholica et ceremoniis eius quam ipsum ante annos aliquot suscepisse audierat, suis monitis et praedicationibus et prædicationibus instruxerunt. Cum autem Duci Geysæ et consorti suæ Ducissæ Adleidæ eius adventus fuisset denunciatus, summa mox lætitia concepta ad laudes divinas organa laxarunt, hunc enim virum venisse ad se qui sibi in visione dudum fuerat præmonstratus, intelligebat. Cum magna itaque veneratione et devotione susceptus, filio Ducis Geysæ Stephano confirmationis characterem impressit, et verbum Dei Slavis et Hunnis tam per se quam per fratres suos, per unum et amplius annum, mellifluo sermone prædicavit, plurimosque Slavorum et Hunnorum ab suis cultibus Deorum deditos convertens, omnem Ungarorum perambulabat regionem. eos quidem qui crediderant, credentes, et Latina pietate confirmans. Idololatras vero ab erroribus revocans et confirmans. Ad cuius etiam exhortationem Dux Geysa cum filio suo Stephano et consorte sua Adleyda plures Ecclesias fundant, erigunt, et instituunt. et temporalia illis bona largiuntur. Sed et illi quoque facta persecutione et manuum violentarum in personam suam iniectione non maledicens nec repugnans, sed e contrario benedicens Pannonias deserit

Geysa Pannoniorum Dux posthac infra duos annos naturali fato absumptus moritur, filium Stephanum relinquens successorem

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMUS NONAGESIMVS QVINTVS

Cracoviensis Ecclesiæ secundus Archiepiscopus Proculsus, cum annis decem sedisset moritur et in Cracoviensi Ecclesia sepelitur, cui Lambertus per cleri et vicinarum Ecclesiarum Parochialium rectorum electionem, consensu Ducis Poloniæ Mieczslawi accedente suffectus est, in Metropolitana sedem

Benedictus Sextus Papa Romanus cum anno uno mensibus sex sedisset a Cincio nobili Romano captus et in castro Angeli strangulatus est, cui Donus xxiiij natione Romanus successit. Sub cuius Pontificatu duo Bulgarorum Duces Petrus et Baianus, moto Græcis bello, et aliquot relatis victorijs Constantinopolitanam civitatem adeo vexarunt, ut eius potentia in pluribus fuerit diminuta et collapsa. A nonnullis autem scribitur præfatus Benedictus a

Cincio

Tito Romano Theodoro filio fame extinctus, cuius tyrannides non inveniuntur vindicata. Dono tempore brevi mortuo et uno anno mensibus sex sedenti, Bonifacius septimus in Papam eligitur, qui spoliata Ecclesia in Constantinopolim fugit, et exinde reversus Ioanni Diacono oculos eruit, ipse deinde subito extinctus est. Robertus primus Gnesnensis Archiepiscopus dum annos quinque et viginti in Archiepiscopatu durasset, Gnesnae obiit, et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur. Cui Adalbertus Pragensis Archiepiscopus genere nobilis de rosarum domo successit. Bonifacio septimo Benedictus septimus natione . . . . . et sedit annis decem secundum alios quinque mensibus sex

ANNUS DOMINI NONINGENTESIMUS NONAGESIMUS SEXTUS.

Ungaria relicta vir Dei Adalbertus Pragensis Episcopus, Poloniam advenit, et a Mieczslawo Poloniae Duce, eiusdemque filio Duce Boleslao et omni populo et clero cum magno iubilo et honore susceptus, in Cracoviensi primum urbe, ea enim sibi ex Ungaria egredienti, prima occurrebat, aliquanto tempore moratus est, et in circo civitatis praedicta, praedicationis sanctae, vulgari suo Bohemico, quod a Polonis bene poterat intelligi, assidue exercebat officia. Fiebat autem ad illum ex vicinioribus oris et distantibus frequens concursus, multi enim in aegritudinibus, languoribus, et necessitatibus suis ab illo suscipiebant votiva solatia, vexati autem a Daemonibus liberationem. Rapiebatur autem vir Dei delectatione mirabili, videns universam Poloniam fidei sanctae puritate, miroque devotionis ardore candescere, et Ecclesiis novem Cathedralibus, caeterisque sacris locis nobilitatam esse, Pontificesque vero et ministros Dei magno honore haberi, simulque obortis lachrimis suspirans aiebat, Poloni posteriores Christiani quam Bohemi novem Cathedris Pontificalibus quasi veris octo beatitudinibus in basi nova fidei Catholicae radicatae suas illustrarant regiones, Novum venerantur, ferentesque Pontifices et hos omnes exteros atque peregrinos, omnemque illis praestant devotionem et sinceram subiectionem. Bohemia unam tantum habens Cathedram, nec unum sui generis pontificem.

sui generis Pontificem ferre non potuit. Sed non sine fidei Sanctae ludibrio suaque infamia mores Catholicos perosa, eum cum vituperiis dedecoreque expulit, exclusit, et eiecit.

Tantam autem vir Dei Adalbertus sua praedicatione, conversatione, vita, merito et exemplo sui memoriam apud Cracoviensem urbem reliquit, ut post sui gloriosi martyrii consumationem, in loco quo praedicationem suam peragere solebat, Basilicam in eius honorem conderent, quae usque in diem hodiernum permanens et sollicitudinem viri Dei in verbo vitae disseminando, et Polonorum erga illum testatur devotionem.

Digressus autem ex una Polonorum Metropoli Cracoviensi, multitudine cleri et populi eius discessum deplorante, et in longa spacia illum comitante, in alteram Metropolim Polonorum Gneznam Ducis Mieczslawi Poloniae militibus et familiaribus illum et comites suos omni necessariorum provisione tractantibus, viamque monstrantibus pervenit. Constitutus autem in itinere, ferme in vico quolibet et villagio ad quod illum venire contingebat, docebat Polonos tanta sedulitate, ut etiam comitatores sui longa mora pertaesi illum frequenter relinquerent. Cum autem quadam die errore viae lapsus ad villam quamdam in maiori Polonia pervenisset, rusticis suum et comitum suorum habitum Monachalem et cucullatum, quem antea nunquam viderant irridentibus, et pro insanis eos reputantibus, repente divina ultio in irrisores affuit, quae illis usum auditus et loquelae ademit. Qui in postea Gneznam ad illum venientes et scelus suum publice confitendo, restitutionem utriusque sensus eius meritis et oratione receperunt, ut in superioribus praemisimus. Contigit autem pro illo tempore Robertum Gnesnensem Archiepiscopum mori, cuius locum Beatus Adalbertus maximis Ducis Mieczslawi, filiique eius Boleslai et totius cleri et populi instantiis devictus suscepit, ubi desides gentis animos et parum de spe futura sollicitos stimulare verbis et praedicatione succendere, callumque ab his longi negligentia caepit abolere.

Annum unum, menses sex Donus Papa in Pontificatu exigens Romae moritur et in Ecclesia S. Petri sepelitur, cessantque Episcopatus duobus diebus, cui succedit Bonifacius Romanorum potentia intrusus, cuius nomen et patria ignota, ipseque sede Petri indignus, sed in urbe Romana pluribus molestatus, et perculsus adversis, Ecclesiam Beati Petri notabilioribus clenodijs, gemmisque spoliata in Constantinopolim fugit, demum Romam cum pecunia ingenti reversus, cum in pontificatu tranquillo se profecturum non speraret, in Tyrannidem versus Joanni Diacono Cardinali oculos eruit, et ipse tandem cholera infectus et miserrime vita extinctus est, cum uno tantum mense et diebus duodecim sedisset. Quo mortuo Benedictus Septimus Sutrinus Episcopus, sanctitate et probitate insignis Romanum pontificium accepit, et plerosque Romanos rebus novis aut tyrannidi studentes, favore et assistentia Othonis tercij castigavit, et digna mulcta coercuit.

Vacationem Gnesnensis Ecclesiae per mortem Roberti sequuta, vir celeber Adalbertus, natione Bohemus, genere nobilis, de domo Kozi ex patre Slawnico et matre Strzezislawa Pragensis Episcopus opera Boleslai Chabry Ducis et Monarchae Poloniae in sedem Gnesnensem suffectus est.

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS NONAGESIMVS SEPTIMVS

Aestuabat vir Dei Adalbertus Gnesnensis Archiepiscopus ignito et flagranti desiderio lauream martyrij suscipere, de qua per quamdam visionem sibi monstratam certificatus erat, viderat enim duplicem beatarum animarum caelesti fulgore radiantium ordinem, purpuratorum videlicet et candidatorum, cumque stupens quid huiusmodi visio portenderet, secum tacitus quaereret, caelestis illi vox nuntiatum est, martyrum et virginum duos sacerrimos coetus iam beata immortalitate vestitos quos viderat ordines esse, et in utroque eum consortium praemij sui recepturum. Hac itaque visione vehementer instigatus non sine Ducis Mieczslawi Poloniae et filij sui Ducis Boleslai molestia et dolore Gnesnensem sedem deserit, et fratre suo Gaudentio pro se Archiepiscopo Gnesnensi ordinato, comitantibus illum Ducis Poloniae Mieczslawi triginta militibus et familiaribus versus Prutenorum regionem, Polonorum regionibus confrontatam, a flumine Ossa, qui et ipse in Wislam decurrit, terrasque Polonorum a Prutenis, disterminatusque, ad Mare Septentrionale protensam, pergit. Fuit autem prisca tempestate Pruthenorum gens saeva et crudelis, idolatriae et cultui Daemonum et tam caeco, patenti, et caliginoso dedita errori, ut Solem, Lunam, Stellas, bestias, aves, ignem, et caetera creata pro Diis coleret, et quasdam sylvas, lacus, et aquas, quas neque piscatu, venatu, aut incisione contingere liceret, sacratas putarent. Speciale habens de Romea, a Latino tamen aliquantulum declinatum, et quod cum Lithuanico habet concordantiam aliquam et paritatem. Eosdemque suos Deos, ritus, et sacra eadem, unum verum, et eundem summum sacrorum Pontificem apud civitatem eorum pro Metropoli habitam Romow vocatam, residentem, a Romae intitulatam, cuius iussa a singulis non obedienter impleri capitale erat. et qui Criwe eorum lingua appellatus est, unius enim et moris et linguae cognationisque Pruthenos, Lithuanos, et Samogitta fuisse dinoscuntur, et bellis civilibus in Italia inter Caesarem et Pompeium exortis, flagrantibus civilibus bellis Italiae, veteribus sedibus desertis, in has, quas modo incolunt oras venisse, sedesque suas in nemoribus et desertis locis fluminibus stagnis et paludibus obsitis posuisse, ad instar quoque Romae civitatem principalem Romow condidisse et summum sacrorum suorum antistitem illic locasse. Et quamvis gentis ipsae in verborum prolatione differunt, quemadmodum Poloni, Bohemi, et Rutheni, nihilominus in multis conveniunt, Non unius tamen stirpis et linguae fuisse estimantur, sed Prutenis alia fortior fuisse quam Lithuanis et Samagittis origo. Dum enim Prussias Bithiniae Rex, apud quem Annibal Paenorum Dux a populo Romano victus et fugatus exulabat, suasu Annibalis temere contra populum Romanum bellum suscepisset, publicam pugnam non respondentibus fibris dum exta consuleret, inire est ausus, dum in eum modum ab Annibale increparetur, An tu inquit o Prusias vitulinae caruncula credere mavis quam Imperatori probato. Conflictus ergo et superatus Prussias cum Bithiniis gente

Sua in Aquilonarem oram Romanos fugiens venit, et ex
suo titulo Prussiae nomen fecit. Bethinici autem populi etiam
in Sarmatinis manent vestigia, quoniam nonnulli Pruteni
prisca lingua retinentesque oracula ab Colchis, Doriis, Va
dalis et Doniis populis competenter intelliguntur, Coniuges
sibi venales erant. Sepulcra etiam opera agere vasta; defun
ctorum cadavera cum equis armis et vestibus caeterisque
rebus quae vivis cordi erant, incendere soliti. In Prutenorum
itaque provinciam vir Dei Adalbertus ingressus
coepit per interpretem a Duce Poloniae Mieczslao ad
id sibi singulariter praebitum, Prutenico populo Evan
gelizare Christum, et illos a cultura daemonum avertere
docens ea quae colerent solem lunam stellas bestias
ignem quem perpetuum vocabant, et sylvas, creaturas
veri Dei esse, et in illis permissione divina spiritus dae
monum consistere, ut cultores suos ludificarent. His et
aliis pluribus vir Dei sermonibus usus, loca magis ha
bitata girabat continuo plantationi fidei sanctae et
praedicationi insistens. Superanti fluvium Ossa, et
remitti sibi naulum et sociis ob egestatem deprecanti
a remige gravem in caput ictum per remum excepit, et
in glorificationem Domini qui sibi aliquid pro suo nomine
pati tribuisset, ora solvit, ostendens exemplo, quia nec
terribile est ubi diligitur Deus, nihil grave et acer
bum, quando ab errore ad fidem reducitur proximus.
Et licet videret Prutenicum populum ad ea quae annun
ciabat obstinatum, difficultique domabilem esse, de Dei
tamen pietate, quae sibi praedicandi gentibus nomen suum
Dominum commiserat non desperans, pluresque iniurias et
opprobria perferens adeo ut saepe domo et tectis ex
clusus, sub divo, pluvia, et frigore, lacessitus cogere
tur hospitari, mira perseverantia, patientiaque caeptum
praedicationis officium diligentissime prosequebatur. Pru
theni autem moleste ferentes Deorum suorum contamina
tionem et vituperium, quorum cultum et ritum a maioribus
susceptum, iniquo animo dolebant confutari, et rescindi, summo
sacrorum antistiti Criwe dicto, et aliis sacerdotibus dolorem,

primores

primoris Pruthenorum annuentibus in necem suam conspirant. Cum itaque vir Dei universa fere Prussia disseminando verbum vitae peragrata, ad vicum in littore Oceani prope oppidum cui Saxones nomen Fisshaus. situm pervenisset, et in colle petrino vico imminenti die Dominico quae fuit Nonas Calendas Maij missarum ageret solennia, et supplicibus precibus pro conversione Pruthenica pietatem divinam, obsecratione et sacrificio imploraret, Pruthen conveniunt, et credentes illum mactatoribus, Deorum suorum perniciem esse, in ipsum insiliunt, et pluribus quassatum, laesumque ictibus et septies confossum, caput a corpore absciderunt, et in quandam vicina arbore, ut amplior pateret contumelia, suspenderunt, quod per tres dies, quibus habebatur ostentui, diligenti ab aquila servabatur, tutabaturque custodia. Sic anima illa beata carnificum excarnata percussionibus ad superna maiestatis thronum geminatam laurea perceptura, et sempiterno aevo fruitura, angelico obsequio comitata conscendit. Sanctus ipse carnis vinculis absolutus, ad frugem transit superna et inaccessibilis voluptatis. Corpus lacerum quod in plures pecias scissum, hospes viri beati in sportam recollectum servaverat. Pruteni ne post mortem aliquibus per illum afficerentur incommodis, sub diligenti et secreta custodia in terra apud eundem in quo mactabatur, vicum absconderunt. Comites vero beati Adalberti Audibert, Benedictū, Matthaeū, Joannem, Isaac, Christinū et Barnabam, iniurijs et plagis varijs affectos denunciantes eis mortem, si redire auderent, de regione sua eiciunt et educunt

Habebant autem Pruthen barbari in suis ritibus et observantijs hanc legem, ut mortuos suos igni cremarent, adiungendo cremando funeri magis splendidas vestes, equos, arma, et quaeque meliora, existimantes mortuū his omnibus quibus una cremaretur, in vita altera usurū. Homicidia crudeli ultione damnando, reum aut suum affinē capite expiabant. In hospites liberales et humani, ebrietati et Barho dediti.

didit, equino lacte, quod multipliciter inebriare consueuit, vtebantur. Vini vsus apud illos ~~[illegible]~~ ignotus Vero ebrietatis sectatores ut nullum se officium in amicum, vel hospitem crediderint contulisse, si ebrium illum non viderint. Mulieres iuxta ac viri in ebrietatem assiduam proclives. Uxorum nullus illis finitus numerus, sed quantas quisque potest emere, tantis fruitur. propter quod nec in honore habentur, sed ancillarum et servarum coguntur explere officia. Balneorum quotidianus tam viris quam mulieribus usus, quibus hesterna vini ebrietatem abstruunt, ex corporibus depelli, et vitam produci, nemini mendicare permittitur, affatim unicuique esurienti in quemcunque se domum contulerit, cibus ministratur

Mieczslaus interim Polonorum Dux praelatorum et Baronum Poloniae sedula admonitione et consilio persuasus, ut ad Summum Pontificem Benedictum Septimum nuncios mittat et coronam sibi et Polonorum regibus dari petat. Ea enim tunc opulentia frequentiaque tam hominum quam civitatum in Polonia, providentia et iustitia Ducis Mieczslaui habebatur, ut digna Polonia visa est quae ad numerum Catholicorum regnorum accederet. Ad hanc autem tam arduam rem obeundam expediendamque Pontifex Cracoviensis Lambertus vir et doctrina et eloquentia spectabilis electus est. Qui cum ad Summum Pontificem Benedictum Papam pervenisset, et oblatis gratiasque Ducis Mieczslaui et Polonorum mandata exponens, petiisset Duci Mieczslao et Poloniae regionibus pro maiori fidei sanctae Catholicae per vos susceptae, et quam miram in modum per fundationem novarum Cathedralium Ecclesiarum aliorumque sacrorum locorum declarabat germinasse, corroboratione; pro infidelium quoque et Schismaticarum nationum Poloniae vicinarum reductione et exterminio, dari coronam, dicens Mieczslaum Polonorum principem virum Catholicae religionisque Christianae ferventissimum zelatorem, attestantibus id operibus existere in armis actibusque militaribus strenuum, et in gentium multarum cospectu gloriosum

Cum autem Summus Pontifex Benedictus septimus convocato Cardinalium concilio, coronam Polonorum Mieczslao Duci pro incremento et dilatatione fidei Catholicae, et gloria gentis Polonorum se paterna benignitate decretum Cracoviensi Episcopo Lamperto respondisset, Ducis Ungarorum Stephani germani ex sorore Adelheida Ducis Polonorum Mieczslavi nepotis, qui eodem anno genitore suo Geisa mortuo Ungariae Ducatum regendum susceperat, nuntius Astricus, Coenobii ordinis S. Benedicti ad radicem montis ferrei Abbas, ex post in Strigoniensem Archiepiscopum promotus, licet per anticipationem Strigoniensis Archiepiscopus inscribatur in annalibus, Romam advenit, et pro Duce suo Stephano Ungariae coronam petere a summo Pontifice coepit. Et licet Benedictus papa dispositus fuerat utrique Duci Ungarorum videlicet et Polonorum dare coronam, intelligens largitionem coronae pro utroque nulli esse praeiudicialem, et magnum rebus fidei religionique Christianae profectum posse afferre. Interim tamen fertur Benedictus papa angelica visione admonitus esse quatenus promissum pro Duce Polonorum Mieczslavo Episcopo Cracoviensi Lamperto factum rescinderet, et Duci tantum Ungariae Stephano eiusque nuncio Astrico coronam conferret, subinferens Polonos magis sanguinariae caedi, et venationibus quam devotioni et misericordiae operibus, magis oppressioni subditorum, et rapinis quam quieti, magis mendacio et dolis quam veritati dedicatos intentosque esse, maiorem illos agere belluarum et canum, quam hominum curam, in effusione sanguinis humani proclivis, nondum dignos existere, quibus corona Sacri nunc debeat conferri, in proximo tamen inquit sermo divinus, genti illi placatus miserebor, et coronam, quam ei nunc denego, glorificabo, exaltaboque illam. extant enim in ea gente plura hominum millia, in lege mea incedentes, sine offensa, quorum merito et supplicatione eius mise rebor. Sed neq(ue) multorum bonorum operum in plurimarum erectione, dotatione Ecclesiarum, caeterisq(ue) quibus ab ea veneror cultu, potero oblivisci. Huiusmodi itaq(ue) visione Benedictus Papa permotus, coronam quam Polonorum Duci Mieczslavo praeparaverat Duci Stephano Ungariae tradendam Astrico Nuntio suo largitur. Lambertum autem Cracoviensem Episcopum, licet et tristem et lugubrem Poloniam remittens bene sperare iussit, asserens non longo decurso tempore Ducem Polonosq(ue), postquam sordes, Spurcitiasq(ue) Scelerum quibus hactenus displicuerant Deo, abluerint, et exercitari virtutibus, colendo iustitiam et aequitatem, studuerint, Dei benignitatem pro votis suis se largissime consequuturos

Veritus autem Apostolicus Benedictus, ne occasione coronae Duci Stephano Hungariae datae; Duci vero Polonorum Mieczslavo negatae, inter avunculum et nepotem Duces Ungarorum et Polonorum praedictos, execranda bella, et guerrarum motus consurgerent, vocato utroq(ue) nuncio, hortatur, commonet, et mandat, ut pacem charitatemq(ue) affinitatis et vicinitatis iure contractam, indissolubiliter observent, custodiant, et nullo respectu aut occasione labefactari permittant, per utrum stetisset, quominus pax servaretur, cum se Anathematis censura innodaturum

Habet insuper nonnullorum assertio, quod Summus Pontifex non ex Angelica visione; sed ex certitudine, qua doctus erat, Mieczslaum Poloniae Ducem dum obiisse, coronam illi non dederit, quod et ego in aliquibus Polonorum annalibus revolvens legisse, sed assertionem angelicam ab Ungaris, quo missio coronae eis a Benedicto Papa facta foret celebrior confictam et somniatam esse, quam etiam in hanc diem parum iusta appellatione Sanctam vocant, cum nullum metallum possit in se includere sanctitatem, nisi usurpatam vel commentitiam.

Vastatis eo anno Vladimirus Russiae Dux Carvatis, infert iterum a Polonisq(ue) bellum, contra quos egressus ad fluvium Trubiessa eos offendit. Cumq(ue) fluvio intercedenti periculosam sibi uterq(ue) exercitus dimicationem censeret, vir altus et rarae fortitudinis de castris Pieczinigorum egressus, provocabat Ruthenos ut alium darent ad pugnam tribus annis si vincerentur vastationem sua terra perpessuri. Unusq(ue) itaq(ue) ex Ruthenis qui domi remanserat adductus, id munus suscepit, quem procedentem, utroq(ue) exercitu spectante, eo quod statura mediocris esset, Pieczinigus despexit. Inito tandem certamine, vicit Ruthenus Pieczyngum, et continuo exercitus Pieczyngorum fugit, quem Ruthenus persequutus multos occidit, aut capit. Wlodimirus illic castrum Percasslaw erexit, eo quod vir qui vicerat ex Percasslaw ortus esset

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS NONAGESIMVS OCTAVVS

Septimo Idus Februarij Boleslaus Bohemiae Dux vocatus Pius, germanus Dambrowcae Ducissae Poloniae moritur, unicum filium Boleslaum, alter enim Wenceslaus immatura morte absumptus erat, relinquit, qui patri in Ducatu Bohemiae successit

Graviter et molesto animo ferens Mieczslaus Polonorum Dux Bohemiae Ducatum post mortem Boleslai Pij Ducis, avaritia Baronum distractum et usurpatum iri, Boleslao consanguineo suo solo nomine principante compatiens, cum iusto forti exercitu, habens in sua comitiva Boleslaum filium suum Poloniae Ducem, Bohemiam ingreditur, et dum caeteris civitatibus cum honore excipientibus illum, eiusque ordinationibus et iussionibus parentibus, sola Praga portas clausisset, et imperium eius abnueret, Mieczslaus illam aggressus expugnat, et in suam redigit ditionem, impositoque tam arci quam civitati praesidio, et ordinato Bohemiarum rerum statu, alacer, victor, et incolumis Poloniam revertitur

Irruentibus eo anno Pieczyniegis in terras Russiae et eas vehementer caede et igne vastantibus, Wladimirus Russiae Dux cum suarum gentium copijs occurrit illis, et ingenti caede utrinque edita, contritus est Wladimirus et exercitus eius a Pieczyniegis, et cadentibus plurimis effugit Wladimirus, persequentibusque illum Pieczyniegis, ne in illorum manus vivus veniret, sub pontem qui fugienti occurrerat se recondit, cuius beneficio usus, hostes se insequentes fefellit, Pieczyniedzy autem spolijs et castris Ruthenorum potiti, praedata Russiae terra in regiones suas captivos et pecora, caeteramque praedam deducunt, post quorum discessum Wladimirus Russiae Dux in signum suae evasionis Ecclesiam transfigurationis in Kyow aedificat, et dotat, eo quod in festo Transfigurationis iuxta Graecorum ritum clades illa et sua evasio contigerat

Ono vui

Duo viri ea tempestate insignes vita et exemplari conversatione, Suiradus qui ad flumen Dunaietz prope oppidum Czchow in Cracoviensi Dioecesi, heremitorium sub rupe, quod et in hanc diem cernimus, habuerat, et in quo per annos plures Christo militaverat, et Benedictus ambo Anachoritarum degentes vitam ex Polonia egressi intraverunt Pannonias, et in Coenobio S. Benedicti ad radicem montis ferrei sub Abbate Astrico militantibus, Suiradus qui et Zoerardus confessionis decus asperitate vitae promeruit, Benedictus, sanguine fuso, laureola martyrij coronatus

ANNVS DOMINI NONINGENTESIMVS NONAGESIMVS NONVS.

Mieczslaus Polonorum Princeps cum annos plures in principatu exegisset, et fidem Christianam cum Dambrowka consorte sua filia Ducis Bohemiae primus in Polonia plantavisset, multarumque Ecclesiarum Cathedralium et Parochialium fundator, caeterorum vero piorum actuum devotus patrator existeret, religiose et Catholice perceptis vitae Christianae Sacramentis mortuus, et in Ecclesia Posnaniensi Cathedrali sepultus. Cuius funeri tam a filio suo Illustri Boleslao, quam a Praelatis et Baronibus eius decessum magnopere deplangentibus iusto debitoque honore singula persoluta sunt. Mox autem post expletas funebrias Boleslaus filius unicus triginta et duobus agens annos, cuius optima indoles iamdudum in multis militaribus et Heroicis actibus resplenduerat, et qui in ea aetate augensse tam insigni modestia notatus est, ut iam appareret plura illum experimentis reformasse, quam tempore transacto praestitisse, favore Praelatorum et Baronum Poloniae, et miranda omnium vociferatione, acclamatione et cantibus, in patris locum sufficitur, et Principatus regnumque Poloniae sibi quaeque gubernacula committuntur. Erat enim corporis elegantia venustissimus, mentis industria prudentissimus, animi magnanimitate fortissimus, ad dispensandum negotia tam privata quam publica discretissimus. Eo nimirum pollens profectu ut suam populique sui gloriam continuus diffunderet augeretque, devotus in Ecclesias et ministros Dei munificus, in milites beneficus, et in caeteros ordines liberalis, Quibus rebus tanta singulos devinxerat erga se charitate, ut vitam illius iuxta ac suam timerent. Curiam suam denique, non solum militum et Baronum praecipuorum, sed et libertorum, quos a servitute dissolverat, habebat, et stipatam et ornatam, tanta refertam frequentia, ut a specie iusti exercitus parum differret. Cuius fretus robore, facile quosque hostiles insultus exprimebat, acri vir ingenij, consilio et virtute praeclarus, iussionum suarum severitatem, liberalitate et blandicijs, quasi quodam validissimo temperamento indulcorans, non ad fortunae nutum, sed ad virtutum normam. singula Reipub. negotia administrans, cui natura magnificam praestantemque personam caeteros mortales excellentem donaverat. benignissime fovens virtutes, vitia vero severissime vindicans. Erat autem Boleslao Polonorum Duci praefato ingenium facile, et ad omnia quaecunque agere vellet, accommodatum, et versatile, loco, tempori, personae, congruens, quo didicerat omnem convenientiam simulare rationem, ut ad omne quod sive bello, sive pace, agendum emergeret, artibus optimis, et studijs instructusque censeretur, robore, sanitate, integritate sensuum, facundia, opibus, liberalitate, claritudine, gloria vigens, et caeteris id genus ornamentis, gloriae avidum, et notam ignominiae metuentium. Morte autem Mieczslavi Polonorum Ducis in regionibus quae sibi parebant vulgata, omnes novem Cathedralis Ecclesiae ab ipso fundatae et dotatae, certatim illi funebria pompa solvere peregerunt, agendasque a se et suis successoribus Pontificibus earum Ecclesiarum quotannis instituerunt, rectissime quidem et ut mihi videtur et digne, ut pote Principi et Primario suo fundatori, a quo illis et cuilibet earum per liberalem dotationem perpetuus in hanc diem vigens ingeneratus est spiritus.

Beato viro Adalberto Gnesnensi Archiepiscopo ad praedicandam fidem Christi gentibus in Prussiam profecto, Beatus Gaudentius qui alio nomine Radzim vocabatur, frater germanus beati Adalberti, secundum eorum, Gnesnensem Cathedram a Beato viro Adalberto suffectus suscepit, genere Bohemus, et nobilitate clarus, eisdem parentibus quibus et Beatus Adalbertus Slawniko et Strzeszslawa ortus, nobilis de domo Rosa, et ea familia

quae se

qua se Poray nuncupat, rosam rubeam pro insigni deferens

Sentientes Prutheni gloriosum Christi Martyrem Adalbertum Illustrissimo Polonorum Principi Boleslao, tam in vita quam post mortem charissimum fuisse, et pro eius habendo corpore et in Poloniam transferendo sollicitum esse, tanta enim ipse Princeps Boleslaus erga sanctum Dei aestuabat affectione, ut nisi Prutheni corpus suum pacto aliquo vel quentio via reddiderent, decreuerat illos indicto bello gravius quo posset, donec suum corpus redderent, lacessere. Mittunt ad Boleslaum Polonorum Principem nuncios, qui superba legatione usi haec verba faciunt. Deum tuum Adalbertum, quem interfecimus tibi cordi audimus esse, et pro habendo suo corpore sollicitum, ut etiam armis nos impetere, et bellum nobis inferre mineris, Armis quidem Dei tui corpus obtinere non poteris, ignoto tibi et pluribus inuio obrutum loco. Verum si illud habere desideras argento opus est non ferro, dare tibi illud offerimus, si vicem argenti quod appenderit te consensens soluturum. Boleslaus autem Polonorum Princeps etsi molesto acerboque animo legatorum arrogantem denunciationem audiret, ingentis tamen spiritus sui compresso feruore, in tempus aliud fastum Pruthenicum castigandum reseruans, modestius quam ferebat natura sua, quo facilius in possessionem corporis sancti peruenire posset, legatis Pruthenorum pro tempore respondet, offerens se conditionem per eos allatam impleturum. Ex pacto itaque inter Boleslaum Polonorum Ducem, et nuncios Pruthenorum inito, mittuntur per Ducem Boleslaum Ecclesiastici et militares in Prussiam viri sufficientesque, copiam argenti ex thesauro Ducis magna liberalitate praestitam secum ferunt. Quo cum peruenissent, et iuxta compactata, primores Pruthenorum, qui ad rem huiusmodi exsequendam conuenerant, corpus sanctum miram spirantem odoris fragrantiam de loco abdito protulissent, primum an illud sit per Polonos recognoscitur, deinde ex vulneribus veritatem testantibus eiusdem, aliisque euidentibus signis recognitum, collocatur in statera argento per Ducem Polonorum Boleslaum misso appendendum. Verum cum e regione corporis sacri in altera tabula statera argentum indicio Polonorum corpus sacrum appendentium aut pondere suo staterem excessurum apud urbem Romow Pruthenorum Metropolim positum fuisset, in tali levitatis impendiculum operante divinitate corpus illud sacrum, quod dum viveret Spiritus sancti organum habitaculumque tenebatur, versum est, ut nullum pene pondus habens, exiguissimo argenti responderet articulo. Omnibus autem tam Polonis quam Pruthenis magno stupore repletis, in laudem Maiestatis divinae pro praestito miraculo et beneficio Poloni ora resolvunt, et cum omni devotione honoreque Ecclesiastici viri, corpus Beati Adalberti de statera levant, et in capsam pulcherrimi operis pro huiusmodi usu et necessitate secum allatam, recondunt. Ac fere universum argentum quod pro appendendo sacro corpore attulerant, in scrinia sua referunt, non sine Pruthenorum magno cruciatu, qui thesauro viso exalato se frustratos mentis anxietate et ingeminatione verborum querebantur. Non audebant autem Pruthení conclusa pacta, quamvis Walispionum ex illis suaderet improbitas retractare, metu superna maiestatis Dei, cuius mirandam potentiam in appendendo sancto corpore experti habuerant punctum, et in iusto bello pro temeritatis partes ultro oblatis per Ducem Boleslau et gentem Polonorum vexatum eos iri contingeret

Accepto itaque Polonorum Nuntii in Prussia Sancti Dei corpore Adalberti, illud cum debita solemnitate, reverentia atque honore in Poloniam deferunt, plaudentibus et exultantibus populis ~~populo~~ Polonorum, et gregatim cum cereis accensis sancto corpori occurrentibus. Per quorum possessiones et rura atque oppida ferri illud contingebat. Dum autem Boleslay Polonorum Dux denunciantibus nuntiis in Prussia missis cognovisset omnem ordinem et modum qui in appendendo corpore Beati Martyris Adalberti divino munere habitus est, et qualiter videlicet, corpus beatum, modicum imo pene nullum caubasset pondus in statera, et quod nuncii iam illud intra fines regni sui cum omni securitate detulissent, vehementi exhilaratus gaudio in laudationem Salvatoris qui sibi et Polonis tam munifica praestitisset beneficia, prorumpit. deinde vicinioribus Pontificibus Ecclesiasticis quoque et saecularibus viris accersitis, ingentem et numerosam multitudine omnium statuum et ordinum, obviam sancto corpori processit, Et cum illud offendisset, prostratus cum clero et populo et universo comitatu, Dei laudes concinentes corde et ore excepit, et illud in coenobium Trzemesno ordinis Canonicorum regularium beati Augustini, quod pater suus Mieczslaus Polonorum princeps in primordio assumptae fidei fundaverat, et munifica largitate dotaverat, deferens, illic collocavit. Verum modici temporis intervallo elapso, volens sanctum Adalberti corpus amplius honorare, congregata magna Pontificum Ecclesiasticorumque, et saecularium virorum multitudine, corpus sacrum ex Trzemeszna in Gnesnensem civitatem, ea tunc tempestate florentem et populosam, cum magna solennitate et pompa tricesimo Calend. Novembris deduxit, et in Ecclesia Metropolitana Gnesnensi, cujus sanctus ipse aliquanto tempore erat Archiepiscopus, honore excellenti collocavit, pluribusque ex post diebus sequentibus Gnesnae in memoriam tanti beneficij festos dies egit, largissimas eleemosynas egenis distribuens, et universis pro necessitatibus suis illum interpellantibus, munificum et gratiosum se demonstrans. Corpore autem sancti Dei Adalberti Gnesnam translato, frequenti et assidua coepit vir Dei miraculorum operatione clarescere, et in varijs languoribus supplicibus suis magnificus adiutor existere, propter quod non solum ex Polonia sed ex remotissimis Germaniarum, Pannoniorumque finibus, ad tumbam corporis sancti populorum catervatim cum adventium, sanitatis quoque solatia recipientium, coepit esse frequentia et concursus. Miraculorum autem ab ipso patratorum seriem huic operi non inserimus, quia et in pluribus locis habentur descripta, et nec volumini praesenti exactissimis modicis succederent

Multa prodigia is annus habuit, et inprimis terrae motum apud Polonos in Regno universo Cometes decimo nono Calendas Januarij afferunt, qua caelo aperto quasi facula ardens et facem in longum protendens, adeo splendore suo cunctos perterruit, ut non hi tantum qui in agris, sed etiam qui in tectis erant, quasi quodam fulmine ferirentur

Mortuo Benedicto, qui sedit annis quinque mensibus sex et secundum alios annis decem, cessavit Episcopatus diebus quinque et apud Ecclesiam Sancti Petri sepulto, Joannes xiiij qui et Petrus Papiensis episcopus, Succedens tenuit Cathedram mensibus octo, et in castro Sancti Angeli per quatuor menses fame afflictus, mortuus, et in Vaticano sepultus, Joannem natione Romanum virum eruditissimum, et qui nonnullos libros composuit, habuit successorem, qui parvo tempore videlicet mensibus quatuor supervixit et alium eiusdem nominis Joannem quindecimum habuit successorem, natione Romanum, Hunc Crescentius Patricius in tantum afflixit, quod ex urbe egressus pro Imperatore Otthone secundo, ut urbem veniret, nuncios misit, quod audientes Romani, spiritu revocant, et usque ad terram prostrati veniam petunt, et obtinent. Sedit annis decem, mensibus decem, diebus septem, et Romae moritur

Joanne Papa sedecimo absumpto Gregorius quintus natione Saxo ad instantiam Otthonis tertij Imperatoris, cuius fuerat consanguineus in Papam assumitur, qui ante Bruno dicebatur, vir venerabilis et spectatae virtutis, Imperatore autem Otthone tertio ab urbe discedente, placentinus intruditur a Crescentio, propter pecuniam, et Joannes Sextusdecimus vocatur. Ob quod Scisma Imperator Romam reversus, Crescentium capite truncat, Joannem vero antipapam exoculari et in pluribus membris mutilari fecit, nisi bellum in marchibus Ducatibusque suis, et reddita est pax Ecclesiae.

Et nota, quod iste Gregorius cum Otthone tertio Electores imperij ordinavit, et instituit, qui diu in ipsis permanserunt, usque nunc, nec potuerunt Franci aut Itali infringere illam ordinationem, non propter aliquam culpam Saxonum, sed ad praecavendum pericula futurorum

Unde versus Maguntinensis Treverensis Coloniensis quilibet imperii fit Cancellarius horum et Palatinus dapifer dux portitor ensis Marchio praepositus camerae pincerna Bohemus. Hi statuunt dominum cunctis per saecula summum. Verum ut quidam dicunt Saxonicae Aquila multas pennas amisit, et in fine totaliter denudabitur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS PRIMVS

Miraculis singularibus et stupendis, quae clementia Salvatoris per merita Sancti Viri Adalberti Gnesnensis Archiepiscopi operari dignata et in plures oras longe lateque diffundentibus Otho tertius Imperator Romanorum, et aegritudine gravatus, et suo instinctu et aliorum familiarium suorum augmento permotus, Sanctum Dei Adalbertum pro sua liberatione coepit sollicite invocare, voveratque votum Domino promisit eius personaliter adire sepulchrum, si eum contingeret priori restitui sanitati. Mirum in modum facto voto ab ea qua detinebatur infirmitate sensit se perfecte ad invocationem Beati Adalberti liberatum. Voto itaque suo satisfacturus, et ad corpus sacrum digna sancto et se munera oblaturus, in Poloniam versus, stipatus multitudine principum et militum procedebat, simul ut et votum suum persolveret, et Ducis Polonorum Boleslai personam quam omnis hominum fama magnis celebrabat laudibus videret, constabatque illum non solum pro visitando corpore Beati Adalberti Gneznensis quinetiam Poloniam profectum, quantum Boleslai Polonorum Ducis fama percitum. Cuius adventum Boleslaus Polonorum Dux plurimorum denunciatione praesentiens, singularum rerum quibus tam magnificeque hospes et eius exercitus excipi procurarique posset instruxit apparatum, et venienti Imperatori ad fines Poloniae cum magna militum suorum circumdantium caterva occurrit, eumque cum omni excepit reverentia et honore. In finibus autem suis exceptum, omnibus necessariis tam ipsum quam omnes suos milites abunde et liberaliter procurat, et per loca directoria usque in Posnaniam deduxit. Et quoniam Otho Imperator in conditione voti sui habebat septem milliaribus ad corpus Sancti Adalberti pedestre iter conficere, ex Posnania tanto enim spacio iter intermedium versus Gnesnam protenditur, ire decreverunt: quae res ad notitiam Boleslai perlata, quo omnem possibilem honorem Imperatori exhiberet, omne iter a Posnania usque Gnesnam variorum pannorum coloribus, per quod Imperator Ottho transiturus erat, consterni disposuit, ut ingrediens imperator cum militibus nullibi terram contingeret. Verum etsi Imperator Otto huiusmodi officio se aliquatenus non indigere, et magis sibi oneri, quam honori esse significasset. Boleslai tamen precibus devictus, et ne devotionem affectionemque suam repudiatam iri quaeri posset, tandem uti illo acquievit, et Boleslao cum pedester similiter et ipse cum suis militibus associante Gneznam perveniunt, ubi ab Archiepiscopo Gaudentio, caeterisque Episcopis, Praelatis, et Baronibus, matronisque nobilibus et virginibus filiabus earum, quos Dux Polonorum Boleslaus pro festivatiori et expressiori Imperatore convenire mandaverat, cum magna suscipitur reverentia, devotione, et honore, quos etiam Imperator ipse pro sua benignitate affabiliter suscipiebat. Iamque tunc varios apparatus, et cultus diversorum ordinum, matronarumque et foeminarum nobilium, variam et auro gemmisque et lapidibus unionibusque pretiosis suppellectilem superbam, quibus in occursum eius ornatae onustaeque splenderent, coepit animo et cogitatione non sine quadam admiratione metiri singula, et regias in Boleslao Polonorum Duce dudum apud se fama vulgatas recognoscere virtutes, quanta videlicet illi civitati conferret negocia, qua polleret industria, quem laborem assiduo daret negociis, quam fortitudine pericula, et quale consilium in providendo universis, rara insuper et singularis dexteritas et humanitas quam de se tunc vulgarius quam aliis monstraverat. Faciebant illum tam Caesari

quam sui

quam sub omnibus Caesarum, tantos insuper apparatus, tantam auri, gemmarum, purpurae, et vestium supellectilem, tot militum ordines, et catervas offendens, quantos et quantam nunquam fuerat arbitratus. Videns insuper Boleslai egregia et magnifica facinora, non iam auribus, sed vultu, fronte, et oculis, perspecta, maiore admiratione ex conspectu et praesentia magnis nominibus mirifica, quam ex fama, quod Princeps solertissimus, atque indagatus ad faciendum quodcunque niteretur, manu promptus et lingua percellebat

Imperator itaque Romanorum Ottho tertius in civitatem Gnesnensem perveniens, Ecclesiam maiorem ingressus, ad corpus Sancti Adalberti se prosternens, cum magna devotione gratias Deo egit, et Sancto Adalberto de sua ad bonam valetudinem restitutione. Ad Sepulchrum quoque suum digna Imperatore munera, ex auro et argento obtulit, per diesque aliquot Gnesnae devotionem suam, quam ad Sanctum Dei habebat, explendo permansit.

Curam autem Boleslaus Polonorum Dux ad hoc unum verterat, intenderatque, ut tam Imperatorem Othonem, quam omnes qui cum illo advenerant optimates Baronesque et milites non solum uberrima victualium omni procuraret administratione, sed insuper excellentium donorum caeterisque humanitatis officiis honoraret largitione. Praesentabantur itaque singulis diebus Imperatori et Baronibus suis nova munera, diversis gradibus et ministrorum ordinibus variata. Et siquidem ferebant vasa aurea, hi argentea, alii gemmas, alii monilia, caeteri aut equos insignes, aut peregrinas nobilesque pelles, aut auro argentoque, ostro et purpura superbas vestes. Imperator itaque Otto apud quem nomen Boleslai Polonorum Ducis dudum fama prodente percelebre erat, ut cuius rei experiendae gratia Poloniam adire aliquanto tempore aestuaverat, tot honoribus, tot donis, tot officiis, a Boleslao se victum magis quam tractatum apud se et suum consilium secretiorum querebatur, Praesentiaque Boleslaus, quod rarius fieri contigit, maior apud illum habebatur quam famae. propter quod Imperator et optimates sui de fortibus factis, de prudentia, industria, facundia, liberalitate, ceterisque imperatoriis actibus celebratum, oculos converterant. Videns insuper Boleslai virtutes diffusiores famaque ampliores, naturalem quoque sapientiam cum industria coniunctam, videns singularem prudentiam et ingenium ad res difficillimas parandum et imperandum, admirandae tam facundiae quam providentiae refertum, militum quoque et populorum suorum numerosam frequentiam, et qui illi inaestimabili obedientia et nutu parebant, considerans insuper singulorum militum et ministrorum suorum ordinem uniformem in exequutionem eorum quae mandabant proventium tenore, Et cum indolem animi ingeniique eius maiorem multo quam fama detulerat, raraque inter summi per genere virtutis specimen deprehendisset, ad incrementa gloriae suae ducens Diadematis regii illi adiicere in animum induxit. Convocatis ipse optimatibus et Consiliariis suis fertur stuporem animi sui super operibus Boleslai tam insignibus conceptum, quam diu celatum animo gestaverat, publicasse. Nihil inquit fama quam de Polonorum Principe Boleslao ad nos usque detulerat, mentita est; quinimo maiora subtraxerat, plura sepeliverat, quam prodiderat, neque ea quae experimur, quaeque coram intuemur, et videmus, ad liquidum perduxerat, singula operum suorum et virtutum praemia, tenaciter minuens, et vane assumendo, multo minora quam in praesenti conspicimur, quum adeo prudentia, fortitudine, magnanimitate, iustitia, clementia, liberalitate, fide, integritate, ceterisque regii animi virtutibus experimur insignis relucere, ut in sublimioribus, posteris clarissimum exemplar merito omnibus proponi possit. Turpe itaque imo scelus grande reor, si vir tantus et tam nostrae personae quam imperii nostri amicissimus sub sola Ducalis tituli modestia delitescat, et non potius in regalis culminis evehatur fastigium, cui superiorem ignoramus inter Duces, et quem sapientia regibus parem facit. Hunc itaque vos, si et vobis id bonum utileque videtur, pro Dei honori, fidei sanctae exaltationi, et incremento, et barbararum nationum, quae Polonorum regioni confinantur exterminio, regio dignamur honore. Suum in plenitudinem potestatis nostrae assumere, et sceptra regalis excellenter illi deliberavimus conferre, ut tot immensis honoribus et donis, quibus et nos et vos dudum ab eo obruimur, saltem hac vicissitudine dum hactenus alia non licet, respondeamus. Universis autem Principibus, optimatibus et Baronibus imperialibus, deliberationem et decretum Imperatoris certatim laudantibus, approbantibus, et extollentibus, et miris laudibus sermonibusque in Boleslai Ducis commendationem ora solventibus, constanterque asserentibus, omnium bonarum artium omniumque excellentium virtutum in Boleslao specimen consedisse, Imperator Otho ex thalamo egressus cum Duce Boleslao in Gnesnensem Ecclesiam pergit, utroque comitante frequentia militum et populorum utriusque sexus multitudine infinita, Ubi dum perventum esset mandat Imperator Otho secundus, Gaudentio Gnesnensi Archiepiscopo, caeterisque Episcopis Poloniae Boleslaum in Regem Polonorum sacro chrismate inungi, et singula quae in Regum coronationibus et unctionibus fieri solita sunt, cum orationibus et observationibus consuetis, iusto ordine persolvi, qua expleta in sellam eminentiorem ex qua ab omni circumstanti turba videri posset perductum, Imperator Otho Diadema nobile, quod tunc in capite gestabat, vertici suo deponens, tempora Boleslai Ducis illo coronat, et insignit, constituens et decernens eum et eius quemlibet posterum et successorem Polonorum Regem, et imperij Romanorum socium et amicum, subijciens sibi et regno suo omnes Polonorum regiones, nationesque, donans vero singulos principatus, terras, et districtus per eum et successores suos reges Poloniae sub barbaris infidelibus et schismaticis nationibus acquisitos et in posterum munere et suffragio divino acquirendos. Aquilam quoque candidam sibi et universo regno Poloniae pro perpetuo largitur insignio, ut quemadmodum Romanum imperium simili insigni in atro colore deferens nationes omnes Theutonicas habet subditas, ita et ipse eodem insigni in niveo campo de caetero utens, subiectas sibi fieri non desistat singulas Slavorum et barbarorum nationes, hortans et monens illum, quatenus pro fidei sanctae Catholicae augmento, et dilatatione, barbarorumque exterminio quam maiorem potest navet operam,

subiectos

subditos in aequitate et iustitia dirigat, Ecclesiae Dei sua iura suamq; honestatem ministrosq; illius observet, et in fide ac amicitia sua et imperii perseveret, ampliora Dei et imperii beneficia pro suis operibus et virtutibus tempore succedenti in se aut filiis et nepotibus ac successoribus suis, propitio Deo accepturus. Et quo donatio ipsa diuturnior consisteret, privilegio imperiali auream bullam habenti roborat et communit, Regem Regnumq; Poloniae singularibus privilegiis, libertatibus et praerogativis eximens, libertans, et extollens, et a sua suorumq; successorum Imperatorum Romana obedientia, et subiectione perpetuo remittens et absolvens. Boleslaus autem Rex Polonorum nouillus modesta oratione super his quibus eum admonuerat respondens et de iis quae sibi praestiterat, gratias ingentes agens, impleturum se omnia pro posse cum Dei assistentia repromisit. In hunc itaq; modum Polonorū Respublica in regni iura redacta est, et Boleslaus Polonorū primus super omnes generis Slavonici atq; linguae duces magnificatus, ad cuius cumulatam omni ex parte felicitatem cum nihil praeter regium Diadema deesse videretur, etiam sibi illud divina providentia est largita, propter hac et plurima alia decora apud genus suum, et linguam, aurea statua, et arcu triumphali in omne aevum glorificandus, primus apud Polonos regiis insigniis initiatus, dux quoq; ille apud Polonos habitus est celeberrimus, nec minus sequentibus variis apparatibus in magnificentiam honorum et praesentiam duorum Regum et conferentis et accipientis coronam insignis, ludorum quoq; magnificentia et spectaculo mirificus, in quo Boleslaum regem praedictum summus Deus favore suo largissimo ad culmen Regni Poloniae evexit, et in quo praeclaro initio salutarem et stabilem Poloniae universis Diadematis principatum auspicatus est.

Claritatem Regii nominis et decoris, videns sibi et suis regionibus atq; Polonorum populis divinitate propitia et favore imperatorio accessisse, intellexit sermonem Benedicti Septimi Papae ad patrem suum Mieczslaum nunciū Lampertum Cracoviensem Pontificem expressum, in omnibus adimpletum fuisse, et magno exhilaratus gaudio tribus subsequentibus diebus delicatissimum convivium pro Caesare Othone et universis Principibus, praelatis et baronibus suis mirifico apparatu instruxit, in quo gloriam sui nobilissimi generosissimiq; animi, et divitiarum suarum magnitudinem monstravit. In illo siquidem triduo omnium ante se Principum liberalitatem adeo supergressus est, et Caesaris suorumq;

estimatum

optimatum animos effusione magis donorum quam largitione in cunctos dederit, ut et praesenti aetati visus praesertim Caesari et suis quendam stuporem induxerit, futurae vero posteritati incredibilitatem. Omni siquidem die illius tridui, nova vasa aurea et argentea, gemmis lapidibusque diversis nitentia, convivantium mensis inferebantur, quae statim epulatione prima die exacta in unum acervum congesta, Caesari pro dono praesentabantur. quod et in secundo die, deinde in tertio fuit per nova et ponderis precijque altioris vasa repetitum. Caesari vero tam insueto honorato muneribus, ad principes, praelatos, Barones, et familiares Caesareos processit, et iuxta cuiuslibet conditionem ordinem et gradum unicuique munera distribuit, beneficium in coronatione motu proprio per Imperatorem praestitum, admiranda cunctis liberalitate repensans. Celebrantur autem per singulos dies in Caesaris honorem, hastarum, chorearum, plausuumque et aliorum variorum generum ludi, et universa regia nocte fere interdiu musicorum concentu et ludorum instauratione concrepabat quibus officijs tantum sibi amoris infundit Caesarianis omnibus ut ~~plus~~ plus videretur meruisse quam accepisse, minorque regni collata potestas, quam profusa in omnes comitas et largitas existimaretur

Caesar Otho tertius ut erat vir nobilis et illustris ingenij turpe sibi et suis ratus, si pro tot et tantis beneficijs quae in se et suos Boleslaus Polonorum Rex effuderat, vario benevolentiae genere non respondisset, cum suis aliquanto tempore deliberans, cum Boleslao Rege affinitatem iungit, et filio Regis Polonorum Boleslai, cui nomen erat avitum Mieczslaus, et qui patri unicus erat, neptem suam Rixam filiam primogenitam Ezzonis alias Herenfridi Comitis Palatini Rheni ex sorore sua germana Mathilde susceptam, principis pro ea tempestate in sanguinis nobilitate, prudentia, claritate excellentissimi, solenniter desponsat in uxorem, et ad illustrandam amplificandamque famam nomen et gloriam Regni Poloniae praefato Mieczslao, duci claro, et unico Boleslai Regis pignori condonat ut qui iam decus regium contraxerat clarius imperialis sanguinis amplitudine longius fulgeret. Stipulationesque et promissiones publicae inter Caesarem et Regem vice oratorum contrahuntur, et litterarum inscriptione firmantur. Maximum enim id, prout erat, censebat

sui imperij Ottho stabilimentum, si affinitate huiusmodi Al
maniam Polonorum regionibus glutinasset. Nec his Caesar
contentus, donat Boleslao Regi unum clauum de cruce perfo
rationis corporis dominici nobilitatum, et Sancti lanceam
Mauritij, cum hac adiectione verborum, Hunc, inquit, clauum,
quo nihil preciosius nec charius, nihil iocundius gratius,
in omni mea suppellectili me habuisse, sed me habiturum esse re
bar, tibi amicissimo meo affini, pro vexillo triumphali dono,
designans te tam excellenti munere omnium in circuitu ho
stium, sed barbarorum praecipue nationum magnificum trium
phatorem, neque enim amplissima dona tua mihi et meis tri
buta, auro et argento, in quo te video satis opulentum esse,
sed ipsorum omnes gazas terrenas superat, clauo domini respon
do, Lanceam insuper sancti Mauritij Thebeae legionis
principis addo, qua in bellis contra barbaras nationes
tuo regno vicinas tantummodo te uti volo, propitio Deo et
Sancto Mauricio patrocinante, barbarorum potentiam contri
turo. Boleslaus autem Polonorum Rex et de affinitate tam
splendida et illustri, et de muneribus excellentibus et raris
gratiarum condignam actionem Caesari effundens, Beati
Adalberti brachium Caesari redonat, cum magna gratitu
dine et deuotione a Caesare susceptum, simulque tale est Caesa
ri responsum. Quando, inquit, Deum experior, personam meam,
populum quoque meum, deinde prolem meam tibi curae esse, cum
glorificatione mea et populi mei, non contentus etiam filium
meum in generum adoptasti, clauo insuper dominico, et Beati
Mauritij lancea regnum Poloniumque meum, in quod a te euectus
sum, triumphalibus insignijs, velut firmissimo robore sanxisti, eni
tar pro viribus, ut tot a te nobilitatis decoris, factis potius
quam verbis respondeam, et pro te tuoque imperio bella ad quae
me per te accersitum iri contingeret, prompto, fidelique animo geram,
ne a quoquam vinci possim officio et caritate. Acta est autem
haec primi Regis Boleslai Polonorum coronatio, et in Regem su
per Polonorum regionis unctio, praesidente in Cathedra Petri
Ioanne Papa Sextodecimo

Coronatione primi Regis Polonorum Boleslai Ottho Imperator
peracta, et affinitate per neptem suam Richssam contracta, onu
stus auro et argento, donisque multiplicibus ex Gnesna egre
ditur, magna laetitia exultans, et intra se tanta exhilaratione ouans.

quod in principem tam liberalem et munificum coronationis et affinitatis officia contulisset, et ipsum suum et imperij amicum effecisset. Comitabatur autem Imperatorem ad propria redeuntem Boleslaus Polonorum Rex usque ad terminos regni in singulis locis suae ditioni subiectis imperatorem et exercitum splendide procurans et pertractans In finibus autem Regni sui Imperatori gratijs actis, faedere perpetuae amicitiae percusso, et varijs pollicitationibus firmato, valedicens in Poloniam revertitur. Imperator quoque Otto in Almaniam suam deveniens, sospes et incolumis in Magdeburg, ubi enim erat familiarior sua mansio, pervenit, et Magstram virginem Rechssam neptem suam nuntijs Boleslai Polonorum Regis, qui eum ex Polonia comitabantur, quique patri virginis Ezzoni comiti Palatino majori pretij attulerant per Boleslaum Regem missa munera, cum dote tradit in Poloniam deducendam, qui illam cum plerisque Almania militibus per Imperatorem et patrem virginis comitem Palatinum Ezzonem adiunctis, in Regiam ad Gnesnam afferunt, virginem doctam literis, moribus conspicuam, non secus forma et genere quam faemina fragrantem gravitati, dotesque repraesentant munera, et aulae domus ornamenta. Rogant avunculi, patris, et parentum nomine, ut illam in solarium fidelitatis societatis et thori Mieczslaus Dux filius Regius assumat, et dulcedine pertractet suavissima maritali, Sabiturus consortem modestam, tractabilem, et morigeram. Boleslaus autem Rex prudentissimus attendens favore divino et humano conferri affluentem sibi culmen Regni et Diadematis solium, multis quoque Principibus orbis, dignitatis regiae excellentia et multifarijs alijs donis se praelatum, verum meliori modo, clementiam, iustitiam dilexit, communivit et stabilivit suum Imperium, et statu pacifico laetabatur prosperatus.

POTENTIAM Boleslai Polonorum Regis latissime se diffundentem Wladimirus Ruthenorum Dux perhorrescens, et veritus ne quandoque in se et terrarum suarum periculum recideret, mittit ad Boleslaum

Polonorum Regem Nuntios insignes, petens secum et terris suis iungi fædus. Bolislaus autem Polonorū Rex amicitiam Ruthenicam intelligens Reipublicae Polonorum plurimum convenire, fædus Wladimiro Russiae Duci concessit, et sub aequis conditionibus illud secum iuramento firmavit ex quo utraq; terra maxima quiete annis pluribus floruit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SECVNDVS

Excellentiam qua Caesareo favore Bolislaus Polonorum Rex et dominia sua in donatione Regij Diadematis, clavi dominici, et lancea Sancti Mauritij fuerant illustrata et insignita, vicinarum regionū mox invidiae livor excepit. Bohemorum tamen pectora labe illa ultra ceteras nationes abundantia altior de Bolislai et Polonorum felicibus successibus cruciatus pervasit, qui permoleste ferebant sublimitatem regij culminis per prius Regioni Poloniae quam suae Bohemiae accessisse. Regebat pro eo tempore Bohemiā Bolislaus tertius principatum. Saevus etenim Bolislaus Sancti Venceslai germanus et occisor, cuius filia Dambrowka foemina nobilis et devota Bolislaum Regem primū Polonorū Mieczslaum ut in superioribus narravimus ediderat duos filios, moriens reliquit unum Bolislaum qui annis pluribus ducatum Bohemiae modeste et clementer regens pij Bolislai adeptus est cognomen, alterum Stratquasts in cuius baptismi convivio occisio Beati Venceslai fuit sequuta, et ex eventu tam improba vocis nomen illi aptatum Stratquasz quod sonat perdenus fermentum. Qui in Ratysbona in Monasterio Sancti Emerani ordinis Sancti Benedicti ordinem ingressus, primum solus monasterio habitu expiabat. quem etsi Sanctus Adalbertus quodam tempore Pragae officium rogasset ut ei in Cathedram Pragensem succederet, faciliter cum germani fratris suffragio ipsa enormiaq; Bohemorum scelera repressurum, et ille tunc abnuerit, expost tamen quod et vir Dei Sanctus Adalbertus ei abeunti et ostio in ouile ingredi detrectanti futurum euenire prædixerat, ambitioni, quam aliâs detestari videbatur, incumbens, exulante Beato Adalberto, Pragensem Ecclesiam sibi per fratris sui Boleslai intercessionem ab Imperatore Otthone tertio dari obtinuit. Qui cum de mandato Cæsareo per Moguntinensem Archiepiscopum in Pragensem Archiepiscopum consecraretur, et in ipso consecrationis processu, iaceret in faciem de more prostratus, Sacris de more imbuendus pontificalibus, occulto Dei iudicio in secundam tertiam et quartam generationem facinora vindicanti, a Dæmone inuasus, tam terribiliter et impetuose vexatus est, quousque cunctis qui aderant videntibus stupentibusque vitam miserabiliter finiret. Boleslaus pius et secundus moriens, vnicū filium Boleslaū reliquit, illum Bohemi multis verbis perferunt, ut Poloniam inuadat, et eam aut aliquam partem sibi tributariam efficiat, clarius nomen, si Regis Poloniæ, Dux ipse, terras ipsas vastauerit, expugnaueritque, apud Imperatorem cæterosque Principes habiturus. Nec deerant inter Bohemiæ Barones et præsertim nobiles Vrsowicenses et fere tota Rauitarum domus, viri callidi et vafri, et ea tempestate in Bohemia potentes, qui inter fratres ex fratre et sorore genitos, discordiæ et belli malum ea menti insererent, quatenus ipsi pondus venerationis suæ et fortunarum suarum supellectili, quod stante pace sperare non poterant, in guerra augerent.

IORDANUS primus Posnaniensis Episcopus cum annis viginti sex sedisset, moritur, et in Brandemburg sepelitur, In cuius locum Thimotheus in Posnaniensem Episcopum ordinatur, alij asserunt illum in Posnaniensi Ecclesia sepultum. Fuit autem Timotheus ipse natione Romanus, nobilis generis, per Benedictū Papam Septimū promotus.

Ex POLONIA OTTHO tertius reuersus audiens Ioannem Papam Sextumdecimū a Crescentio Romano strangulatum, ipsum etiam Crescentiū assumpta

tyrannide Romam oppressisset, et Italia invasa uni-
versi imperij occupationem facile sibi in animo desti-
nasset. insolentiam eius iuxta ac dignum erat indigne
ferens, constructo in honorem Sancti Adalberti Episco-
pi et Martyris Canonicorum Regularium monasterio,
Romam cum frequenti optimatum suorum numero
contendit, ubi vacillante turbataque plurimum Roma-
na Republica successores Ecclesiae Sanctae Dei simul
et imperij statum indefesso labore et cura ingenti in-
staurat et reparat. Et Brunonem quidem Archican-
cellarium suum, qui Gregorius appellatus est quintus,
in sedem Apostolicam surrogat, virum vitae mori-
bus et scientia insignem, et cognatum. Crescentium
vero Romanae civitatis et imperij invasorem, in va-
lidissima Imperatoris Adriani quae et Theoderici opi-
natur fuisse tyranni, fabrica, quam sibi in arcis mo-
dum muniverat, scilicet continentem robore militum op-
pugnatum, et inde extractum, super Tiberis pontem
capite obtruncat, et tam urbi quam Italiae pacem
reddit, habiturus pro tam festino succursu perpetuam
laudem, si iuxta de vitijs ac hostibus sibi triumphare
contigisset. Eminus siquidem Crescentij tyranni
a se devicti et damnati mirae pulchritudinis uxoris
in eius execrabilem incidit amorem, quam nocte se-
quenti constuprans ab eadem veneno inficitur, Et
augescente grassantis per venas veneni peste, non
multo post gravissimo languore corripitur, et quinto
Calendas Februarij rebus absumitur humanis, cum
annis xviij imperasset. Heriberto autem Coloniensi-
um Episcopo, cuius tota imperialis cura parebat con-
silio, familiaribus eius observanti, ibidem moritur
et mox eodem Heriberto Episcopo ordinanti, ac si vi-
vus esset purpura indutus super equum velut expeditio-
nem acturus arte erigitur, et in hunc modum mor-
te eius Romanis celata, quorum nonnullos occiso
Crescentio graviter sibi senserat infensos, Cisalpes in Sue-

uiam

Sueviam defertur, sepultis eius intestinis in civitate Augusta, corpus in Aquisgrani delatum, in medio Ecclesiae Beatae Mariae honorifice ab eodem reverendo Heriberto Coloniensi Archiepiscopo caeterisque Alemaniae Principibus extitit tumulatum. Et quoniam idem Ottho Imperator, nullos liberos reliquerat, Henricus secundus Dux Bavariae LXXXIIIJ° loco ab Augusto in Romanum imperium successit, A Veligiso Maguntino Archiepiscopo coronatus, filius Henrici fratris primi Otthonis, Huius autem Otthonis Imperatoris tercij tempore Ecclesia Metropolitana Madeburgensis ab avo suo Otthone primo fundata et dotata, habuit Archiepiscopum Udonem nomine; qui per beatissimam virginem promotus mirabiliter fuit, sed post, propter detestabilem et facinore plenam vitam per solius Dei iudicium, quod in Ecclesia Magdeburgensi publice et visibiliter actum est, sententiatus, damnatus et decollatus est. cui ad hoc viventi ut se corrigeret angelus illud ingeminabat. Hudo cessa a ludo, iam satis lusisti Hudo.

PERNICIOSO Dux Boleslaus tertius Bohemiae consilio seductus, guerram causa non praecedente aut demerito Regi Polonorum Boleslao movens, in terras Polonorum versus Cloczsko armatus descendens coepit illas hostiliter vastare igne, populatione, et gladio, et subijcere suae ditioni et tributo. Qua novitate ad Boleslaum Regem Polonorum perlata, magna percellitur admiratione, quod ab eo quem fratrem et amicum in suis opportunitatibus experiri crediderat, bello iniusto, provocatione nulla interveniente, premeretur. Legatis ad illum transmissis, qui et per sanguinis et pacis hactenus observata iura, restitutionem ablatorum et disomatorum solutionem repeterent, et ut pacem servaret, hortarentur. His Dux Boleslaus Bohemiae auditis respondit, se iniurijs prioribus provocatum bellum sumpsisse, ortumque et initum bellum Polonis fines suos incursantibus intulisse, non abnuiturum tamen se omnem possibilem aequitatem. Consentientibus itaque Polonorum Regis Boleslai legatis treuga interponitur, et firmatur, cuius conditione Boleslaus Polonorum Rex bellum suspensum aut finitum credens, animum ab expeditione averterat. Verum Boleslaus Bohemiae Dux eodem consiliorum tenore quo prius persuasus, maiori potentia adunata, ruptis treugis, Poloniam ingreditur, illamque fortius quo potest, devastat, suggerentibus sibi Bohemis Boleslaum Polonorum Regem sibi suisque viribus et copiis resistere nullatenus ausurum. Quibus verbis Princeps parum sensatus credens, bellum eo ferventius promovebat. Quo malo Boleslaus Polonorum Rex comperto, leonino rugitu fremens, ex universo regno suo celerius quo potest convocat fortissimos quosque milites et bellatores et contra Boleslaum Bohemiae Ducem cursu celeriores producit, Verum Bohemiae Dux referentium sibi exploratorum denunciatione certior effectus, Boleslaum Polonorum Regem cum magno exercitu et suo plurimum superiore advenisse, vastatione Poloniae omissa, in Bohemiam se recepit. Quem dum Boleslaus Rex in locis quae vastaverat, non reperit, altius fremere coepit, quod et illi subductus esset hostis, et calamitates fletusque illum quammaxime eorum qui a Bohemis bello vexati oppressique erant, commoverent. Ingenti itaque spiritu, calamitati suorum coram conspecta incensus fertur Boleslaus Polonorum Rex dixisse, quando inquit me sanguinis coniunctio neque modestia mea, neque ius foederum Boleslaum Ducem Bohemiae a clade meo regno inferenda potuerunt avertere, decaetero mihi usque ad internecionem persequendus est, non tanquam iustus hostis, sed ut insidiator veneficus

COMPERIENS Boleslaus CHABRI Poloniae Rex Imperatorem illustrissimum Otthonem tertium miserabili et indigna morte peremptum esse, tum omni regno suo pluribus diebus omni laetitia interdicta, in atra veste illum luxit, et inferias illi apud Gnesnensem Ecclesiam omni cultu sumptuosas et honorificas persolvit, cuius etiam anniversarium usque ad diem mortis suae quotannis solebat pia gratificatione accepti beneficij peragrare

Anno Domini

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TERCIVS

Dolorem ~~vastacionemque~~ anxietatemque mentis quam super vastatione regni sui Poloniae per Ducem Boleslaum Bohemiae factam, Boleslaus Polonorum Rex hactenus et ex bonis respectibus aeris ventus intemperiem, et caetera incommoda, remiserat, amplius differre non^{3} valens^{4} et^{1} tollere^{2} expectationem, in Bohemiam, ultum iri cupiens suas iniurias, indicit, magnasque tam equestrium quam pedestrium ad id bellum felicius gerendum copias instaurat, et cum exercitu potenti Bohemiam ingressus et singulas Bohemiae urbes resistentes, expugnat, castra vero ignobiliora oppida et colonias vastat et exurit, sperans Boleslaum Bohemiae Ducem sui Ducatus spoliatione, vastatione, et incensione motum, ad campestre posse elici certamen, Erat pro ea tempestate in Bohemia maior Vrsonicensium domus, quae caeteris generi familijs possessionibus fama et valore praestabat, Vrsonicenses autem ideo appellabantur, quod pro insigni Vrsum virginem coronatam gestantem deferebant. Huius maior et senior Barohocsan vocatus opibus et authoritate inter suos maior, familiaris Boleslao Polonorum Regi erat, liberalitatemque Regis in transacto tempore expertus, suisque multiplicibus beneficijs obligatus, omnes de armis et parentela sua ad favendum coeptis et actionibus Regis Boleslai condixit, Quem et cognatos fratresque suos Rex Boleslaus insolita liberalitate praemijs et crebris largitionibus inebriatos, in suam fidem, devotionem, et culturam magnopere incendit, illorumque fideli opera et amicitijs ~~[illegible]~~ usus, confirmandae feliciter suae expeditionis accomodos ad res bene gerendas cooperatores habuit. Ipsorum ductu et assistentia maximas Bohemorum regioni inferens continuas caedes et perniciem vastationemque calamitosam, longe lateque Bohemicum est populatus agrum.

Dum itaque Boleslaus Polonorum Rex universam Bohemiam praeter Vrsonicensium possessiones, quibus parci mandaverat, caedibus, igni, et spolijs vastavisset; Boleslaus vero Bohemiae Dux cuius potentiae resistere non valens, in castro Vuysegrad se cum filio suo Jaromir continuerat, ad ipsam Bohemorum Metropolim Pragam et Vuysegrad castrum Boleslaus Polonorum Rex copijs sui exercitus admovet, ipsamque obsidione cingens et arietibus caeterisque propugnaculis quatiens, et biennio fame affligens obtinuit magnifice et expugnatam, militibusque suis dedit in direptionem et in praedam. Pragensi autem urbe capta non multo post tempore etiam Vuysegrad strenue conquisiunt, in quo Ducem Bohemiae Boleslaum cum filio Jaromir, alter enim filius Odalricus servitijs Caesaris applicatus, absens erat, reperiens captivat, et universam Bohemiam in suam redigit obedientiam et ditionem. Praefectosque tam in Visegrado et Praga, quam in caeteris municipijs suo nomine praeficit et ordinat, sedemque suam Ducalem Pragae collocat, et universos Barones et nobiles Bohemiae, qui Pragensis civitatis et castri Visegradensis triumphali conquisitionem audita, ad se veniebant, benigne excipit tractat et donovat, qui etiam nullo cogente fidelitatis et obedientiae sibi praestabant iuramenta, cuius liberalissimam largitionem pluribus et assiduis donationibus experti, devoti et fideles in eius obedientia permanebant

REDACTO Bohemiae Ducatu Polonorum Rex Boleslaus in suam ditionem, et potestatem, in singulis civitatibus et castris suae ditionis ~~in~~ et iuris praefectos et capitaneos aut ex Polonis aut ex Bohemis quos sciebat sibi et suae parti esse magis puros atque fidos statuit et locat, et omnibus bono ordine compositis revertere in Regnum suum Poloniae reducereque victoriosum exercitum parabat. Detinebatur autem Bohemorum supplicibus precibus et obsecrabatur, quatenus moram cum illis faceret, magis diuturnam. Quod cum Rex Boleslaus nullatenus se facturum respondisset, cum et regnum suum Poloniae praesentiam suam magnopere desideraret, consultum illi a

Bohemis et praesertim ab his qui fideles illi erant Vrsowicensibus, quatinus Boleslaum Ducem Bohemiae et filium suum Jaromirum a se captos occidi disponeret, quoniam illis viuentibus Bohemiam sciret sibi quandoque recalcitraturam. Sed et alterum filium Boleslai Ducis Bohemiae Odalricum in obsequijs Imperatoris Othonis conversantem, curaret extinguere; aut in suam redigere captivitatem. Rex etsi vere illos suggerere intelligebat, facinus tamen atrox in Duce et in fratre crudele exhorrebat, Stimulatus tandem Bohemicis verbis, ducem Bohemiae Boleslaum excaecari praecepit, et oculos ei eruendos mandavit, ne quando ulla rerum conversione; reversus ille pateret ad principatum, Filium vero eius Jaromir in custodiam et captivitatem Vrsowicensibus contradidit. Eoque patrato scelere, copioso de Polonorum militum praesidio Pragae et in Vuischegrad relicto, Poloniam incolumis rediit. Verum etsi Boleslaus Bohemiae Dux hostis suus fuerit, et regnum suum prior hostili vexatione invaserit, fratri tamen amitali et propinqua cognatione iuncto, oculos eruere, et eum in visu perpetuo orbum facere, facinore non caret singularis impietatis, nisi forte intercessissent iustiores causae nobis ignotae quibus gloriosissimus ille Rex Boleslaus pertractus, facinus illud excaecationis admiserit, quod tamen non ab eo sed a genitore suo Duce Polonorum Mieczslao annales Bohemici attestantur, licet id temporum ordini non videtur congruere, patratum. Duplex malum grandem perniciem mortalibus afferens, pestis videlicet et fames invaluit, et Epidemiae morbus non Polonorum tantummodo regiones, sed universum fere orbem tam infesto languore pervaserat, ut sepelientium taedio vivi adhuc spiritum trahentes obruerentur, una simul cum mortuis et sepeliendis

ANNVS DOMINI MILLESIMUS QVARTUS

Parum autem visum est clarissimo Principi Boleslao Polonorum Regi Bohemiam habere tributariam et subiugatam, nisi illi etiam Moraviam adiecisset. Quapropter habito ex regni sui terris delectu, cum militum suorum forti et expedita manu Moraviam ingreditur, et tam civitates quam castra Moraviae quae principatum suum abnuebant, potenter invadit, circumvallat, et expugnat. Erat siquidem Boleslaus Polonorum Rex ea animi a natura insiti fretus constantia, et magnanimitate; ut nihil sibi aggrediendum assumeret, a cuius coeptis temere resiliret. Quapropter obsidionem civitatum tam in Bohemia quam in Moravia non aliter solvit, nisi aut spontanee in ditionem suam, aut viribus obsessa civitas veniret. Qua quidem constantia et animi robore subsequutus est, ut universa Moravia, aut sponte, aut armis, et potentiae suae viribus subacta, suo subijceret se imperio et ditioni. In cuius castris et civitatibus principalioribus, suos ex Polonis et aliquibus fidelioribus sibi Moravis constituens, multo tempore Bohemiam et Moraviam tenuit, feudalem, singuli enim introitus, census et reditus ad Ducalem fiscum pertinentes, ex utroque principatu Bohemiae scilicet et Moraviae Thesauro regio ad Poloniam annuis temporibus inferebantur.

Henrico per electionem ad imperium assumpto, primum institutum fuit, ut in futurum non per sanguinis successionem duceretur imperium, sed Archiepiscopi Maguntinensis, Coloniensis, Treverensis, Item Dux Bohemiae, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniae, et Marchio Brandeburgensis haberent potestatem eligendi Imperatoris. Hic Henricus vir magnae sanctitatis multa bella prospere gessit.

VT AVTEM tam Bohemiae quam Moraviae possessio Boleslao Polonorum Regi firma et diuturna esse posset, et populi regionum illarum fluxae et ambiguae fidei, resque novare soliti in fide continerentur, mittit Boleslaus Polonorum Rex ad Imperatorem Henricum primum consobrinum et affinem suum Nuntios solennes, liberalissima et magnifica dona variarum manierum transmittens per eosdem. Qui insinuent sibi felices Boleslai Polonorum Regis successus, quos in conquirendis ducatibus vicinis terris Bohemia videlicet et Moravia, et quas Regno suo Poloniae subiecit, et quantas quotve expugnaverit civitates, et quanta spolia ex devictis in regnum suum Poloniae retulerit ex ordine dem ſatiſfaciunt, et declarant, ultimo precantes et depoſcunt, quatenus Odalricum filium Boleslai Ducis Bohemiae in curia ſua imperiali commorantem ſibi tradat et remittat, ſtabilimentum maximi momenti terras Bohemiae et Moraviae per eum ſubactas, adiecturus. Caeſar autem Henricus quia intenſos et ferventiſſimo amore Boleslaum Poloniae Regem propter eius heroica opera et ingenuas virtutes diligebat, cum eſſet Bohemis plurimum iratus, et infeſtus, Odalricum Nuncijs Boleslai Poloniae Regis tradit, qui per illos in Poloniam ad Boleslaum Poloniae Regem deductus, et arctae cuſtodiae traditus, per annos plures obſervabatur. Cuius captivitate Bohemi et Moravi cognita, ſecurius Boleslao Polonorum Regi parebant, nec unquam auſi ſunt quicquam adverſi moliri, aut eius ditioni adverſari.

Gregorio quinto qui ſedit annis duobus menſibus ſex et ceſſavit Epiſcopatus diebus quindecim, obeunti; Ioannes decimus ſeptimus natione Graecus in Papatum ſucceſſit, et iuxta aliquarum Chronicarum aſſertionem intruſus eſt. Nec computatus inter ſummos Pontifices et non niſi decem menſibus ſedit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVINTVS

Floruerunt ea tempeſtate in Poloniae regno ſex viri religione et vita inſignes videlicet Benedictus, Matthaeus, Ioannes, Iſaac, Chriſtinus, et Barnabas. Boleslaus ſecundum Poloniae Rex Beati Romualdi celeberrimam famam audiens, miſit ad illum, magna rogans inſtantia, quatenus ſibi aliquos ſui Coenobij fratres in Poloniam remitteret, Polonorum gentem primicias fidei favore divino conſequutam vitae ſuae exemplo atque doctrina aedificaturos. Hanc quoque petitionem Boleslai Regis Henricus Imperator praeſentia perſonali apud virum Dei Romualdum tunc in Pereo agentem promovebat. Romualdus autem nulli ſuorum id praecipere auctoritate ſuae praelationis volens, tranſeundi in Poloniam aut in Monaſterio ſubſiſtendi in cuiuslibet arbitrio reliquit. Ignorabat ſiquidem in re huiuſmodi beneplacitum Dei propter quod voluntati fratrum illam relinquebat. Henrico tamen Rege obſecrante, rogantique duo tantummodo

tummodo ex omnibus reperti sunt qui se ultro ad eundū in Poloniam promptos obtulerunt, quorum unus Joannes, alter Benedictus vocabatur. Quibus ad se per Nuntios suos perductis Boleslaus Poloniæ Rex velut Dei Angelos magna eos humanitate excepit, atq; illis, et quatuor alijs Matthæo, Isaac, Cristino, et Barnaba genere Polonis, qui se illis coniunxerant, linguam Polonicam ab illis perdiscenti; locum, ubi nunc oppidum Cazimirz in maiori Poloniæ situm est, tunc quidem sylvis et nemoribus undiq; obsitum, pro suo incolatu consignavit, et illi pro numero habitationibus constructis in abstinentia artissima anachoriticam vitam ducentes, Rege illos sustentante, morabantur, et tam vitæ sanctimonia, quam verbo sanæ doctrinæ magnum in Poloniæ regno facientes profectum, opinionem, et re, a libris habebantur, nulla illis fuit possessio, nulla facultuncula, largitione fidelium, nihil habentes in comuni aut privato, alebantur, vestis grossa et hispida, cibus vilis et inconditus, qui duntaxat famem excluderet, per singulos dies orationibus devotis et ieiunijs intenti, carnem non solum macerabant inedia, sed insuper verbere multo, ceterisq; afflictationibus atterebant, et spiritui servire cogebant. Ad hos non solum viri Ecclesiastici et sæculares, vulgusq; promiscuum accedebat, sed et ipse excellentissimus omniū virorum Princeps Boleslaus Polonorū Rex illorum domicilia et heremitoria frequentabat, maximaq; ex illorum conversatione, vita, merito, et doctrina, Polonos ædificatio habebat. Supernus et largifluus remunerator Deus illorū volens præmiare labores, martirij palmam et lauream quam quæsiverant illos donavit adipisci. Boleslaus siquidem Polonorum Rex devotioni suæ morem gerens, cum comitatu regio ad viros Dei venit, et aliquanto tempore in Heremitorijs eorum pausans, expletis observationibus suis, discessurus, viris Dei pro levanda eorum inopia et necessitate massam notabilem auri, spectante et vidente comitatu suo obtulit, et donavit. Quam etsi viri Dei se aliquatenus non

indigere

indigeri denunciassent, Regemq; ut illam exciperet, et
alijs applicari usibus precarentur. Boleslaus tamen Rex
aurum semel Deo oblatum humanis applicari usibus in
eptum et prohibitum esse respondens, auro relicto, commendans
se, et Rempublicam Regni sui Poloniae virorum Sanctorum
orationibus discedebat. Insolitam autem auri possessionem
viri Sancti abhorrentes, vehementer conceperunt turbatio
nem et dolorem, turpe sibi odibileq; Deo existimantes,
qui mundum et omnia eius delectabilia in aetate viridi
relinquerent, cuiusq; concupiscentias in eam usq; diem
calcatas proculcarant, auri portione in senio et tempore
decrepito inquinari. Quo pacto inquiunt tanto subsarci
nati auro poterimus pauperem Christum sequi, et sub
eleemosinae praetextu illius occupabimur usu, nobis qui
dem in damnationem, caeteris in perniciosum scandalum
et ruinam

Consultatione itaq; super his quid facto expediens fo
ret habita, placuit tam Benedicto qui senior fuit inter
eos habebatur, quam residuis fratribus, quam celeri
ter, et nulla mora interposita, ad regem Boleslau Polo
niae illud referri, et sibi illud quamprimum praesentari,
Decreto itaq; caeterorum Barnaba velut ordine et
aetate minori, qui exterioris solitus erat tractare cau
sas, onus illud imponunt, qui fratrum parendo ius
sioni, sumpta auri massa coepit ad regiam properare,
aurum Polonorum Regi Boleslao redditurus. Eo autem
nec dum medium itineris emenso, nocte exactum suum
ab Heremitico loco subsequente, nonnulli ex Polonis
filij Belial ardore auri, quod per Regem fratribus
illis oblatum viderant, capti, adscitis sibi alijs in He
remum clandestinum sub intempesta noctis tempore per
veniunt, aurum per Regem praebitum recepturi. Ha
bita itaq; furiosa exagitati velut furentes habitacula
servorum Dei ante mediam noctem pridie Idus Novembris
irrumpunt, et massam auri per Regem Boleslaum
postridie oblatam sibi dari viros Dei in cantu et psal
modia

modica occupatos instanter praecipiunt, diram mortem ni reddatur, unicuique ex servis Dei interminantur. Nec verbis contenti, sollicita curiositateque indagine omnes angulos et loca habitationum servorum Dei rimantur et perquirunt. His cum a servis Dei responsum fidele et verax crebro certum fuisset, auro eos non indigentes, aurum regi remisisse, eo maiori furia insaniaque concitati, existimantes servos Dei falsa responsione et excusatione uti, et aurum illos in sabulo abdidisse, in viros Dei iam non probris aut contumeliis sed ipsis verberibus desaeviunt, et unumquemque comprehensos, et variis ligamine constricto illos abinvicem segregant, et per tormenta varia cuilibet singillatim vario genere cruciatus adhibito, eruere se posse credunt auri celati confessionem. Tantam autem Dominus praestitit sanctis suis patientiae constantiam, atque virtutem, ut omnes uno semper ore, et conformi responsione profiterentur, aurum eis praestitum Regi integrum remisisse, neque illatis poenis aut inferendis posse adduci, ut in offensam Dei, scienter mendacii reatu se pollverent. Testis inquiunt nobis est Deus non eo respectu nos negare, ne aurum nobis quod numquam exegimus remaneat, sed ideo ne falsa et mendax confessio, credulitate vos, mendacii reatu nos inficiat. Latrones impii in unum illos existimantes conspirasse responsum, fortioribus tormentationibus in viros Dei tamdiu debacchati sunt, quousque inter ipsos cruciatus vario modo verberibus et flammis torti deficientes, spiritus suos Christo reddiderunt, catervis Angelicis in aulas caelestes et in trophaea Martyrum pro Christo passorum ab aevo praeparata, inferendas. Thesaurum posthac accurate perquirunt, et cuncta quae illa virorum Dei habebant, evertunt, sed postquam nullus labori et facinori responderit profectus, ad obtegendum tanti reatus crimen utque humana praesumptio non malignitati, sed casuali flammae id gestum existimaret, habitationes

Sanctorum Dei incendere et ipsa pariter martyrum cadauera conati sunt conflagrare, sed admoti ignes perditis naturæ viribus nec cellis neq corporibus aliquem poterant inferre detrimentum, ita enim suppositos ignis parietum quamuis lignorum materies repellebat, iuxta ac si silices durissimi haberentur, quo miraculo latrones exterriti in fugam conuertuntur

DUODECIM FILIIS quorum quatuor videlicet Visoslaum, Issoslaum, Swantopelk, et Jaroslaum ex prima uxore, et octo videlicet Wssewoldũ, Swantoslaum, Msczislaum, Barzysch, Hlib, Stanislaum, Possuind, et Sudislaum, quos ex Anna sorore germana Basilij et Constantini Imperatoris Græciæ, et Bulgariæ et Bohemia et alijs susceperat Vuladimirus Russiæ Dux abunde beatus et felix, dum annis aliquot Russiæ terras tam castris quam oppidis et villis augimentis auxisset, veritus ne se obeunte inter filios dira certamina super Russiæ principatibus consurgant, filijs regnum diuisit, et Vuisoslao quidem natu maiori dat Nowogrod, Isoslao Polotzko, Swantopelkoni Thurow, Jaroslao Rostow, sed Vuisoslao fatis rapto, Jaroslao Nowogrod. Borzysch Rostow. Hlib Moromye Swantoslao Drewiany, Wssewoldo Vulodimiriam Msczislao Tmutarkany. Cæteris vero filijs tribus natu minoribus Stanislao, Possuind, et Sudislao Kyouien̄ et Berestow principatus, non nisi morte sua in eos deuoluendos reseruat. Verum Jaroslaus cui Rostow obuenerat, vnus ex filijs molestè ferens sese a Kyouiensi principatu quem ambierat sequestratum esse, venit in dolo cum gentibus suis et alijs pretio conductis contra Kyow, et creditus in pace venisse, castrum Kyouien̄ occupat, et thesauros paternos in suam redigit potestatem, ditionem. Quod pater Vladimirus acerbissime ferens copias ex omnibus principatibus quos inter filios diuiserat, contrahit, cum Ja roslao filio pugnaturus. Quo Jaroslaus comperto, mittit et conducit Pyeczoniagos, et Vuaray patri resistentiam facturus. Interim Vuladimirus Dux et pater ex dolore propter filii Jaroslai rebellionem et hostilitatem, provenienti gravi languore correptus, filium Borzesch exercitui praeficiens, contra Jaroslaum mittit, ipse morbo invalescente paucis post in castro Berestowu moritur, et in Kyow adductus in Ecclesia Beatae Virginis, quam ipse vivens aedificaverat, sub marmoreo lapide sepelitur. Confluxit autem ad honestandas funeras suas magna Ruthenorum multitudo, quae in sepultura sua planctum magnum edens vociferabatur se patrem et liberatorem patriae et fidei Christianae in Russia plantatorem immature perdidisse. Ignari patrem suum Ducem Wladimirum biduo filii Borzysch et Swantopelk, e vita excessisse, certamen cum Jaroslao et gente sua ineunt, et victus Jaroslaus cum Pyeczenyadzes et Vuarays ad interiora sua fugit, Swantopellus vero occupat Kyowiam et rapit principatum, altero fratre Boris paternae mortis luctu invacante. Et licet Dux praefatus Borzysch magna militum stipatus Swantopelko fratre pulso principatum Kyowiensem ipse possideret urgeretur, militum tamen instantias abnuens, respondit Swantopellkonem fratrem patre absumpto patris se cultorem loco, nec quicquam adversi illi se unquam molliturum. Verum Swantopellus disparem gratiam Borzysch fratris referens, subornat Novogrodenses viros Belcat qui Borzysch Ducem in cubili suo orantem lanceis transfodiunt, sed et armigerum eius Georgium Ungarum natione, dominum suum protegentem secum una necant. Mittit deinde Swantopellus ad alterum fratrem Hleb in dolo invitans eum ad se, sed a fratre Jaroslao nuper consulto avisatus ad occisionem se vocari, presso gradu subsistit, et magno eiulatu et patris morti

et fratris necem plangit. Veniunt tandem alij
viri a Swantopelkone missi. et Hleb Ducem absciso
capite interficiunt. Corpora autem tam Borzisii quam
Hleb in Kyow deducta in Ecclesia S. Basilij in uno
sepulchro tumulantur. Colit hos duos fratres Ruthenica
ca Ecclesia, Ruthenicusque populus pro martyribus et
sanctis, asserens illos nonnullis coruscare miraculis
Swantopelkus vero Dux parricidio duorum fratrum
insignitus, in magnam erigitur superbiam, aestimans
se et ceteros fratres facile deleturum, et universum
Russiae principatum occupaturum, principalium autem
virorum, qui Duces Borzysz et Hlebo occiderunt, haec
sunt nomina, Putsza, Talyecz, Jelowcz et Lyaszko.
Martialis Ploczensis Ecclesiae Episcopus cum annis
duobus et viginti in Ploczensi Ecclesia sedisset, diem
obiens in Ploczensi quoque Ecclesia sepelitur, Martinum
primum ad petitionem Boleslai Poloniae Regis per se
mediatum septimum praesulem habuit successorem, virum
conspicuae nobilitatis, natione Romanum

CELERRIMA denunciatione Sanctorum Dei
Martyrum Benedicti, Matthei, Joannis, Isaac, et
Christini occisione ad Boleslaum Regem Poloniae, qui tunc
in Regia sua Gnesna agebat, in crastinum perlata,
ea enim providentia eoque ordine Boleslaus Rex re-
gnum suum stabiliverat ordinaveratque et singuli
casus, singulae contingentiae et novitates, propinqua
et remota, civiles et forinseca ad eum, nocte non par
cendo, perferrentur notorium, plurimum etiam de viris
Dei quorum intercessione et merito regnum suum dirigi
feliciter et prosperari credebat, de crudeli nece ingemi
scens, mox cum omnibus militibus et familiaribus suis,
equos quam ocius potest, conscendit, et peditum numero
ex vicinis viciniis, in magna copia accersito, nemus in quo
Sancti Dei habebant domicilia, in girum et ab omni par
te corona circuidat, et constringit, intelligens latrones

post scelus in Sanctos Dei perpetratum, in nemore illo, quod tunc ad millia aliquot tendebatur, ad latitandum locum delegisse. Obsesso autem nemore equitibus et pedestribus frequentibus ad perscrutandum absconsos mittit, sollicito studio per circuitum, ne quoquomodo effugerent cautela adhibita. Verum etsi loci vastitas, inluviesque et praecelsissima proceritas difficilem malefactorum comprehensionem pollicebatur, tantam tamen Rex curam pro eorum inventione intenderat, ut scrutatores cuncti inseparabilibus iuncti incedentes uno passu nihil inscrutatum relinquerent et facili ad eorum cubilia pervenirent. tota siquidem nocte per frutecta nemorum, per latitudinem saltuum, per opaca sylvarum viam qua evaderent anxiati inquirebant, quam tamen nullatenus valuerunt errabundis vestigiis reperire; sed neque mucrones in necem martyrum exerti biardijs antefactis poterant recondi in vaginas. Locus autem in quo Sanctorum corpora iacebant, copioso lumine visus est splendescere, modulatioque angelici cantus suavitas tota nocte illa in testimonium sanctitatis servorum Dei non desiit resonare. Quibus conspicientibus neque enim facinoris conscij repugnare ausi manus dare militibus coacti sunt. Boleslaus rex maerorem super necem Sanctorum ingestum temperavit. Angebatur autem facinore inaudito, quod si aliquo casu non vindicatum publica ultione transisset, indignationem divinam et obtrectationem Incommodi sibi et regno suo eventurā formidabat. Quali autem poena illos mulctaret non satis poterat providere. Hoc tandem postremo decrevit ut nequaquam eos sicut merebantur variis tormentis excruciatos extinguerent, sed ferreis catenis vinctos ad sepulchra Martyrum destinaret quatenus illic vinculis constricti, fame et inedia miserabili perirent. Aut si propitia divinitate et sanctis martyribus aliter videretur ipsi eos sua misericordia liberarent. Qui cum ex praecepto

Regis ad Sanctorum tumulum fuissent perducti, mox ineffabili divinitatis potentia, nexibus vinculorum contractis absoluti sunt. Sanctorum autem Dei corpora quo amplior illis honos fieret, in Ecclesiam Metropolitanam Gnesnensem transferri, et omnia quinque in una tumba ad id specialiter adornata, recondi disposuit. Barnabas fratres et socios suos audiens peremptos inaestimabili maerore angustiabatur fletibusque multis infelicitatem suam lugebat, quod cum viris Dei societatem martirij non meruerat. Itaque sortem moerens suam, ad Heremitorium suum plenus dolore remeabat, quo cum pervenisset et fratres suos varijs affectos tormentis vidisset, tunc quidem ampliori vexabatur cruciabaturque luctu, quod et se solum relictum et desolatum, et illos palmam laureolamque videbat iam assecutos triumphalem, divino tamen iudicio et illius benignitati se et omnia committens aiebat absque tuo siquidem nutu domine neque aliter orare, neque folium ex stipite in terram defluere certum habeo, quanto magis et hanc orbationem fratrum meorum a qua me velut immeritum sequestrasti nullatenus arguisse; supplex tamen obsecro, ut me a tuo et Sanctorum tuorum consortio non sequestres. Post haec in cella de novo constructa abstinentijs et orationibus certis intentus vitam in operibus bonis finiens iussu et ordinatione Regis Boleslai fratribus et socijs suis associatus est. Extant nunc quinque Ecclesiae in cuiuslibet cella et oratorio in venerationem et memoriam singulorum, devotione fidelium aedificatae, quem quisque Sanctorum locum pro oratorio et cella in vita habuerat protestantes

Excedente de vita Joanne decimo septimo quoniam tantummodo mensibus decem Ecclesiae Romanae praefuit Gilbertus natione Gallicus et qui Silvester secundus appellatus est in summum promovetur Pontificem.

Szmogorzouiensis Ecclesiae seu Wratislaviensis Pontifex Urbanus, vita eo anno excessit, et Boleslao primo Regi supplicante a clero Wratislaviensi electus Clemens primus
Italus

Italus genere et nobilis, a Benedicto septimo confirmatus, et Urbanus Episcopus in villa Smogorzow sepelitur, aut ut aliquibus placet in villa Ryczow.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEXTVS.

Nepos ex sorore germana Adleyda Mieczslai olim Polonorum Ducis, et frater amitalis Boleslai Regis Rex Stephanus in Ungaria principabatur, vir miræ in Dominum devotionis et religionis, cuius quoque sanctitas multis et evidentibus prodigiis atque operibus illustrata. Hic cum ex consorte legittima Gisella, Henrici primi Imperatoris sorore germana, filium procreasset, Emerico illi nomen dedit, quo ad virilem ætatem traducto, uxorem illi, ne successio sui sanguinis absumeretur, coniunxit. Sed is miro in dominum amore succensus, non audens patrinis calcitrare imperiis, uxorem quidem suscepit, sed cælibem virgineamque vitam, et corpus ab omni carnali et libidinosa corruptela purum servare decrevit, unde uxorem suam pro sorore ducens, et nunquam illam attractatione maritali contingens, non solum in virginitate ipse permansit sed et consortem suam virginitatem custodire usque in diem mortis obtinuit, et mirum dictu duo ingenua corpora delitias divitiasque mundanas et omnia quæ prima mortalis ducunt fallentia, difficillimo religionis genere, nihil a martyrio distanti cælum stupeas rapuisse. Vir igitur Dei Emericus ad patruum et cognatum suum Boleslaum Poloniæ Regem diserta viagia, solitus erat crebris vicibus frequentare, et plura tempora in Polonia absumere, ut a visione, communioneque parentum et uxoris sequestratus, facilius suggestiones diabolicas et carnis stimulos extingueret, et devotioni suæ operam daret. Boleslaus autem Poloniæ Rex singulari Ducem Emericum nepotem suum prosequebatur charitate, et amore, cum non solum mixtus sanguinis sed et ipsa virtutum clara probitas, faciebat illum tam Regi quam suis militibus amabilem et gratiosum. Quodam itaque tempore Boleslao venationibus in silvis circa oppidum Belsz sitis insistenti, et secum Ducem Emericum in so

cietati

civitati habenti, contingit illos in iugum Alpium quae Calvariae vocantur, et quibus Poloniae regnum altiores non habet, cervum fugando devenire, ubi cervo omisso ruinas veterum habitationum quae et diluvio universali et temporis antiquitati in saxorum molem, qualem et hodie cernimus, defluxerant, coeperunt mirari, locum enim illum ferunt quondam habitationem et arcem gigantum seu Cyclopum et virorum fortium fuisse, et illic incolatum suum aliquanto tempore tenuisse. Vir itaque Dei Emericus spiritu divino instinctus, et ut aliquorum habent credulitas et assertio, visione noctis praecedentis ductus, ~~admonitioni~~ amoenitati, ~~longi~~ loci singularitati et vetustati delectatus, convenientissimum illum pro servis Dei solitariam vitam professis astruit, et indignum ut sine hominum incolatu libeat putescere; rogat deinde patruum et affinem suum Boleslaum Poloniae Regem, quatenus pro Dei honore, et fidei sanctae augmento, animarumque remedio et saluti coenobium illic monachorum, et monasterium erigat et constituat, stabilius filiisque regnum post illum a terreno solio contingerent in caelestibus pro huiusmodi sancto opere habiturus. Cumque ad id Boleslaus Poloniae Rex facilem et voluntarium liberali et regio animo praebuisset consensum, Dux Emericus suae se petitioni et desiderio videns potitum, in magnam exultationem erupit, et primum Deo deinde Boleslao Regi gratias agens, mox crucem bifurcatam portionem notabilem dominici ligni continentem modico argento obductam, parenti suo Stephano Ungarorum Regi a Graecorum Caesare ex Constantinopoli pro magno munere transmissam, quam vir Dei Emericus in pectore ex patris largitione gestare consueverat, eximit, illique loco, etenim in visione monitus facturus fuisse, donat. Hoc inquit pretiosissimum lignum Salvatoris nostri cruore conspersum, et quo charius nihil habeo, sed mecum habiturus, huic loco dono, propterea divinitati voluntate sua omnibus in ea assistentibus, pressuris, angustiis, et aegritudinibus constitutis plurima beneficia largiturum. Boleslaus itaque Poloniae Rex sponsioni suae satisfaciens, anno eodem monasterium ordinis Sancti Benedicti illic erigit et regali munificentia dotem illi congruam et sufficientem consignat, fratres Deo sub habitu et regula Sancti Benedicti militaturos induxit, Ecclesiamque sub honore et titulo Sanctae Crucis a fundamentis inchoans. Gravium mox ex lapidibus vestivit, et consummat, locans et recondens lignum preciosissimum dominicum per Beatum virum Emericum largitum in eadem, cuius conditio et qualitas in hanc diem perdurans longaevam eius testatur annositatem

Laurentius qui et alio nomine Radzim germanus frater Adalberti Archiepiscopus Gnesnensis cum annos septem in vita sanctimonia in pontificatu Gnesnensi exegisset, apud Gnesnam moritur et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur. Fertur hic moribundus in Gnesnensem civitatem ob multitudinem immanium scelerum quibus se coinquinaverant, nec eo momento poenitere voluerant, anathema protulisse, nec cassum transijt, quod vir Dei praedixerat/ A Bretislao secundum Bohemiae Duce et suo exercitu, ut in sequentibus narrabimus, Cazimiro Poloniae Rege in Almania exulante, invasa, calamitatem et cladem ingentem pertulit, et nobilissima sua Clenodia, opesque plurimas quibus ad invidiam usque abundaverat amisit. Hunc Hippolitus genere Italus successit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEPTIMVS

Captivitati calamitatique Odalrici filij Boleslai Bohemiae Ducis, quem aliquanto iam tempore in Polonia pertulerat, Boleslaus Poloniae Rex pia miseratione compassus, tum quod illi sanguinis et affinitatis propinqua iunctus esset, tum quod pluribus sponsionibus de fide et devotione atque obsequio Boleslai Regis se nunquam discessurum lacrimis et iurando interpositis asseverabat, a captivitate solvit, et equis, famulatoribus, vestimentisque et plurima regali supellectili exornatum, vestitumque in Bohemiam remittit. Qui ex carceribus beneficio Boleslai Regis Poloniae in libertatem vindicatus, omnium quae Boleslao Regi Poloniae spoponderat et beneficij quod illi praestiterat, oblitus, Bohemiam reversus et praesidia quae a Polonis tenebantur exturbat, et plerosque Barones Regi Boleslao Poloniae fidem temerare nolentes et singulariter Vysogradenses quorum genus Boleslao Poloniae Regi fide sincera adhaesisse noscebat, perimit, bonorum ablatione multat et proscribit

scribit, adeoque in Polonia Regem et suos saevire coepit et lacrimas quas in conspectu Regis profuderat gaudio videntur processisse. Nec his contentus suspectam habens Germani fratris Jaromiri sobrietatem, nimio principandi flagrans desiderio, fratrem eundem Jaromir captivat, captumque inhumaniter et nullo praecedente excessu aut demerito, qui firma Ducatus Bohemiae in eum solum recideret successio, utroque oculo excaecat et privat, crudelitatis suae monimenta in fratrem germanum et innoxium deprompta praesenti et futurae aetati non sine suo et suae posteritatis dedecore relinquens.

Fames et pestis atque lues miserabilis non in Regno tantummodo Poloniae sed pene per universum orbem fuit, quarum clades multos mortales absumens, multas urbes et colonias desertavit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS OCTAVVS.

Forte frequentique exercitu ex Ruthenis et Vuarraijs Jaroslaus Russiae Dux comparato contra Swantopolkonem fratrem hostiliter procedit, duorum germanorum communium videlicet Hleb et Borzyslai indignam et a se perpetratam mortem ulturus, cui cum Ruthenis et Pieczyngiis Swantopelkus circa castrum Lubyecz et flumen Dnyepr occurrit, et flumine Dnyepr utrumque exercitum dividente, trimestri spatio statiua, illic uno alterum propter mediantes undas invadere non audenti, habita sunt. Jaroslaus tandem flumine Dnyepr cum omni suo exercitu superato, Swantopelkonem et exercitum eius inter duos lacus consistentem subito et insperati invadit. Exercitus autem Swantopelkonis hostium armatorum et expeditorum inermis ipse adventu perculsus in lacus frigore hyemali congelatos ex tabernaculis diffugit, ubi glacie fragili violata plurimo numero sorbentur ab undis. Reliqui a Jaroslao et exercitu eius aut trucidantur aut captivantur. Swantopelkus vero vix manus hostiles evadens, praecipiti cursu in

Poloniam effugit et ad Boleslaum Polonorum Regem se conferens supplex fieri sibi contra fratrem Jaroslaum solatium, plurima offerens, maiora pollicens, expetijt. Capit autem Jaroslaus Russiae Dux Swantopelkum et exercitum eius conflictu, castrum Kyow, tradentibus sibi illud Kyowiensibus, et sedet in principatu Kyowiensi. habens annum vigesimum octavum

Praecipuis bellatoribus et militibus ex Poloniae regno Polonorum Rex in grandem exercitum coactis, praefectisque qui ordines ducerent, et millenarijs, centurionibus, quinquagenarijs, et Decanis, caeterisque qui agminibus praeessent, legitimo iure ordinatis, Sitegio vero Cracoviensi Palatino principe militiae constituto, terram Russiae, Swantopelkum Ducem expulsum restituturus, potenti brachio ingreditur. plures factiones, praedas, spolia, et iniurias, quibus regnum Poloniae Rutheni crebrius vexabant vindicaturus. Agmen autem universi exercitus Boleslai Regis et praefectorum praecipua cura, adeo instructum regulatumque erat, ut et stare, et sequi, et in ordines coire, et quicquid possent necessitas agere promptum esset. Russiam itaque Boleslaus Poloniae Rex ingressus, universas eorum civitates et oppida sine resistentia aliqua capit, et conquirit, neque enim pro ea tempestate aliquae civitates munitae habebantur, rarusque murorum usus apud Ruthenos erat, sed etsi civitates aliquae principales frequentiam habebant domorum et civium. hae tamen solo naturae situ aut lignorum struibus pro muris et marijs adiectis erant debiliter stabilitae. Omnes itaque civitates Russiae Boleslaus Poloniae Rex comprehendisset, et militibus tribunis in praedam arcis dimittebat inconquisitas, videns illas pro sui conquisitione non modicum temporis cuius apud eum erat magna charitas et aestimatio absumpturas. Celerrimo igitur cursu Russiam spolijs et incendijs nullo resistente conficiens ad Ruthenorum terram Wolhiniensem quae Luczky nunc appellatur pervenit. Postquam autem Duci Russiae Jaroslao, qui tunc voluptati et socordijs deditus hamo pisces in flumine Dniepr quorum flumen ipsi magnam edit abundantiam piscaretur, adventus Boleslai Polonorum Regis citus et velox denunciatus fuisset, tunc quidem subito pavore perculsus, hamo quem manu gestaverat in terram proiecto, nihil inquit ho hamo piscibus opus est, neque ut pisces comprehendamus, sed qualiter hosti occurramus, curandum, ut hostis insulti et potentis effusionem sanguinis nostri sitientis hamo innoliamus

Congregatis itaque multiplicibus ex Ruthenis, Varaegis et Pieczyngalis copijs Boleslao Polonorum Regi ad flumen Bug occurrit, transitum illius si posset prohibiturus firmius, devitaturus. Assumptis itaque ad ripas fluminis Bug ab utroque exercitu diebus aliquot, fiebant inter exercitus excursiones, et certamina mutua praeludia. Tandem ad universa linguarum aspersione premunt glebis et improperijs atque eo disceptationem ex parvo et fit momento excanduisse, ut iam a multis per saxa vadosa et sublicis res aggressa, sedari nequiret. Erat Jaroslao Russiae Duci suus Almusnus nomine Budy, plurimum charus, et omnium consiliorum et negotiorum Jaroslai consultor, moderator, et director, qui in alta ripa consistens multis improperijs Boleslaum Polonorum Regem et suum exercitum insultabat, nunc ventriosum, nunc crassum Boleslaum Polonorum Regem appellans, asserens se illius crassum ventrem, si in aciem prodire auderet, confossurum. Quibus contumelijs Boleslaus Polonorum Rex provocatus, concione advocata militum prudenti usus oratione ne suam et Regis sui ignominiamque aequo animo tolerent, sed armis expeditis illico in praelium prodeant. Universo itaque exercitu velocissime armato Boleslaus Polonorum Rex, primus Bug flumen insilit, quo superato Ruthenos trepidantes, et suos in arma vocantes invadit. Mox cum hinc inde acerrimum est certamen, adeo ut in omnem fortunae experientiam veniretur, et quamvis aliquamdiu fortiter fuisset hinc inde pugnatum, ad extremum tamen Jaroslaus Russiae Dux cum universis suis copijs contritus et conflictus est, et cum quatuor tantummodo comitibus in Kyoviam effugit. Ingens caedes tunc a iusta ira edita est, sed et multi ex Ruthenis, Pieczyngalis, et Varaegis capti.

Castris etiam hostilibus magnae opulentiae spoliatis potitus, Jaroslaus Dux in kijovia consistere ubi a suis proderetur non ausus, in paludinosa loca divertit, futurum, ut erat, ratus, Boleslaum Polonorum Regem se persequuturum, et locum quo se reponeret obsessurum.

Ab exploratoribus autem et fugitivis Boleslaus Poloniae Rex Jaroslaum Russiae Ducem ex ipsa principatus sui arce kijovia doctus diffugisse, tanto velocius ad kijoviam promovit exercitum et aliquot stationibus illic applicans urbem ad vada fluminis famosi Nieper sitam, situ et populo diffusam et amplissimam, eaque tempestate famosam, cuius magnitudini, opulentiaeque, etiam nunc ruinae et trecentarum vel citra Ecclesiarum semidiruti muri protestantur, undique cingit, et tam terrestri, quam navali loco, eam obsidione arctat, providens omni studio, et cautela, ne quid ad illam posset importari, sciens tantae multitudini quae illic erat inclusa, et quae ex pluribus Russiae oris se illic tutam consistere putans diffugerat, alimenta propediem deesse. Impugnationem itaque urbis, licet subinde quibusdam infestationibus ostenderet, magis quam exiguis, finalem vero acquisitionem, in aliquantum tempus differebat, sperans se illam vel sola fame absque periculo et interitu militum confecturum. Nec eum opinio fefellit. Pluribus enim in urbe obsessa vel fame extinctis, vel inedia maceratis, traditur Boleslao Polonorum Regi civitas, quam in splendore armorum, eques, et ense nudato, cum expeditis militibus aliquot agminibus cum praecedentibus et subsequentibus ingressurus, in portam, per quam primum intrabat, et quae aurea ab incolis vocabatur, in forti brachio mucronem vibrans impegit, et illam in sui medio dividens et perscindens, signum triumphale suae captionis et victoriae illic reliquit. Hac demum ad arcem Ducalem divertens, eam comprehendit, et universam suppellectilem et thesauros Ducales adeptus, militibus pleraque in solarium dedit, et Swantopelkonem Ducem Russiae in sedem kijoviensem, e qua pulsus erat, restituit. Praestantioribus autem militibus circa se Boleslaus Polonorum Rex relictis, caeteram omnem multitudinem, iam enim hyems appetebat, in Severia distribuit. Swantopelkone Duci Russiae // Polonorum militibus affatim providente et de commeatu, et de vestitu. Cognoscens autem Jaroslaus Russiae Dux sia. Dux Polonorum exercitum ex Kyow in hiberna deductum esse, et Boleslaum Polonorum Regem cum paucis in Kyow remansisse, congesto exercitu clandestine versus Kyow transit, Boleslaum Poloniae Regem quacunque arte aut ingenio occupaturus. Boleslaus autem Polonorum Rex denunciato sibi Jaroslai et hostium adventu armis correptis equum cito ascendit militesque se sequi et in ordines ire iubet, ordinatoque exercitu flumineque Dniestr superato, Jaroslaum et suos exercitus eius in altera parte fluminis agentium statiua inuadit, fitque acerrima pugna et vincitur Jaroslaus a Boleslao Polonorum Rege, et omnis militia Jaroslai aut tunc cecidit, aut in potestatem Boleslai Poloniae Regis viva venit. Jaroslaus cum paucis equos mutando in Nowogrod fugiens peruenit, ubi ex nimio pauore et dolore consternatus, non audens consistere, Boleslaum enim Polonorum Regem ad se expugnandum illuc vocabatur venturum, ultra mare fugere disponebat, quem Nowgrodenses non solum retinent, sed fauentinae dubium rebus fouent et spe altiori reficiunt, et ut nouos ac recens exercitus contra Boleslaum Polonorum Regem instaurari possit, ut quilibet agrestis quatuor marcures, nobilis quinquaginta marcas, Capitaneus decem marcas solvere debeat decernunt certatimque magna pecunia congesta Varasos in sui solatium conducunt, Boleslao Polonorum Regi nouum bellum illaturi, totus tamen ille apparatus bellicus Jaroslai ex pauore recentis cladis in auras evanuit. Boleslaus deinde Polonorum Rex Herculem illum fortissimum qui in finibus Hesperiae tres turres fabricauerat expressurus tres et ipse in flumine Dnyepr in eo loco ubi fluuius Szula immittit se fluuio Dnyepr ex solido ferro columnas, quae et in eandem diem permanere asseruntur, progenibus perpetuis locat, qui in flumine Szlawa in Occidente tres posita locarunt triumphales suas victorias et Polonorum terminos apud posteros testaturus

Sedet autem Boleslaus Polonorum Rex in Kyow multo tempore, et parebant Ruthenorum nobiles, proceres, et universa Ruthenica gens eius imperio atque ditioni. Verum Swentopelkus Russiae Dux vir parum sensatus, Boleslai Polonorum Regis diuturnam moram molestè ferens aliquos Polonorum milites in hybernis commorantes clam aut ipse interficit, aut interfici a suis disponit, quam

iniuria

iuria Boleslaus Polonorum Rex iuste permotus, militibus suis et universo Polonorum exercitu ex hybernis revocato, civitatem Kyoviensem Swantopelkone diffugienti dat militibus in praedam. Castra quoque Russiae in suam redigens ditionem rapinis non prius temperavit, donec omnis Ruthenorum Kyoviensiumque fortunae felicitas diuturna cumulata per Polonos fuisset egesta. Ex eo autem tempore Kyovia etsi per varios principes reparata sit, urbis quoque Ducalis dignitatem obtinuerat, acceptae tamen tunc ruinae posteris signa praefert. Duas deinde sorores Swentopelkonis et Jaroslai Ducum Russiae, videlicet Przedslawam et Msczislawam, item Boiaros et Proceres Russiae magis, insignes captivat, et vinctos ut obsidum essent loco, onustus Ruthenorum spoliis pluribusque ordinis captivorum ex Ruthenis secum ducens, in Poloniam, pluribus castris Russiae, forti militum Polonorum praesidio imposito, locatis, remeabat, praeficiens thesauris suis Anastasium Ruthenum, qui se illi non dolo, gratum et fidelem insinuaverat, in Thesaurarium et Senatorem.

Sylwester Papa Secundus cum annis quatuor, mense uno, diebus octo sedisset, rebus eximitur humanis, qui primum iuvenis Floriacensis Coenobij in Aurelianensi Dioecesi monachus fuit, sed relicto monasterio, Diabolo se promittenti, ut sibi cuncta ad votum fluerent, Homagium fecit. Cum Daemone autem super suis desiderijs frequenter colloquens, in tantum apud Hispalim civitatem Hispaniae studendo profecit, ut maximus in doctrina habitus, Otthonem Imperatorem, et Robertum Regem Franciae pluresque alios haberet auditores. Ambitionis deinde suae Daemone impellente, primum in Remensem, deinde in Ravennatem, postremo in Romanum pontificem promovetur. Dum autem a Daemone quaereret, quanto tempore viveret in papatu, et responsum accepisset, quamdiu non celebraret in Hierusalem, supra modum gavisus est, sperans se longe esse a fine, sicut longe fuit a peregrinationis in Hierusalem ultramarinae voluntate. Et cum in Quadragesima ad Ecclesiam Sanctae Crucis in Hierusalem in Laterano celebraret, ex strepitu Daemonum sensit sibi mortem adesse, suspirans ingemuit, et licet sceleratissimus esset, de misericordia Dei non desperans, confitens coram omnibus scelus suum, membra omnia quibus Diabolo servierat, iussit praecidi, et truncum exanimem super bigam poni, et ubicunque animalia perducerent et sisterent illic sepeliretur, quod et factum est, sepultusque est in Ecclesia Lateranensi, et in signum misericordiae consequutae, sepulchrum eius tam ex tumultu ossium, quam ex sudore praesagium est Papae morituri. Ioannes Decimus octavus illi successit natione Thuscus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS NONVS

Ex Russia Boleslao Polonorum Rege cum gravibus et ingentibus spolijs in Poloniam remeanti, Iaroslaus Ruthenorum Dux, quem armis et virtute superare desperaverat, astu et dolis circumvenire certabat. Notabili enim ex Ruthenis, Plaucis, Pieczyngis et Vuarahis caeterisque nationibus exercitu collecto, egressum Boleslai Regis cautissime observabat, suasque et sui exercitus egredientes pedetentim et latenter insequebatur vestigia. In finibus terrarum exercitum Boleslai in diversas oras distractum irruptionem facturus arbitrabatur, siquidem Polonos more conditionis humanae, quod et auro argento caeterisque spolijs quam maxime ditati et subfarcinati erant, et coniuges, liberos, caeteraque pignora, longo tempore non viderant, celeri passu domos petituros, et Regem cum paucis relicturos. Callidus autem satis suo ingenio et iam eventus ad spem respondit. Boleslaus enim Poloniae Rex victorem se, Iaroslaum vero Ruthenorum Ducem, qui sub tanto tempore ignaviter se in latibulis absconderat, pro victo reputans, ad flumen Bug perveniens exercitum ut sua quisque loca peteret, licentiavit. Iamque amplissima pars sui exercitus defluxerat, cum Iaroslaus Ruthenorum Princeps a speculatoribus cum numeroso et copioso exercitu ~~nunci~~atur adesse. Ille enim Boleslaum Regem consequutus erat doctus a suis exploratoribus exercitum Boleslai defluxisse, et defluxurum amplius fore. Boleslaus autem Polonorum Rex ut erat vir animositatis et fortitudinis insignis et rarae, nihil hostium adventu perculsus, plerosque milites qui parum recessus confecerant, revocat, et cum hostibus quantarumcunque potentia praeditis, decernere statuit, urgebatur enim Ruthenorum impetuosa invasione, fugam autem turpem sibi turpem exercitui suo magis quam mortem execrabatur.

intelligens Ruthenos fuga sua animatos intra regna Regni sui penetraturos, et hostiliter in universos saevituros. Sed et per Ruthenorum irruptionem claritatem et titulos superiorum suarum victoriarum apud gentes et nationes subactas et subigendas amplius morti ducebat fuscari, et praeberi illis occasionem et audaciam contra suum imperium rebellandi. Sed et in eo se loco a Jaroslao Duce Russiae occupatum videbat, ex quo exercitus suus residuus non nisi victor recipi posset. Prius tamen quam ad congressu cum Rutheno veniret, alloquendos sibi milites, et ad pugnam incendendos ratus, haec apud illos fecit verba. Probitatem vestram o milites in pluribus bellis et periculis retroactis frequentius expertus, ad certamen cum hostibus, qui nobis multo plures numero sunt, incurrendum, quoniam aliud agere honestas dissuadet, et vos duco, verbis meis nihil quidem vestrae virtuti adiecturus, verum ea quae imminent, quaeque verisimiliter contingere possunt, rememoraturus. Hostem enim [illegible] et suapte et nostris provocatum armis infestissimum, dissolutionem defluxionemque exercitus nostri, qui neque colligi neque revocari absque cruenta nostra clade et periculo potest, cervicibus nostris, et de victoria gloriabundum, imminentem video. Si vivere honeste, et in libertate volumus, si penates nostros, si coniuges, et liberos servare, si partis victoriis gloriari, et subactas nationes sub iugo et tributo detinere, si denique Russiam ipsam tributariam nobis facere, et optima spolia atque captivorum mancipia ex ea relata possidere libet, ferro armisque hostis, numero quidem magnus, sed animo imbellis et ignavus, summovendus est, et inanis spes potiundae victoriae qua iam inflatus superbit, et tumet, vestris dexteris reprimenda. Quid enim proderit Bohemos vicisse, illosque et Moravos ditionibus nostra fecisse, caeterasque nationes in circuitu debellatas humiliasse, si Ruthenorum armis victi et ab hoste fugati et pavore debellati, singulis, quae virtute quaesivimus, exuimur. Fines regni nostri propagaturi bellum Ruthenis intulimus, nec tamen hinc victores euadamus, amittimus prosperitatis. Ego in caelestium confisus auxilio, spero in vestra virtute ac hodierna insigni victoriam ex hac hostium multitudine relaturum, meisque superioribus victorijs famosum et clarissimum titulum hinc victoriae cumulatum accessurum, spe optima plenus, optime vos sperare iubeo. Quae si non subesset, necessitas tamen, quae maximum et ultimum est telum, stimulare deberet, quocunque enim nos vertamus milites, ad extrema peruentum est. Fuga enim, praedas nobis praesertim hostibus vexantibus, nulla facultas, circumfusis hostium copijs, et nos insuper obseruantibus, dedi vero hostibus, perpetuam vilitatem, turpitudinem, nomini nostro atque generi inureret, auxiliares vero ex longinquo praestolari copias, eorum esset, qui certamines possent declinare differre. At nostra paucitate hostes conspecta, promptius in praelium armantur ferociore. Dum itaque virtute non possumus, necessitate superiores euadamus, cura igitur mortis et vitae praesentis spe circumscripta, vnusquisque gladium ruat in hostem, iugulum hosti perfracturus magis quam praebiturus. Paucorum annorum accessio vnicuique vestrum non moueat, cum etsi nunc seruati, ex post hic delo[illegible]rus peste, morbo, vel casu aliquo sumus morituri. Hac exhortatione incensi, militum animi, gloriosam mortem subire, quam ex praelio pedem referre clamoribusque vocibus decernebant. Quos ut alacres et plenos bonae spei Boleslaus Rex vidit, extemplo signa canere iubens, ducit in hostem, et pugnam conserit, equis et hastis velocissimo cursu concitatis. Rutheni infieri sibi praelium contra ut erat rati, plurima admiratione percelluntur, paucitatem in multitudinem ac cumferri, primos tamen impetus sustinentes, magno et ipsi animo ex spe dudum concepta bellum gerunt. Verum tempore procedente videntes Rutheni suorum numerositatem diminui, et Polonos ad extremum casum paratos, maiorem quam pro numero cladem Boleslao Rege vnicuique ex nomine exhortante, recedunt, spe priori extincta, cadentibus enim primis ad se quisq; eadem non ambigebat perventuram, pedem referunt, quanta tamen possint vi, abundanti multitudini resistunt. Audaciores pugnae eoq; Polonos faciebat necessitas, cum nullam viderent, nisi per ferrum, tantis circumfusi hostibus, spem evadendi. Verum Boleslaus territos eos perpendens, suis si paululũ adnitantur, victoriam denunciat, nec Regis atq; Ducis officio contentus, cum militibus, qui illum observabant, praelio se infundit, aciesq; hostiles sinum cedentis, ad extremũ perforat, prosternit, et dissolvit, manus et operas exhibens praelio, et contra hostes fortiter pugnans, providentiam tamen boni Ducis non omittebat, sed ubicunq; consilio opus erat, accurrens, bellum et bellantes adiutabat. Et cum Mars magis magisq; crudesceret, nunc adhortatione, nũc stricto gladio, nunc fessis, nunc sauciis recentes substituendo, dubium effecit, plusne sapientis Imperatoris artib; an fortis militis opera pro consequenda victoria uteretur, suisq; clarissimam victoriã largitur, triumphalemq; et magnã viris fortibus in ea pugna gloriam effecit maiori consequentes, quam voto, omnia enim erant tumultus, timoris, fugae plena. Dux ipse Ruthenorum Iaroslaus, suos, crescente pugna deteriori loco et in fugam versos, conspiciens, insignibus Ducalibus, ne proderent fugientem, abiectis, equos mutando persequentium Polonorum manus fugiendo evasit. Omnis autem illa hostilis multitudo aut praelio occubuit, aut viva in Polonorum manus venit, paucis qui in itinere magis abdita ex communi cursu diverterant, salvatis. Tanta autem Ruthenorum caedes tunc edita fertur fuisse, ut fluvius Bug occisorum inebriatus sanguine, fluorem suum per certa spacia rubeum produxerat, et Rutheni ex regionib; longinquis ad reperiendum suorum charorum cadavera, in certaminis locum advenientes, planiciem universam stratam multitudine funerum, et crebras congeries eorum contemplati, a quaerendis, quos sepeliendos advenerant, difficultate quaestionis arcebantur. Capta aliquot signa militaria, impedimenta fere cuncta, cum sarcinis militũ et equorum complura millia comprehensa, et in ditionem accepta.

MEmorabili praelio confecto, et caede quam maxima in Ruthenis et ceteris qui illis solatia tulerant, Boleslaus Poloniae Rex edita, in Poloniam non iam solum cum praedis et Ruthenorum spoliis sed cum captivorum cuneis feliciter regrediebatur. Cui per loca transitum fecerat processiones et exceptiones omnium ordinum, velut glorioso athletae et victori honor exhibebatur. Ex spoliis autem Russiae primum honorat Ecclesias omnes regni sui Cathedrales, dando unicuique Ecclesiae magni ponderis clenodia, in Ecclesiam tamen Gnesnensem, illic enim coronationis suae agebantur solennia, illic et regiam magis usitatam habebat, liberalitate fuit profusior, quae quidem insignia et magni pretii clenodia etiam in hanc diem Gnesnensis Ecclesia obtinet. trophaea Boleslai Regis per ea succedenti aetati innovans et demonstrans. Deinde ex eisdem spoliis milites quos vidit enixius in bello meruisse, de publico honorabat et cuncta huiusmodi spolia innata liberalitate distribuit, largitione huiusmodi singulos praemians, et animosa corda in altiora strenuitatis opera inflammans, mirator amatorque rerum excellentium, auri vero opumque fallacium nisi pro necessitate contemptor

Ioanne Papa decimo octavo qui sederat mensibus quinque diebus viginti quinque, et cessante diebus decem et novem mortuo, Ioannes decimus nonus successit natione Romanus, de regione quae vocatur portae Metropolis qui ante Fasanus vocabatur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DECIMUS

Boleslaus primus Poloniae Rex Chrobri id est potens et animosus appellatus videns multiplicia divina beneficia in se et regnum suum excrevisse, beneficiis ipsis munificentia regali pro sua vice responsurus, aliud claustrum Monachorum nigrorum sub regula beati Benedicti degentium, in praedio et villagio viri nobilis Setthegij, a quo et villagium ipsum Szieczechow nomen accepit, et de consensu ipsius Setthegij, ad flumen Visla in terra Sandomiriensi et in loco ameno et saltuoso fundat erigit et fabricat, eique in dotem certas villas regias et introitus

assignat

consignat. Locum autem ipsum et Visla duobus iam aquis non longe a monasterio praeterfluit, et aqua aliqua ambiit quae stagnando lacus efficiunt. Contulit autem tunc in dotem praefati Monasterij Settegius comes fundum et villas duodecim. Expost vero Henricus Dux Sendomiriensis, item Iacza Dux, item Martinus comes, item comes Lezyeosad et alij proceres Regni plures villas, minores tamen in dote tam munificus quam Boleslaus Poloniae Rex qui vectum supremi iuris maiores obvencionibus ex villa qualibet percipiebat

Superioris anni clade apud fluvium Bug Iaroslaus Russiae Dux accepta, anno insequenti novum congerit contra Swantopelkum Ducem Russiae ex proprijs et auxiliaribus exercitum, et vadit contra Kyow, cui Swantopelkus occurrens in loco, in quo suo iussu Borzyss occisus fuerat, inito certamine vincitur et succumbit, et non audens ad Polonorum Regem Boleslaum pro sui solacio recurrere, ad Pieczinagos divertit, et contractis celerrime copijs revertitur Swantopelkus Russiam in fortitudine magna, et occurrit illi Iaroslaus Dux cum exercitu suo, et positis statiuis circa Oltem flumen, in loco ubi a Swantopelkone occisus erat Borzysch, in alterius diei adventum differunt certamen, quo adveniente, erat autem dies veneris. Sole oriente congrediuntur, et praevaluit Iaroslaus et exercitus eius. et Swantopelkus victus fugit et venit in Brzescze quod a Boleslao Poloniae Rege et suo praefecto atque praesidio tenebatur, exinde vero de clementia Boleslai Polonorum Regis plurimum fidens Poloniam providebat, nova solatia ad rescindendas suas calamitates a Boleslao Polonorum Rege petiturus, sed in itinere a repentino correptus languore, moritur, et a comitibus suis in loco deserto et ignoto sepelitur. Post cuius mortem Iaroslaus Dux pacificum apud Kyovienses tenuit principatum, et inter Russiae Duces praestantior habebatur Boleslaum Polonorum Regem super castris Russiae quae in potestatem suam acceperat, nullo pacto potentiam suam pertimescens audens quomodolibet impetere vel molestare. Possedit autem Boleslaus Polonorum Rex et successores sui reges Poloniae castra oppida, et fortalicia tunc sub Ruthenis conquisita, et ea per praefectos suos et Capitaneos administrarunt, magnam quoque terrarum Russiae portionem tunc armis quaesitam prope Kyow se protendentem in suam ditionem et regni sui Poloniae perpetuam potestatem subegit

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS VNDECIMVS

Vno aduersario videlicet Swantopelkone Russiae Duce fugato atque extincto, alter Iaroslao Russiae Duci aduersarius consurgit, et pro fratre nepos succedit. Brzetislaus enim Dux filius Isaslai Ducis de Poloczko, congregato de suis Polocensibus et Varagis exercitu, vadit contra Nowogrod et occupat illud, et vniuerso Nowogrodensi Ducatu in suam ditionem et obedientiam redacto, praefectis illic dimissis, in Poloczko ad sedem paternam regrediebatur. Cui Iaroslaus Kyouiensis Dux, haereditariam sortem Ducatus videlicet Nowogrodensis sic exactum moleste ferens, apud flumen Sudomir occurrit, et certamine duro inter vtrumque inito praeualuit Iaroslaus, et caesis plurimis, Brzetislaus victus refugit in Poloczko, Ducatumque Nowogrodensem Iaroslaus occupat, et spolia reducit. Vadit posthac Iaroslaus Dux Kyouiensis contra Rededa Ducem de Kosohory, subuectumque illum sibi et singulari certamine victum, ita enim inter Duces et eorum exercitus conuenerat, vt Duces potius quam exercitus congrederentur, vtrique pareret victori, regionem gentis Kosohori subiicit, tributumque genti imponit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVODECIMVS

Ruthenorum bello Boleslaus Poloniae Rex perfunctus, ad alia bella obeunda, ne animi militum ex quiete hebetarentur, animum conuertit, indomitisque vsque ad id tempus Saxonibus bellum infert. Acturus autem in Saxones expeditionem, omnes copias ex singulis terris, vrbibusque regni sui ducum et in primordio regni sui per illum delectu habito ordinatas et conscriptas conuenire iussit. Habebat siquidem vnaquaeque vrbs capitalis regni sui designatum numerum, quot videlicet et quantos milites in bellum generale missura foret, propter quod facile poterat Rex virium suarum aestimata potentia, aut bellum abnuere, aut inferre. Collecto itaque exercitu numeroso Saxoniam ingressus, Saxones sibi occursuros, et certamen secum praesumebat inituros. Eo quoque respectu et milites ire in ordinibus, et a signis nusquam discedere coegit, Postquam autem ab exploratoribus certior factus est, nihil contra se hostile geri, et Saxones potentiam suam veritos, aut in nemorum syluarumque lustra, loca quoque inuia, se et pecus omnemque supellectilem abdidisse, aut in castris munitionibusque fortioribus, ceteris de bellicis rebus convenientes, in hostibus praesidio essent, servantur. Militibus in agros oppida et villas spergere, et populationem late longeque extendere, quo amplior terror hostibus accederet, iussit. Oram autem Saxoniae usque ad fluvium Albam, qua et Labya, perambulans vastansque et comburens universa, nullam expertus resistentiam, Summatis Saxonibus regrediebatur. Cum autem ad fluvium Sala alias Szolawa, qui Saxones medios praeterfluit, pervenisset, columnas ferreas in ripa fluminis illius figens, terminos gadesque Regni sui Poloniae posuit, Polonaque a terra Almanorum locatione huiusmodi ferrearum columnarum disterminarunt, quatenus et titulum victoriis triumphatoribusque pacifici, et ~~fines~~ fines Polonicarum regionum testarentur.

Joanne decimonono mortuo, qui annis quatuor et amplius sedit, et apud S. Petrum sepultus, Sergius quartus vir casta vita et conversationis sancta successit, natione Romanus, sedit annis duobus, et apud S. Petrum sepultus, Benedictus octavus natione Tusculanus successit. Iste Benedictus poenis purgatorii afflictus, rogabat per quendam Episcopum cui apparuit, ut Joannes vigesimus successor suus, aperta theca quadam, pecuniam inventam erogaret pauperibus, eo quod prior pecunia ex rapinis collecta sibi non proderat, quod et fecit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TREDECIMVS

Domitis humiliatisque Saxonibus Boleslaus Poloniae Rex turpe sibi suoque nomini ratus, si singula regionis olim a Polonis possessa et populata, a quocunque alio quam a se possiderentur, revocat in animum regiones ad mare Septentrionali sitas, Pomeraniam quoque inferiorem, Cassubiam, et ceteros cismarinos tractus, quos etiam nunc Slavi incolunt, propter suorum Principum indignam necem, per Popyel tunc Polonicarum regionum Monarcham a muribus corrosum procuratam, diuturno iam tempore a corpore regni sui Poloniae et eius obedientia alienatos abstractosque fuisse. Propterquod exercituum suorum potentias in oras illas deducens, quasdem ferro et expugnatione, quasdem benivolentia et liberalitate, ceteras metu et aliarum exemplo in suam redegit ditionem. Principabantur etenim tunc in illis viginti principum a Popyel extinctorum nepotes, quos Boleslaus Poloniae Rex de sanguine regio genitos cretos, et illos sibi consobrinos esse, innata sibi tractavit munificentia, et singulis liberalitatis suae dona tribuens,

reddit sibi.

nihil sibi de illorum principatibus et regionibus praeter feudalem obedientiam et subiectionem reservavit, rem non contemnendae honestatis ponderisque existimans, si regnum suum Poloniae et suam integritatem resumeret, et frequentiam tot Principum haberet feudalem et subiectam.

MIECZSLAVUM filium suum Boleslaus Poloniae Rex et virginem Richszam neptem Imperatoris Otthonis eidem dudum desponsatam, videns ad annos nubiles pervenisse, solenni curia apud Gnyeznam indicta, vicinis Principibus et provincialibus Satrapis, primisque Poloniae corrogatis, accersitisque, nuptias in magnifico apparatu filio suo unico praefato Myeczslawo celebrat, et virginem Richszam illi coniungit, quae hactenus in regia a matre Mieczslawi Juditha, iuxta ac filia materna charitate fovebatur.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUARTUSDECIMUS

Tertius Cracoviensis Ecclesiae Archiepiscopus Lampertus, cum annis decem et novem pie modesteque Cracoviensem sedem gubernasset, in aetate matura, in horam extremam perveniens, moritur, et in Ecclesia Cracoviensi sepelitur. Summus autem Pontifex Benedictus Octavus vacanti Ecclesiae Cracoviensi volens de idoneo pastore providere, Boleslao Poloniae Rege instante, virum probitate spectatum, licet in lingua Polonica parum eruditum, Popponem nomine in Cracoviensi Ecclesia ordinat. Mortuo siquidem Sergio Papa quarto, qui sedit annis duobus et apud Sanctum Petrum sepulto, Benedictus Octavus natione Tusculanus in Papatum electus successit, e patre Gregorio, hic fuit de Papatu eiectus et in locum suum alius quidam intrusus, propter quod magnum schisma exortum fuit in Ecclesia Dei aut hyppermatam vitam eius ante primum ingressum. Cruswiciensis Wladislaviensis Ecclesiae Episcopus Mauricius, anno eodem fato extinctus, Marcellum per Joannem Papam Vicesimum ad instantiam Boleslai Poloniae Regis provisum habuit successorem.

Henricus secundus Romanorum Rex et Bavariae Dux collecto notabili exercitu descendit in Italiam, a civitatibus quoque Italiae debito honore susceptus, nullamque resistentiam aut adversitatem passus, Romam pacificus et incolumis advenit, ubi post aliquos tractatus inter eum et Papam Benedictum Octauum interpositos, in Ecclesia S. Petri coronatur, et ab eodem Benedicto imperialem accepit benedictionem; qua perfunctus, paucis diebus in vrbe immoratus, in Almaniam est reuersus

NONUS filiorum Vladimiri Ducis Russiae Msczislaus Dux de Timutrokany, Kyouiensem sedem vsurpaturus, cum parato non mediocri ex Kozaris, et Kossogis exercitu, vadit contra Jaroslaum fratrem suum Ducem Kyouiensem, et licet Jaroslaus Kyouiensis Dux in sui solatium Ducem Varahanorum Jakunij acciuisset, duplici tamen certamine fortuna tentata conflictus succumbit, et Kyouienses in Msczislai victoris ditionem concedunt, qui post victoriam clementior atque modestior sedem Kyouiensem quam quaesierat fastidire caepit. Missisque legatis qui Jaroslaum fratrem promissa securitate reducerent, venientem benigne excepit, et compellat, Recipe, inquit, frater, quoniam natu maior es, et tibi ex frequentiori respectu debetur, sedem Kyouiensem, et ea pro tuo libito quiete vtere, quam iure belli quaesitam victor vultu aequo animo restituo, Et pacificatione reconciliationeque huiusmodi praeter spem omnium inter fratres celebrata, Dux Msczislaus in Czyrnyow abijt Dux vero Jaroslaus sedem Kyouiensem repetijt, quam tamen per se administrare non ausus, per praefectos administrauit Eodem anno nascitur apud Jaroslaum Kyouiensem Ducem filius, et imponitur sibi nomen Izaslaus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUINTUSDECIMUS

Victis regionibus quas ab origine Poloni qui et Slaui populauerant, in suam ditionem et in vnum regni Poloniae corpus, vnamque Monarchiam per Boleslaum Poloniae Regem victoriosi redactis, rebantur se Polonorum milites de caetero ab armis et militia quieturos, verum Boleslai Poloniae Regis pectus laudis et gloriae auidum, quietis quoque impatiens, nouum bellum excitat, et in Prutenorum gentem ad eam diem bello intactam expeditionem indicit. Omnes autem veteranos milites in huiusmodi bellum armat, sed et magnum tyronum numerum ex vniuerso regno suo et prouincijs eidem subiectis conscribit, collectisque potentiss. et ordinato exercitu situ versus Pruthenorum regionem procurrit, illamque per terram regni sui Culmensem ingreditur. Est autem Pruthenorum terra, ut in superioribus narravimus, ad Septentrionem sita, quam fluvii Vuysla et Ossa a provinciis regni Poloniae determinant. Oceano etiam mari in plerisque locis confrontata, duobus fluminibus Vuysla videlicet et Memel, quorum alter ex Polonia, alter ex Russia manat, in segmis. in octo regiones distincta, una quarum vocatur Pogeza, altera Nantaga, tertia Szamen, quarta Nadrouna, quinta Schalouna, Sexta Sudouna, Septima Galinda, Octava Bartha, et quoniam pro ea tempestate paucas habebat oppida et haec ipsa naturali tantummodo situ, aquis videlicet et paludibus circumsepta, castrorum insuper omnis erat ex ligno fabrica, Boleslaus Poloniae Rex facile oppida Prussiae et nonnulla castra in quibus se Barbari abdiderant, videlicet Romouam sedem Pruthenorum principalem, item Balgam, Radzin, facta impugnatione capit, captaque iubet aut dirui aut incendi. Pruthenorum autem primores videntes suis viribus contra Boleslai Regis Poloniae potentiam niti non posse, caduceatoribus missis parci patriae quae tota spoliis et incendiis flagrabat petunt, seque quoque deditionem facturos et tributum pensuros, ac in potestate regis futuros repromittunt. Boleslaus autem Rex Poloniae ut erat clemens, ad compatiendum afflictorum calamitati proni, petitioni eorum annuens, et praecipuos Pruthenorum ad se venientes comiter pertractans, deditionem eorum suscipit, tributumque singulis annis fisco regio pendendum imponit, agrumque Pruthenorum vastari prohibuit. Tunc primum Prussia in provinciae formam redacta, et armis Boleslai Regis subacta regno Poloniae coepit esse subiecta, et tributaria. Posuit et tunc Boleslaus Rex regni sui Poloniae in fluvio Ossa, quod Poloniam Prussiamque determinat perpetuos Gades, ferream videlicet columnam in fluminis medio quartali milliaris ab oppido Rogozno inter Lyaszin et Rogozno, unde et villa ad Gades

Sunubmack

huiusmodi sita Slup a columna vocabatur. Et licet Cruciferi temporis processu occupata terra Chelmensi ferream etiam columnam ut et aliis huiusmodi abolerentur, sustulissent, et molendinum muro cinxissent, Slup tamen in eam diem appellatur. Propagandi siquidem fines regni sui Poloniae, et ne unquam propagati confundi possent, immensus, diuturnitatisque cupidine ardens, statuas ferreas et in Oriente et in Occidente et in Septentrione locavit, Herculis imitatus morem, et ratus illarum et durabilitatem et perseverantiam fore immortalem

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DECIMVS SEXTVS

Silentibus bellis externis et hostibus in circuitu regni Poloniae armis vel iniquis conationibus sumotis, Boleslaus Poloniae Rex ad res urbanas et domesticas regni sui bene gerendas animum intendit Omnis autem praecipua sua cura in causis pauperum et viduarum audiendis, finiendis, expediendisque, si compositio sequi non poterat, per iustitiam versabatur, quibus adeo intentus erat, ut solus et per se ne fraus in administranda iustitia aut dilatio committeretur, in illis praesideret Quamvis autem tunc rariores extarent iniuriae, offensiones et querelae; quippe metus simul omnes superiores iuxta ac inferiores, in aequitate et observantia legum continebat, non patiebatur tamen Boleslaus Poloniae Rex ad audiendas tam maiores quam minores causas, solos praesidere iudices, sed in illis aut solus praesidere solitus erat, aut si illum altiorum negociorum Regni sui avertebat cura, et expeditio, in locum suum viros integros, timoratos, et iustitiae zelatores, surrogabat, qui summopere cavebant pretio, lenitateque, ne eorum iudicio, sententiaque ab aequitate et iustitia abhorreret, cum prudentissimam sanctionem Boleslai regis scirent. Si qua partium quereretur se gravatam, processum universum

examinaturus

examinaturum, et quod praeter aequitatem aut contra legis pronunciatum fuisset, non sine eorum reprehensione et ignominia retractaturum. Omnibus insuper viduis, pupillis, orphanis, et rusticanae tenuisque sortis hominibus praesentiam suam cum querelis adeuntibus prologutores, sindicos, et procuratores ex fisco suo regio salariatos deputabat, eisque mandans et providens, ut cum solerti scrupulositate, diligenter ad curandas promovendasque viduarum, orphanorum, et pauperum causas, essent intenti. Interim vero quo causas huiusmodi coram se aut iudicibus suis tractari contingebat, tam actori quam reo et cuilibet conditionis homini mensam suam regiam patere voluit, et unicuique iuxta qualitatem personae liberaliter victum ministrari. Qua quidem iustitiae vestigiis administratione, singulos divites videlicet iuxta ac pauperes adeo promoverat, et paterno ab omnibus magis quam regio colebatur affectu, et virtutum suarum praeconia longe lateque manarent.

Octavo Calendas Augusti Richsza Poloniae Ducissa consors Ducis Mieczslaui infantem pulcherrimum enixa est, cui memorato avi sui Boleslai Regis nomine in baptismate impositum est Casimirus, quod in Idiomate Polonico sonat iubens pacem. Sub hiemis eius anni tempore tremor terrae in Polonia regno accidens prodigii loco habitus est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DECIMVS SEPTIMVS.

Exiguam et simplicem virtutem iustitiam, Boleslaus Poloniae Rex sine misericordiae comitatu iudicans, tanto moderamine inter iustum severumque iudicem et misericordem principem se partitus est, ut damnati damnandique et rigorem eius iustitiae extimescerent, et clementiam eius crebro experti de salute sua bene sperare iuberentur. Et quamvis Rex ipse in singulos misericordiae visceribus affluens, reis legumque praevaricatoribus se facilem et liberalem praestaret, Illustrissima tamen consors sua Iuditha regina, spectatae virtutis foemina, clementiam Regis efferebat sagacitati industriaeque muliebri magis celebrem et illustrem, et utriusque opera notiora fiant, unum quod illo tempore gestum manavit, ad posteros, memoriae causa subiiciemus

Nobilium nonnulli filij a patrum institutis moribusq degenerantes, dum facultatibus proprijs lascivius quam sat erat, utuntur, in paupertatis sortem fuere delapsi, quam cum moleste ferrent, priorem fortunam resumpturi, ad spolia, rapinasq, animum intendunt. Verum dum facinus eorum recreationi aliquanta proditum vulgatumq fuisset, iussu Regis capti, et de scelere praedonicorum facile convicti, sententia Regis et Consiliariorum capitalem poenam expositi, morti adiiciuntur. Quorum immaturae morti et virenti aetati prudentissima regina compassa, rege nequaquam petito persuaso aut consulto, in secreto abditoq loco paucis conscijs asservari illos subministrat, oportuno tempori vitam illis restituturam. Dum autem iuxta morem Boleslaus Rex cum Consiliarijs super Republica negocijs Regina forte praesente sermonem diutius protraxisset, damnatorum pridem ab eo nobilium filiorum, et quos credebat dudum extinctos, mentio incidit, Subeunte quoq poenitentia animum Regis, coepit Rex crebra ingeminatione verborum pro desideratis affligi, asserens dolori non parvo sibi esse, quod tam insignes et ingenuos adolescentes ad obeunda belli munera aptos et futura patriae ornamenta, capitali sententia damnasset, et facinus patratum adolescentiae fragilitatiq com non tribuisset, praesertim cum eorum damnatio caeteris superstitibus de eorum domo et familia, cessisset in ignominiam et sugillationem, subinferens se non solum damna passis singula restituturum, sed et largam amplamq donationem se praestiturum, si [illegible] mulcta capitali, et exilio eorum non damnasset. Tum Iuditha Regina propositum animi explorata, sciscitatur a Rege, quantum inquit tibi esset gaudium, et quam aestimaveris statera, si quis catholicarum suo suffragio et merito repraesentarit illos vivificatos. Ad quam Rex. Quamvis inquit id impossibile fieri reor, tamen si divinitus cui hac etiam exploraverit, quod suggeris, concederet, nil tam charum tamq preciosum, possidere me declaro, quod pro vivificatione illorum funeribus non largirer. Et non tam mea causa viveret quam genus eorum, iniusta vi ex eorum damnatione infamia careret. Quandum ad misericordia pectus regium quaestioni suae, et ad parandum proelium Regina intelligens, tribunali regio, cum baronibus, consiliarijsque universis veniam damnatis deprecatura prosternitur, dirigensque ad Regem plurimum admirationis concipientem, et quidnam post effusos sermones rogatura esset sciscitantem, verba, Nihil inquit clementissime Rex ad reddendam vitam damnatis caelesti opus est praesidio, tu ipse vitam calamitosis damnatisque clementia regia praestare potes, ex media etenim morte raptos, et ne in hanc diem iuxta pronunciationis tuae decretum cervices eorum plecterentur, servatos occuluisse me profiteor, facinusque meum non temeritate aliqua sed miserabili compassione admissum primum mihi ignosci; deinde vitam damnatisque donari, supplex cum his omnibus qui mecum una provolvuntur scabello tuo deposco, Eo enim respectu id factum egi, ut salvares, quibus parceres, et quos post damnationem et mortem quasi ex quodam Acheronte in vitam non sine clementiae tuae admiranda divulgatione revocares. Boleslaus autem Rex supra modum exhilaratus, et in admirationem quandam versus, ex throno desiliens, reginam ex humo elevat, et in eius ruens amplexus, pietatis factum per eam sagaci dolo commissum, multipliciter extollit, et commendat. Cunctis autem qui aderant in huiusce novitatis stuporem conversis, certatim reginam de pietate, sagacitate, probitate, et industria laudantibus, Rex universos neci addictos parum verbis Reginae fidens, iubet sibi celeriter praesentari. Ex locis autem in quibus conditi fuerant adducti, primum Regina per ipsam verbali correptione admoniti praesentantur, quae demum illos velut vitae eorum conservatrix ad conspectum regium perducens, ignosci illis, et ipsorum transgressionem aboleri supplicabat. Boleslaus autem Rex qui iam pridem ad ignoscendum se pronum obtulerat, et qui non fuit ad delicti vindictam coniugis precibus expugnatus, exorabilem se continuo praestitit, ad indulgentiam, poenamque cui ex demeritis fuerant obnoxij, remisit. Non erat enim apud Boleslaum Regem labor iste difficilis, ut ignosceret supplicanti, verba primum ad illos facit, qui nobilitatis suae obliti plebeis sordibus genus suum foedassent, et clarijs imaginibus suorum praedecessorum, quos nomine et virtute extollebat, magnam caliginem suis operibus obduxissent, et hos quidem

pietati

qui aetate provectiori erant, asperioribus verbis multans, adolescentiores vero in balneum deductos, et in sui praesentia virgis leniter caesos, tamdem culpa relaxata, vestibus novis indutos, quo honoratiores essent, in aedes proprias absque labe de caetero victuros remisit, per expressum illis interminans, non se quoquomodo placari posse, si eos in eadem vel paria crimina recidivare contigisset. His et pluribus aliis munificentiae et pietatis suae operibus clementiam suam longe lateque diffundens plus amore quam metu quosque suos subditos in iustitiae et aequitatis legumque et legitimorum institutorum observatione continebat, circumcise ac breviter obiurgans, blande ac cum miseratione admonens. Quemadmodum autem Abigail eloquentia ab irascentis David gladio servavit virum suum illaesum, sic et huius reginae prudens industria, et nobilium filios ne interirent promovit, et Regem Boleslaum consortem suum pluribus reddebat admirandum et gratiosum, et qui per libram et examen iustitiae plectendi et damnandi ultimo supplicio fuerant addicti, clementia Boleslai Regis ad preces et intercessiones Iudithae reginae facti sunt redivivi.

Iuditha Regina uxor Boleslai Poloniae Regis gravi infirmitate correpta moritur, et in Gnesnensi Ecclesia in sto honore tumulatur, foemina religiosa, benigna et devota.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DECIMUS OCTAVUS

Ruthenorum Princeps Iaroslaus moleste terrae suae et Metropolis civitatis Kyoviensis vastationem expugnationemque superioribus annis per Boleslaum Poloniae Regem intemptatam ferens, se quoque et exercitum suum ad fluvium Bug grandi strage profligatum et humiliatum dolens, latens et tacitum coquebat bellum, tam proprios milites coarmans, quam alios finitimos conducens, opportuno tempore illud Boleslao Poloniae Regi ad vindicandam cladis suae ignominiam apud Bug fluvium acceptam daturus. Boleslaus autem etsi iampridem de hostili in se Ducis Ruthenorum animo et a praesidibus Capitaneisque suis et ab exploratoribus illuc missis, certus erat, aliquanto tamen tempore ab armis se continuit, Ducis Ruthenorum animum existimans posse et tempore et sua patientia sanari. Postquam vero cognovit Ruthenorum principem ad invadendum regnum suum Poloniae arma induisse, et cum forti exercitu regno suo quotidianis stationibus propinquiorem fore, copias et ipse suas, quas in eventum hostilis et futuri belli tenebat paratas, movet, celerique passu in Russiam contendit, inferendum sibi a Duce Ruthenorum bellum repulsurus. Itaque sub uno eodemque tempore et Polonus Russiam, et Ruthenus Poloniam, adeo propere latenterque ingrediuntur, ut alteri ignotus esset alterius ingressus et invasio. Ad ripam tamen fluminis Bug e regione se sitam uterque consedit, et castris positis alter alterius adventu agnoscens de futuro certamine in crastinum ineundo consultabatur. Et Boleslaum quidem Poloniae Regem sacratus dominicus crastinus dies a pugna distinebat, nolebat enim ob illius celebritatem praelium eo die committere, unde et milites in castris continuit, et ne quidquam hostile gereretur interdixit. Verum prohibitionem eius exigua rei eventus et occasio, ut plerique in bello accidit, violavit. Media siquidem die desuper profervente sole, et milite quiescente, servi vero Polonorum ad ripam fluminis aut equos balneantes potantesque, aut occisorum pecorum carnes abluentes, primum verbis, deinde missilibus cum hostili exercitu in altera ripa stante, et illos provocante se lacessunt. Temporis vero processu, adeo crevit inter contendentes pugna, ut clamore ab utrisque sublato, uterque exercitus ad arma se concitus moveret p

Boleslai itaque Regis universus exercitus armis celeriter correptis equisque conscensis universa acie in praelium descendebat. Et quoniam hostes propter fluminis interiectionem nisi eo vadato adiri non poterant, periculo spretoque illis et ab hoste et a flumine imminebat, nequicquam attento, ut erant armati, flumen ingrediuntur. Quo demum tandem adnatante superato, in hostes nondum plene armatos neque sub ordinibus consistentes, sed vario pavore hinc illincque vagantes, subitus enim in eos visis Polonorum aciebus pervaserat pavor, irruunt, ac primas acies eorum facile disrumpunt, obtruncant, et prosternunt. Suorum autem strage ad Ruthenos perlata, Dux ipse

Ruthenorum in vivis in Polonorum manus venerunt, a sui fugam capessere compellebatur Rex ex praelio discedenti, reliquo agmini alter metus est iniectus, propter quod cum non praelio sed fugae intendentes, Poloni victoriam consequunt, Mandavit autem Boleslao Regi milites suos Ruthenos in aliquot milliaria persequentibus, plurimosque aut vivos capit, aut gladio extinxit. Dux tamen Ruthenorum et multitudo non parva fuga evasit. Castris Ruthenicis et spolijs innumeris Polonus potitus, Regi Boleslao concedenda cedunt, Tamen Boleslaus Poloniae Rex cum signis victricibus et insignibus ad interiora Russiae procedens, insigniora Russiae loca, ferro igni et vastatione perdomuit, pluraque castra Russiae aut expugnavit aut in deditionem recepit. Tanto quoque discrimine Ruthenos tunc humiliavit et afflixit, ut et parum potere a Boleslao Rege et intra paucitas se ratione diffisi de armis, regerentur. Boleslaus autem memorabili victoria potitus, praeda plurima ex hostili terra abacta, alijsque spolijs onustus, in regnum suum Poloniae reversus, cum magna laetitia excipitur, et honores illi triumphatorij a singulis statibus et ordinibus impenduntur. Asserunt et alij, belli Ruthenici, quod anno praesenti per Boleslaum gestum esse, aliam causam extitisse. Dum enim Boleslaus Poloniae Rex ex obitu uxoris suae reginae Juditha viduatus procos ad ducem Ruthenorum Jaroslaum petendo sororem suam in uxorem transmisisset, et Jaroslaus propter diversitatem ritus nuncios vacuos remisisset, Boleslaus Poloniae Rex in magnam indignationem actus, bellum Jaroslao indixit, et munitionibus suis expugnatis, etiam sorore Jaroslai capta pro concubina utebatur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DECIMVS NONVS

Insignem famosamque victoriam Boleslaus Poloniae Rex ex Ruthenis relatam, non in aliquam insolentiam aut pompam ut natura qualitasque victoriae suggerebat prolapsus est, sed solitum humilitatis et modestiae gradum observans, cunctis se exhibebat et aditu facilem, et in reddenda iustitia, impendendaque clementiaque largitorem, gratiosum et benignum, sed et erga Ruthenos victos tunc et captivos patrem se magis quam victorem egit. Nam Ruthenorum Principi per plures legationes secum interpellanti, et pacem modesto imposito tributo restituit, et singulos captivos liberaliter remisit, Qua nimirum facilitate corda Ruthenorum adeo promeruit, ut virtutem eius probitatemque efferendo magis celebrarent laudibus, et maxime illum Principum nulli comparandum vocabulo linguagii sui Chrobri, quod etiam illi in multas successiones fuit, et est perhenne nominarent. Ab eo insuper tempore Principes Russiae et populi pro ea tempestate locupletes et numerosi, modestia et virtute Boleslai Poloniae Regis magis quam armis victi perseverabant in fide, et singula pacta cum Boleslao inita affirmata custodia observabant, neque audebant Boleslao Rege superstite de bello innovando et iugo superimposito abiciendo quicquam moliri. Universas suas artes et conatus non dubitantes Boleslaum Poloniae Regem praestanti virtute et animo compressurum

RICHSSA Ducissa Miecslawi filii Boleslai Poloniae Regis iterum foecundata infantem parturit, cui nomen avitum Boleslaus datum est, qui tamen in pauco tempore vivens immatura morte diem obiit

Prohibiturus Boleslaus Poloniae Rex excursiones clandestinas a finitimis nationibus, in forma praedonum, in regnum suum frequenter iactas, plures arces in confinibus Regni fabricat, easque valido praesidio militum firmat, victualiaque pro eorum sustentatione, plurimis villis in circuitu iuxta cuiuslibet villae conditionem et qualitatem imponit, annis singulis pendenda. Haec autem Datia a Polonis appellatur Stroza, quod militibus Regni fines ab hostibus custodientibus solvebatur. Decrevit et plerasque villas, colonosque earum, et rusticos ad officium, demandavitque ut noctibus singulis excubias nocturnas per vices facerent, et voce sonora atque cantu fideles excubias se facere declararent, Qua quidem provisione ab eo prudenti consilio instituta, a successoribus vero suis serum prudenter abolita, effecerat, ut Regni Poloniae fines et termini militibus qui illos observabant egregie tuentibus, nunquam possent impune ab hostibus invadi.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS VIGESIMUS

Multifariis et gratuitis donis Dei solium suum et Regni sui Boleslaus Poloniae Rex videns propitia divinitate firmatum, animum in religionem resque divinas convertit. Non ignorabat siquidem ex universis Principibus Poloniae, cum praecedentibus, aliquem tot, quantus se, fuisse decoris, nec in quemquam alium tot honores et trophaea tantasque divitias successus felices, et gloriam talem, insuper industriam, prudentiamque, qualem quemquam in se unum contulisse; et principatus sui fulgorem ultra caeteros Reges et nationes magnificasse. Volens itaque de amplissimis beneficiis Dei gratum se ostendere, et illis aliquantula vicissitudine respondere, Ecclesiis tam Cathedralibus quam aliis inferioribus a genitore suo Duce Mieczslauo erectis, et fundatis, oppida, villas, et praedia, pro ampliori illarum stabilimento et dote, munifice et largiter tribuit et donavit. Plures quoque parochiales Ecclesias in villis vicisque, quae sub suo et patris sui tempore insurrexerant construxit et fundavit, vasis quoque aureis et argenteis in ministerium et cultum divinum necessariis Ecclesias singulas sed praesertim Cathedrales adeo ornavit, locupletavitque ut liberalitatem suam in Ecclesias Dei abunde effusam multa saecula testarentur. Decimarum autem manipularium pro Ecclesiis et ministris Dei in universis proprietatibus suis imperio subiectis, solutionem, nullatenus passus est, aut varietate aliqua diminui aut in dubium aliquatenus revocari, sed mandavit decrevitque illam esse perpetuam et perennem, varia divinae ultionis flagella, filiis, nepotibus, successoribus suis interminans, si per quempiam illorum praefatarum decimarum contingeret redditionem intercipi, transmutari, vel rescindi. Gladii insuper regalis potentia a Domino concessa, non pro sua ambitione et in aliorum iniuriam, sed pro Dei beneplacito, molem iniquitatis assiduae in quibuslibet subditis regni sui convellendo et distruendo utebatur, teterrima nonnullorum comprehendo facinora.

Exivit e vita eo anno Timotheus Episcopus Posnaniensis, et accepta in Ecclesia Posnaniensi sepultura, Paulinum primum natione Italum a Bonifacio septimo Boleslao Rege petente confirmatum habuit successorem. Aliis placet illum non in Posnaniensi Ecclesia sed apud Brandeburk fuisse sepultum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS VIGESIMVS PRIMVS

Divinis sacrisq; rebus Boleslaus Poloniae Rex religiosa et prouida ordinatione in Dei honorem et fidei Sanctae incrementum compositis, rebus etiam publicis regni sui, et praesertim Vrbibus et castris in confinijs Regni sui positis, et hostilibus terris confrontatis, prouisurus, quae ratione subsisterent, et victualium necessarijs ad singulos emergentes casus essent prouisa, plerisq; vicibus deliberabat. Ordinauerat siquidem praefatus Boleslaus Rex plura in confinijs castra, arces, et municipia, illisq; exercitatorum militum praesidia imposuerat, qui summo studio singulas rationes districte ut mandante Rege curas intenderant, ne hostes clam aut publice in perniciem Regni sui grassarentur. Nec militibus fidens, frequentibus vicibus castra huiusmodi obibat, illisq; aliquantum temporis absumebat, satius indicans quamuis parco et castigato contentum victu, pro subditorum suorum tranquillitate tenere excubias, quam delicatis epulis immersum dissolui per desidiam, et praebere hosti occasionem ad inuasionem.

Consiliarijs itaq; suis probantibus generalem tunc edidit Sanctionem ut quilibet colonus seu kmetho mansum integrum colens, unam siliginis, alteram auenae mensuras depurgato grano absq; cunctatione persoluat, et in propinquiora regalia horrea deducat, in usum vestitum videlicet et victum militum eorum, qui castra confinitanea administrabant, et pro pace regni totius militabant, conuertendas. Solutio autem ipsa cum omni alacritate a nobilibus rusticisq; excepta est, et in multa tempora exinde deriuata ab effectu impositionis sua etiam in hanc diem Stroza quod significat custodiam, quoniam in Regni et castrorum cedebat custodiam et profectum, est sortita.

Quarto Idus Maij aliâs feria sexta post Ascensionem Dni in Italiae Franciae et Hispaniarum regnis magnus terrae motus exortus, nonnulla loca absorbuit, quaedam vero ruinauit. Incendia insuper crebra et ingentia in pluribus contagijs locis suscitata sunt, e quibus omnibus Poloniae regni regiones fuere gratia Dei immunes

ANNꝰ DN̄I MILLESIMꝰ VIGESIMꝰ SECVDꝰ.

Catholica

Catholicae religionis fidem cultumque, Sathanae invida malignitas in Regno Poloniae et regionibus vicinis audiens in brevi temporis spatio, primum quidem sub Mieczslao Duce, deinde sub filio eius Boleslao primo Polonorum Rege vehementer germinasse, et surculos territorii sui latissima propagine diffudisse, turbinem et procellam in Regno eodem excitavit, et res fidei extinguere, et quietem stabilitatemque nixus est perturbare eiusdem. Nonnulli siquidem nobiles Poloniae Sathana suggerente onerosam decimarum manipularium solutionem, onerosos Christianae religionis ritus ducentes, hi praesertim qui in superstitiis gentilitatis enutriti iugum orthodoxum non facile tolerabant, ad ritus redire profanos, et vetustam sacrilegamque vitam resumere, et decimas non reddere tempore instituto, nec ecclesias frequentare; ministrosque et sacerdotes de eorum Ecclesiis pellere, frequenti conspiratione disponebant. Id cum ad Boleslai Polonorum Regis notitiam perductum esset, non tulit fidelissimus fidei Catholicae propagator, gliscentem conspirationem consurgere, sed in ipso suo ortu illam mox extinxit, autores enim illius missis militibus comprehendit, et capita conspirationis partim capitali supplicio extinxit, partim verberibus multat, caeteros minus reos, et sola contagione foedatos, aliorum suasionem sequutos parcendum decrevit

Cogitante Stephano Beato Ungariae Regi et in animo suo firmante, ut ab administratione Ungariae Regni se subduceret, curamque rerum mundanarum a se penitus abdicaret, in orationibus et contemplatione restantem traduceret aetatem, atque in Ducem Emericum filium suum, qui illi unicus erat, fasces Regias transferret, Dux ipse Emericus continentia et in virginitate cum sponsa sua quam in sororem commutaverat, vivens, anno eodem moritur, et in Ecclesia Albaregalis coruscantibus miraculis sepelitur. Quem pater Sanctus Stephanus magno planxit moerore; quod et renunciationem Regni quam in animum induxerat interceptam, et stirpem suae propaginis per eum videbat extinctam

Vislaus

VISLAVS miles de nobilitate et armis Zabasnna confert in Monasterium Sanctae Crucis Calvimontis aliquas sui patrimonii hereditates, et Sethegius alius miles de domo Bisennium, fundato a Boleslao Chabri Poloniae Rege monasterio ordinis Sancti Benedicti sub honorem decem millium Martyrum in Seczechow supra Vislam, in Cracoviensi Diocesi, in dotem illi ex hereditatibus propriis consignat plerasque possessiones et villas

ANNVS DOMINI MILLESIMVS VICESIMVS TERTIVS

Cracoviensis Ecclesiae Archiepiscopus quartus Poppo, dominum vocante infirmatus moritur, et in Cracoviensi Ecclesia tumulatur. Ne autem Cracoviensem Ecclesiam diutius pastore carere contigisset, Boleslaus Poloniae Rex missis ad Benedictum Papam Octavum tunc sedi Romanae praesidentem, nuntiis, Gomponem virum litteratum, et expedite linguam Polonicam sonare scientem obtinuit praefici in Cracoviensem Episcopum

ANN9 DNI MILLESIM9 VICESIM9 QVART9.

Cum annis prope sexaginta Boleslaus Poloniae Rex in assiduis occupationibus et curis tempus triuisset, saepe illi ab amicis suggestum fuit, ut tandem fesso corpori aliquantulum quietis daret, curarumque tam publicarum quam privatarum molem in filium Ducem Mieczslaū refunderet. Sed dum id sibi nulla ratione persuaderi posset, animus enim ad omnia negotia obeunda vegetus et ferox saepe corpore resistente, vincebat aetatem, tunc tamen naturalem vigorem sibi profissus diminutum, administrationi Regni et expeditionem querelarum et causarum ad eius audientiam ex omnibus regionibus confluentiū, filio suo Duci Myeczslauo commendavit. Generali quoque conventu apud Gnesnam habito, Ducem Mieczslaum filiū suū probantibus et gratificantibus Praelatis et Baronibus Poloniae sibi in regno successurū designavit. Non enim magis quam de regni sui stabilimento animo suo insederat cura, praecipua quod et regni gloria et divitiarū abundantia, et finitimarum nationum subiectione, variisque quoque triumphis, disciplina militari et domesticis institutis adeo nobilitavit, reddiditque splendidum et illustre, ut omnem splendorem, omnem ornatum, famam et gloriam, omnem denique Rerumpublicarum statum, disciplinam et ordinem, ipse primus Polonorum genti, quasi quandam animam vivificantem, infuderit. Ipse quidem terminis, quos a Patre, et proavis, atavisque susceperat, parum contentus, Bohemiam, Moraviam, Russiam, bello subactas et oppressas, et caede multiplici, excaecatione quoque Boleslai Ducis Bohemiae, ceteraque strage sanguinaria humiliatas, Poloniae adiecit, fecitque sibi et Polonis tributarias et subiugales. Claruit Heroica virtute et summa animi virilitate resplenduit, ut inter Polonorum Reges et Principes sibi succedentes nemine hactenus constare satis potuit, ad suorum gestorum, et virtutum arcem pertigisse, aut illum gloria bellicarum domesticarumque rerum aequasse; ob quam honorata nuncupatione dignus Chrobry id est vir alta et heroica virtutis cognomentum sortitus est. A quo et vicus ab eo amatus ad vada fluminis Nida non longe a Vislicia, ubi et arcem sibi extruxerat, et in quam negotiis publicis perfunctus pro quiete declinabat Chrobercz denominationem accepit. Signum mortis suae haud obscurum fuit, fulgens face magna Cometis, ut plane attenderent omnes magni viri, et Reges curam fore caelestibus.

Fratres ordinis Sancti Benedicti qui in spiritu devotionis humilitatis et rigoris observantia Monasteria disciplina domino sedule famulantur, ceteris ordinibus specialius praetulit et amavit. Tali ad utramque fortunam comparatus natura et arte, ut nec fractus caderet, nec elatus intumesceret, qui sermones suos inter seria iocosque ita moderabatur, ut illius iocunditati nihil severitatis nihil severitati iocundus putaretur, magnanimus, divitiarum contemptor, quas nemo saepius concupivit, et plerique angusti animi sic amant Principes, ut eos honoris omnis et officii capiat oblivio. Hunc ego illum Regem et Principem intenderim, cuius ope et opera res divina apud Polonos

nos aucta sunt, et Poloni ex agresti ferarumque vita in urbanum mitemque cultum deducti. Amplitudinis gloria in universo pervagatus orbe, ut quantus inter Principes viros tantus inter Principes princeps emineret. de quo illud quod de Nestore literis proditum est, merito dixerim, cuius ex lingua melle dulcior fluebat oratio. Ad mansuetudinem, clementiam, misericordiam, bonitatemque se composuerat pro omni tempore, quae longe stabilior atque gloriosior quam Regni aut divitiarum est haereditas. Virtutum autem suarum id verum vel maximum testimonium est, nam quamdiu apud Polonos rerum summae praeerat, prospere cuncta succedebant, victores exercitus remeabant, res bello paceque feliciter gerebantur, arma Polonorum universam terrebant viciniam, Postea vero quam fato subtractus est, spes Polonorum retro sublapsa coepit referri. A quo et parente suo Mieczslauo fides Christiana in Polonia coepit exordium, et per quem regalis splendoris et gratiae provenit Polonis Diadematis et Unctionis Sacramentum, per illumque solum tantae rei tantique decoris Polonis affulsit et accessio et oratio. Nec inter Principes suae aetatis alterum fuisse in quo ampliora benignitatis et humanitatis reluxissent officia. Ita regnum terrenum administrans, et taliter actus suos divinis conformans beneplacitis, ut appareret illum in terreni regis solio non parva ex parte caeleste suspirare, et perficere. Facilis ad eum aditus, facilior allocutio, et cum multos multis in rebus excelleret, tamen se singulis parem praestare videbatur, promptus ad ferenda beneficia, virtutis suae sive bellum spectes sive pacem memorabilia apud Polonos relinquens praeconia. Sed in eo potissimum qui primus repudiatis falsis Dijs et erroribus, maiestatem Dei veri ac cultum eius felicissimo auspicio agnoverit, inchoaverit, ampliaverit, honoraverit

QVARTANA febre vexatus Martinus Plocensis Episcopus cum annis decem et octo sedisset, moritur et in Ecclesia Plocensi sepelitur, cui Albinus natione Romanus Decretorum Doctor per Ioannem decimumseptimum Pontificem successit.

Anno Dni

ANNUS DOMINI MILLESIMUS VIGESIMUS QUINTUS

Gravibus variisq. laboribus quibus Boleslaus Poloniae Rex et in bellis inferendis et in repellendis, et in Reipub. administratione atq. in domesticis institutis et ordinationibus occupatam et sine ullis induciis agebat vitam, consenescens et in viribus corporalibus sensim deficiens, gravem valetudinem incurrit, quae illum mensibus aliquot vexatum assidue contorquebat, medicinis quae adhibebantur nullum afferentibus profectum. Invalescente etiam morbo primum prudentissimus Rex confessione criminum suorum aliquoties repetita, et salutari sumpto viatico, Praelatos et Barones Poloniae mandavit accersiri, quibus in castrum Posnaniense ad eum convenientibus, Mire enim cum incaluerat aegritudo, coepit plures de conservatione stabilimentoq. regni Poloniae cum illis edere sermones, contestans eos per beneficia quae Regno et illis praestiterat, per coronam, quam sua virtute et sudore quaesierat et dilataverat, obligans illos atq. rogans, quatenus morte sua sequuta servarent concordiam, unionem, et charitatem, et erga filium suum, quem in spem successionis universi regni Poloniae unicum relinquebat, Mieczslaum ipsum Ducem, nepotemq. parvulum ab eodem Mieczslao ex Richssa genitum Casimirum, omnem converterent favorem et respectum, et illum in Regem assumentes, regio Diademate insignirent. Filio quoq. Duci Mieczslao tunc praesenti, et ad grabatum cum consorte et infante Casimiro assistenti longo verborum sermone praecipiens, ut virtutum suarum aemulator existens, divina in primo et praecipuo retinens cultu, consiliarios in honore, caeteros subditos in iustitia et aequitate contineret, voluptates autem mulierumq. quam maxime fugeret, et in armis tractandis occupari, severum quoq. virum se exhibere non intermitteret, asserens nationes finitimas a se armis subactas, nisi potentia et armis in fide

continerentur

continuantur, facile iugum detrectaturas, et nemo sibi ditionis et obedientie, quo gladius tenebatur abiecto, rebellaturas. Excepta autem sunt ab utrisque cum omni mansuetudine huiusmodi mandata, pollicetur insuper Dux Mieczslaus se virtutum paternarum sectatorem et operam adhibiturum quoque in qua occasione sibi regnoque Poloniae segniter se gerendo tenebras infundat. Pollicentur deinde Praelati et Barones concordiam se servaturos et prolem suam ac posteritatem omnem in regio honore atque dignitate habituros, sic optima fieri quod in Duce Mieczslauo quem diademati regio ornaturos se ultro compromittebant et sua vigere instituta et colere debent virtutes et magis. Iste Boleslaus videlicet Poloniae primus Christianae religionis fundamentos in Polonorum regionibus dilatavit, propter quod benedictionem Japhets filii Noe non immerito haereditavit, quem pater benedicens, Dilatet inquit Deus Japhets, gentilitatis enim errore et superstitione idolorum abiecta, fides et religio Christiana in cultu unius Dei pero obsequium huius Boleslai in Polonia est dilatata. Huius enim tempore Ecclesia sancta in Polonia sumpsit incrementum, in rebus et personis. Ipse enim ut in superioribus ~~cont~~ scripsimus constituit novum Episcopatus, et Episcopos limitavit, et dotavit diversis, attribuendo iis praedia castra cum pertinentiis earum, scilicet servitutis diversorum officiorum proventus rerum mobilium et immobilium tam praesentium quam futurorum apparentium, scilicet ferri, plumbi, salis, et argenti, sine exceptione, auri vero cum exceptione, et immunitatem a muneribus seu oneribus secularibus ei liberaliter conferendo, ne angariis et perangariis per officiales regios aut ducales aggravarentur firmiter statuit.

Immunitas autem et privilegia Ecclesiastica libertatis et personarum ad eam pertinentium, quam ipse suo tempore Ecclesiae diligenter exhibuit, et posteros suos sine scrupulo retractationis exhibendam voluerit, reipublicae etiam tenorem idem Boleslaus ad unitatem civium et concordiam indigenarum mutuo conservandam sagaciter ordinavit, leges salutiferas, gratia humanae societatis descriptas condidit, et edicto publico promulgavit, et variis

mitu

mitis humana coherceretur audacia, et tuta esse possit
inter improbos simplicium innocentia. Unde etiam omne ho-
minum genus pestiferum, scilicet fures, praedones, effracto-
res, concussores seu calumniatores, sacrilegos, abigeos, pla-
giarios, et caeteros maleficos, propulsando, proscribendo
de terra, proinde exterminavit. Totam praeterea Poloniae
terram pertrahentibus erroribus superstitiosis salubriter pur-
gavit, deorum gentilium culturam, quos variis erroribus
gentilitas delusa colebat, et aliarum vanitatum super-
stitionis subvertendo, penitus abolevit, et unius Dei
creatoris caeli et terrae maiestatem venerari et ado-
rari universaliter imperiosa et districta iussione deman-
dat, cuius cura, industria et opera, Poloniam Deum vide-
mus illustrasse, quia nihil luce clarius, quam recta fi-
des, quae in pectore Principis eluxisset. Unde duo ex mili-
tibus eius Baronis Voyslaus, et Setegius, regis et signi-
feri sui exemplum et documenta sequentes, duo claustra
Monachorum Sancti Benedicti fundaverunt, Voislaus
videlicet in Lyssecz calvi montis in loco alto, situ emi-
nenti, fundatoris intentione pro vita solitaria devotio-
ne fundamenta claustri iecit et erexit, vel ut verius lo-
quar, aedes eiusdem et erectas insigni augmentum praesti-
tit. Sethegius vero in loco plano viatoribus ex diversis
partibus commeantibus et ingredientibus navigantibus, com-
petenti et necessariae hospitalitati, in Sieciechow super Vislam
fluvium, Coenobium aliud fundavit et aedificavit, et u-
terque eorum pro sui possibilitate utrumque horum sigillatim de
facultatibus suis dotavit et ditavit, et in uno eorum fra-
tres Deo servientes Mariae vacarent contemplationi, in al-
tero Deo militantium et in proximi necessitate supportanda
desudantium conventus Marthae sollicitae insudaret
operationi. Ecce novella plantationis felix seminarium.
Quod enim Mieczslaus Dux fidei Catholicae suscepta plan-
tavit, hoc Boleslaus propagando dilatavit, et affectu
charitatis irrigavit. Felix igitur exordium Mieczslai in
fidei Catholicae susceptione, felicior progressus Boleslai
in Christianae professionis propagatione, felicissima prae-

stolatur pro Catholicae fidei confessione consumato, in praemij collatione praestantissimum Christi in saeculi regeneratione.

ORDINACIONE insuper Regni Poloniae expedita, ad alia rursum Boleslaus Poloniae Rex animum, urgente valetudine intendit, et quonam pacto continui sui milites et familiares praemiari deberent, de nonnullis quoque alijs privatis rebus Duci Mieczslao filio mandata, voce iam tunc labante edidit. Hinc vero consiliariorum et militum turba in aedem qua decumbebat admissa, charitate qua illi iuxta ac parenti afficiebatur, permota, monere Regem, atque ab eo doceri vehementer expetijt, quibus honoribus, qua pompa, quo ordine, quantis insuper diebus, quanto quoque tempore funus suum essent ritu et traditione Catholica prosecuturi, et tetra ac mutata veste, lugubri quoque habitu excessum suum deplancturi. Tum ille in uberes lachrymas resolutus non de sepulturae qualitate sed statu patriae, cuius etiam tunc charitate flagrabat, sollicitus, Nihil inquit aut parum interest mandare mihi aut elogij qua gloria quam dignationem a vobis post fata debitam funeris officio offerri, sed neque vanum super morte mea maerorem finito tempore fas video, quemadmodum vestra habet supplicatio, circumscribi; neque enim adeo anguste et exiguitate me reor vixisse ut operum meorum recordatio sub aliquanto tempore debeat apud vos quacunque limitatione concludi. Verum etsi vobis ordine fatorum subtrahor, consequentia tamen clarissimorum operum a me editorum, et secundo favore rerum a me gestarum, ea spe plenus decedo, ita me in vestris pectoribus celebratum iri existimo, ut non a vobis tantummodo et filijs nepotibusque vestris, sed ab universa gentis Polonicae posteritate, quantocunque aevo sit cessura, coli, mirarique debeam memoria sempiterna, et novis atque exquisitis tum laudibus tum suffragijs a genere Polonico, in regiminis mei honorem apud caelestes et quoslibet mortales attolli. Nostis siquidem a puero me taliter formatum, et inspiratione divina magis quam humana ser institutum fuisse, ut ad erigendam pyramidam, et locu-

pletandam

plificandam patriam hanc, omnes vires, facultates, et ingenia, scrupulosa contentione converterim, ac pro eius incremento, nullum laborem, nullumque periculum usque in diem hanc exhorruerim, primos quoque meis partim moribus partim virtutibus regiam illam dignitate sublimari obtinuerim, ut nemo quantumcunque iniquus rerum aestimator dubitet me et maioribus meis, et virtute, et bellica laude, domesticisque ~~[illegible]~~ institutis adeo praeluxisse, in patriam quoque tam frequenter conciliata tam immortalia beneficia contulisse, ut summa omnibus posteris nota excellentiae et nobilitatis vertex, et regiae stirpis prima et clarissima propago, patriae vero perennis praesidium, cuius splendoris auctor primarius et origo.

POST hosce sermones, dum Rex paulumper conticesceret, vox et a consiliariis proceribusque et a militibus Polonorum sublata, non patrem eum tantummodo patriae sed et liberatorem instauratorem et alterum a Lechone conditorem, triumphatoremque pacificum succlamant, dum in eius laudibus certatim immorarentur, et omnis aula regia blando murmure personaret, tandem Boleslaus Rex indicto silentio ait. Mihi quidem in praesenti agone constituto, non quo loco condar, quibusve officiis funeri meo iusta solvantur, a vobis, insidet sollicitudo, quippe qui funereas pompas per vos celebrandas nequaquam mihi viar profuturas. Altior autem me de vobis et vestra Republica distinet et singulari cruciatu conficit cura. Video siquidem et a longinquo, divinitate mentem meam inspirante, contemplor, Rempublicam Poloniae, quam speciosam atque florentem relinquo, per sectiones divisionisque vestras civiles direptum et pessumdatum iri, quantumque cruoris domesticis bellis Polonia fusura sit. quantumque caedibus me absumpto parentura contemplor. Iamque hostilium castrorum et eorum quorum armis vobis subiugaveram, fremitum, in vos et patriam hanc grassantium, exaudire mihi videor. Video et prolem prosapiamque regiam meam hinc exulantem, hostibus quos domaveram supplicem fieri, et Monarchiam Regni Poloniae in varia

dimissam

discissionum monstra scindi, et horrenda bellorum invasionum civilium, iuste Dei permittente iudicio, cuius cultum religionemque negligentius et tepidius in luxum, voluptatesque et seditionem versi tractabitis, collidi. Sola quoque hac doloris anxietas, etiamsi morbus non urgeret, animam esset exclusura, nisi multitudinem malorum imminentium spes melior temperaret. Miseratione enim caelesti propitiandum stirpi meae et vobis video Deum, proditurumque ex lumbis meis suspirio in clarissimi syderis morem alium, qui languidam et paene exanguem Rempublicam Polonam et terminos eius a finitimis occupatos restituet, qui instaurabit dissoluta, qui superbiam humiliabit hostilem, qui gladii mei capulo contemnet subjiciet, rursusque quae contra vos calcitraturae sunt nationes, Regno Poloniae reformabit, pristinumque fulgorem suo decori suisque virtutibus auspiciis et operibus infundet. Ea voce cum denuntiatione rara et debilitato iam sono, laetas et adversas res Poloniae pertinente, edita, oculorum orbibus clausis, manibusque defluentibus, animam suam Christo supplici ingeminatione commendare non desiit, donec anima corpus linquens, in praeparata sibi pro operibus, in fidei Catholicae stabilimentum saepenumero exhibitis, habitacula, ministerio Angelico, ut pia habet credulitas, tertia die mensis Aprilis est invecta. Mortuus itaque est Boleslaus Poloniae Rex anno vitae suae quinquagesimo octavo, cum annos quinque et viginti in regno exegisset. In cuius laudem et memoriam, universi Poloniae generis praesens et futura propago aptissime illud Vergilianum assidua modulatione poterit tenebitque depromere, Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt. Et illud Alexandrinum, Si vitae mentes respondet gloria famae, Nulla tuos actus poterit delere vetustas. Qui etsi funere maturo occiderit, plus tamen luctus et desiderii quam ceteri ante se Reges in Polonorum pectoribus reliquit. Vir magnanimus, et praesenti semper fortuna melior se exhibebat.

Maeror deinde ingens primum Episcopos, Comites, Barones, nobiles, ceterosque suae mortis spectatores, ex post vero vulgus promiscuum occupat, luctusque et lamentatio non solum in Regia verum in universa regione tota continuo increbrescebat.

Sed et velut

Sed et coloni morte Regis vulgata rure relicto et agricultura neglecta catervatim accurrebant, exanimi corpus optimi Regis visuri, et quamquam infimae sortis flebilitatis officium sibi impensuri. Confluxit tandem ad funeris pompam tam Ecclesiasticorum, quam militarium frequentior numerus, et corpore regio in aulam stante tristi maerentium militum, et matronarum, lamentationumque et eiulatus emittentium frequentabatur officio. Expost vero in Ecclesiam Posnaniensem perductum, iuxta magnificentiam regalem, Duce Mieczslao filio suo per praefectos regios singula gubernante dirigenteque, exequiis in dies aliquot protelatis, in Ecclesia Posnaniensi in medio conditum est, et funeri suo iustissimus honos persolutus. Tantus autem dolor universis ordinibus universoque populis super morte tam clarissimi Regis, futura ~~mala~~ mala quae illos excepturae erant, et vero iam tunc ominantibus, sceptri ingestus est, ut anno plusquam integro, quasi ex quodam edicto, dies luctus singuli agerent, matresque familiae et virgines omnem cultum abiicientes, ornamenta negligebant, conviviationes et epulae abrogatae, nuptiarum solemnitates, coetus nobilium, curiarumque celebrationes intermissae, nullus cantus, nulla salcularei iubilatio, nullus plausus, in urbibus, villis, sive etiam in agris audita sunt, omnis siquidem sexus, omnis aetas, omnis conditio, super morte tam optimi Regis diu plangendo, non se unquam parem illi autumans habitura, videbatur pro certamine conspirasse, omnes siquidem tam ingenuos quam rusticanos ex Boleslai Regis magna morte dolor pervaserat, non sicut assolet, ut fictum ostenderent dolorem in principis funere, sed vere et fideliter cuncti maerore conturbabantur, regisque sui mortem propria aerumna ducebant, adeo unumquemque ex optimatibus et inferioribus genus, mores eius, colloquiorum suavitas demulserat. Extat autem carmen a veteribus scriptoribus in laudem praefati Regis Boleslai editum, quod nostro praesenti interserimus operi, ut ex scriptorum commendatione regis praefati amplior eluceat celsitudo. Neminem enim Principem aut Regem

atque illa

Aetas illa habuit, qui diligentius, qui sincerius, qui sanctius quam Boleslaus a Polonis cultus extitisset, quod maximus fletus et maeror tam procerum, quam vulgi in funere et exequiis celebrandis et deplangendis habitus demonstravit. Dolebant siquidem quodam animi praesagio iam futura ominantes maximis incommodis ob eius mortem se non tam ipsi affectos, quam afficiendos. Deflebant quoque eum sibi subtractum fore Regem, qui cunctos suae aetatis mortales liberalitate, indulgentia, benevolentia, morum et conversationum iucunditate, humanitate, facilitate, anteiret, qui non solum rogatus miserorum et calamitosorum aut aliqua egestate gravatorum subveniebat inopiae, sed etiam ultro offerret, quae pudor petere prohibebat. Mores illius generosi et illustres ad gratiam redolentes, species decoris, et forma non negligendis, mediocri siquidem pollebat corporis statura, comosa et crispa, atra tamen suffultum habens caesarie caput, a publicis et privatis abstinendo expilationibus. benignum se per omne tempus praestitit regem, in subditos modestus, in hospites officiosus, in calamitosos et delinquentes oratu facilis, conversatione et vita nitidus, atque pudicus, optimo temperamento inter hilaritatem et gravitatem usus. Sub eodem tempore quo desidera sentire coepit, obressit, cuius adeo virtutes descripsisse sufficerent, et caeteris omnibus regibus et Principibus Poloniae futuris, virtutis exemplar et imago reluceat, quam si caeteri, qui potiuntur rerum, infra imitari vellent, meliore loco se haberent Polonorum res, minoribusque exagitarentur incommodis, instructiorem et magis cautum haberent animum, in suis actionibus, postquam regis praefati exemplis formabuntur. Cuius etiam ope et opera Poloni homines quondam barbari ex agresti ferarumque vita in urbanum mitemque cultum deducti sunt, et in mores conciliabiles et nobiles. Quae cuncta sunt quis eum Regem non probet, non admiretur, non tollat in caelum, summisque laudibus, qui intelligit immortalia beneficia populo et regno Poloniae contulisse.

HENRICVS primus Bavariae Dux cum annis viginti te regnasset, et plura bella feliciora confecisset, fine beato absumptus est, et in Ecclesia Banbergensi quam ipse fundaverat, dotaverat, extulerat, sepultus, et in Sanctorum numerum relatus, cuius festum agitur.

CORPORE REGIO cum debito honore Ecclesiastica sepulturae mandato, Praelatorum, comitum, Baronum, et nobilium Poloniae, in Posnaniensi civitate maximus habitus est conventus, ad providendum de futuro Poloniae Rege, in Boleslai locum successuro. Conformis autem frequentis tunc Senatus iuxta ac multitudinis erat sententia, ut patri optimo filius Miecislaus Dux succederet, cum etiam per patrem futurus Rex designatus foret, et propter paternam probitatem, virtutes, et merita, affinitatem insuper, quam ex parte uxoris suae Richsae cum principibus Almaniae et imperio retinebat, nulli aeque ac sibi successio et solium regni Poloniae debebatur. Sublato itaque decreto de coronando Miecislao Duce concorditer confecto, dies Dominica Pentecostes ad coronandum illum est indicta. Qua adveniente ad Metropolim Gnesnensem Princeps Miecislaus cum magna militum cohorte advenit, et in Ecclesia Gnesnensi, in die praefata Pentecostes ipse quidem Dux Miecislaus in Regem, consors vero Ducissa Richsa filia comitis Palatini Rheni, et neptis Ottonis tertii Imperatoris in reginam Poloniae per Hippolitum tunc Gnesnensem Archiepiscopum, assistentibus sibi Romano Archiepiscopo Cracoviensi, et Paulino Posnaniensi, Marcello Vladislaviensi, et Clemente Vratislaviensi, Albino Plocensi Pontificibus, Comitibusque, proceribus, et Baronibus Poloniae, inunguntur, et coronantur. Paternis autem institutis Miecislaus novus Poloniae Rex edoctus, tam Pontifices, Principes, et Barones, quam universam militiam et nobilitatem, quae ad suae coronationis solennia, velut spectaculum rarum visura, Gnesnam confluxerat, et coronationis suae die et pluribus aliis sequentibus regali mensa excepit, et officiare tractari, singulisque abunde omnibus epulas regias inferri disposuit. Distribuebantur insuper ex praecepto et ordinatione Mieczslaui regis in pauperes eisdem diebus larga elemosina et singulorum providebatur egestati. Obtulit etiam Mieczslaus novus Rex in coronationis suae die, obtulit et regina Richssza insignia in auro et argento ad manus altaris munera, sed et vestes sacras Ecclesiae Gnesnensi largiti sunt, in dignitatis prosperationem et Ecclesiae Gnesnensis honorem, suae vero coronationis memoriam perhennem. Cracoviensisque urbs eo anno conflagrata grave dispendium et incommodum pertulit.

Benedicto Octavo mortuo, qui annis duodecim diebus viginti uno sedit, episcopatu anno uno cessante Joannes vigesimus natione Romanus, ex patre Gregorio succedit, qui annis aliquot nonnullas guerras et controversias cum Romanis gessit. Scribit Petrus Damiani quod quendam Episcopus vidit praefatum Benedictum Papam in nigro equo quasi corporaliter insidentem, et dixit ei Nonne tu es Benedictus papa quem iam defunctum novimus, Ego sum inquit ille infelix Benedictus. Et quomodo inquit est tibi Pater, Graviter inquit torqueor, sed de Dei misericordia non despero, si mihi adiutorium praebeatur. Vade ait ad successorem meum Joannem Papam, et dic ei ut summam pecuniae in tali [illegible] repertam distribuat pauperibus, quia ea quam ante pro me dabat nihil profuit, quia de rapinis fuit. Quod Episcopus fideliter implens et Episcopatu cedens monasterium intravit

CONRADUS ex Principibus Almaniae unanimi Regem Romanorum dissidentibus in eius electione electoribus eligitur. Cano vero Dux cum ad imperium aspirare vellet repudiatur instinctu Albonis Maguntinensis Archiepiscopi. Henricus enim Imperator suadentibus Principibus Conradum praefatum sibi successorem designans, diem obierat, cum annis duodecim, secundum alios duobus et viginti imperasset, secundum alios viginti. Iste Conradus multas leges edidit, et pacem districtissime sub poena capitis custodiri praecepit, quem veritus Lupoldus comes de terra effugit, et rusticano in tugurio vixit, a Gregorio Sexto consecratus Roma

ANNUS DNI MILLESIMUS VIGESIMUS SEXTUS

Polonorum Rex Mieczslaus exacto integro anno, in quo patrem suum cum omni militia veste mutata lugebat, ex Gnesnensi castro in quo continuum tenuerat domicilium, versus Cracoviam, ducens secum Richssam Reginam processit, ubi aliquot mensibus exactis in fines Russiae cum militiae suae frequenti multitudine se contulit. Jaroslaus etenim atque Msczislaus Russiae Duces, morte Boleslai Poloniae Regis audita, cum magno tam militum quam popularium exercitu fines regni Poloniae invadunt, Castrumque Czyrwiensko et alia Poloniae castra oppugnant, vastatisque aliquibus regionibus Poloniae, captivos agrestis secum abducunt, et eos supra fluvium Porszy prope Kyoviam ad colendam terram locant. Certum insuper erat Ruthenos per patrem suum Regem Boleslaum subactos, secuta morte eius ad res novandas plurimum inflammatos, pleraque conspirationes clandestinas tenuisse, et ad excutiendum impositum iugum animatos esse. asserebatque illos in apertam rebellionem aliquando, nisi interim darentur remedia, prodituros. Russiam itaque Mieczslaus Polonorum Rex perveniens, principaliores ex Ruthenis capit, et captos in Cracoviam per castra distribuendos transmittit, quos aliquantis annis obsidum loco habuit, quo facto et gliscentem rebellionem oppressit, et Ruthenos in fide continuit, eisque novandi res de caetero oportunitatem ademit. Rebus vero Russiae debito ordine compositis et castris munitionibusque iusto militum praesidio, et victualium fulcimento provisis, in Poloniam remeabat, et primum quidem in Plocensem terram descendit et in illa aliquandiu ex praedicisque cantibus et querelis subditorum vacavit. Abinde vero in alios Lanczicien et Cuiavien terrarum districtus se convertens, ad solitam habitationem suam Gnesna redijt. Et quoniam filius suus Casimirus annum aetatis septimum agebat, pater illum literis applicat, et viros graves doctos adolescentem adhibet, ut illustratus scientiarum lumine ad gubernandas Respublicas Polonorum instructior ingeniosiorque evaderet. Is autem ex principum Poloniae sanguine primus deprehenditur, qui doctrinam literarum assequutus, nobile ingenium adiumento literarum amplius nobilitavit, et polivit. Caeteros enim priores Principes Poloniae in discendi literarum genere nunquam constat exercitatos fuisse. In ipso autem regni initio apparuit Mieczslaus Poloniae Rex tardus ingenio, et hebes, animi quemque inconvenientibus moribus, consilio, inceptis, actionibus, ad Regis dignitatem aut gravitatem deposcentis expediendas parum idoneus, quoniam aberrans prudentibus viris, et natura grandaevis consiliariis, iuvenum se et levium hominum permisit agi consiliis, quae quidem causa potissima fuit, cur Regnum Polonorum sub eius tempore plura detrimenta senserit, quoniam neque ipse sapienter studere voluit, neque colere sapientiae studiosos.

ANNUS DNI MILLESIMUS VICESIMUS SEPTIMUS

Interim quo Ruthenorum rebus Mieczslaus Polonorum Rex insudabat, Bohemi turpe reputantes tributa Poloniae regibus pendere, in rebellionem apertam proruunt, et Polonos quos in Bohemia reperiunt aut comprehendunt aut expellunt. Erant pro ea tempestate in Bohemia duo principes Odalricus et Jaromir filii Boleslai, per Boleslaum Poloniae Regem excaecati, apud Odalricum tamen principatus Bohemiae administratio consistebat, alter enim frater Jaromir ne consortio suo principatum sibi adimeret, aut saltem truncaret, captus ab eo et excaecatus vitam agebat privatam et calamitosam. Erat Odalrico Duci Bohemiae filius ex agresti et rusticana foemina Bozena nomine, alias Beatrice susceptus Brzeczislaus nomine, adolescens ferox et impiger. Is rebellionis praefatae primarius author existens, non Polonos solum sed et nobiles Bohemiae, et specialiter Vrszouiorum caeterosque Polonis faventes magno odio prosequebatur. Odalricus siquidem gemino sub iuramento Boleslao Polonorum Regi praestito Sacramento adstrictus, temerare illud non audebat, potentiam etiam Boleslai Poloniae Regis, et poenam excaecationis, quam pater suus Boleslaus Bohemiae Dux in ea usque tempora vivens multatus fuit, veritus. Boleslao vero Poloniae Rege mortuo, ipse quidem iuramenti conscius et rebellione abstinuit, sed illam per filium Brzeczslaum confecit, et ut a Polonis, in avi sui excaecatione atque in paterna captivitate acceptae iniuriae memor foret, adolescentem suapte in Polonorum odium proclivem, inflammare non desiit. Germano insuper suo Jeromiro sim proditoribus suggerentibus, sive quod aetatis beneficio illum sibi praeferri verebatur, effodi oculos iussit. Rusticanae feminae Bozenae nomine captus specie et amore, quamvis amici adversarentur, illam sibi matrimonio sociavit quae illi Brzeczlaum filium genuerat.

Gnesnensis Archiepiscopus Hippolitus moritur et in Gnesnensi Ecclesia tumulatur. Succedit autem illi per canonicam electionem Mieczslai Poloniae Regis accedente consensu, Bossuta, vir prudens et sagax, per Joannem Papam vicesimum confirmatus

Febri gravi correptus Clemens Smogorzouiensis sive Vuratislauiensis Episcopus annis duodecim in pontificatu exactis moritur, et in Smogorzouiensi Ecclesia sepelitur. Cui Lucillus primus Canonicus Smogorzouiensis a Capitulo electus, et Mieczslao Poloniae Rege promotus, per Silvestrum secundum Papam et per Stephanum Archiepiscopum Gnesnensem consecratus, vir Italicus genere, sed Polonica lingua simpliciter gnarus, succedit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS VICESIMUS OCTAVUS

Diuturno iugo, quo Polonis tributa pendentes Bohemi tenebantur obnoxii, per Brzeczslaum Bohemiae Ducem abiecto et soluto, renisus Brzeczslaus Dux ipse desessum igitur impune videns procedere, et Mieczslaum Poloniae Regem dissimulatione et silentio illam transire, sumit ausus altiores, et exercitu ex equestri et pedestri milite collecto, in Moraviam, quae tunc universa a Polonis tenebatur contendit, civitatesque Moraviae, quae praesidio Polonorum in fide continebantur, obsidione cingit, ad earumque expugnationem curam intendit, eo quidem maiorem, quo cives obsessarum urbium novandarum rerum studiosos, et Polonorum regiminis pertaesos, deditionem, nisi Polonorum Rex Mieczslaus obsidionem solvat, facturos indubie intelligit. Licet autem Polonorum milites in praesidiis summo mode agentes militiam, et praefecti eorum saepius nuntios ad Mieczslaum Poloniae Regem mitterent, et in quanto versarentur periculo denuntiando, auxilia sua implorarent, Rex tamen Poloniae Mieczslaus sive aliis curis publicis et privatis tunc impeditus, sive quod ad tractanda repellendaque bella, parum illi animi natura tribuisset, sive quod militiam, manu tenenda

dissimulavit

defendendaq; Moravia, Poloni detrectarent, obsessis petitum, et quammaxime speratum suffragiū ferre distulit. Quae quidem sua dissimulatio ad notitiam civium Moraviae qui obsidebantur, neq; enim eos latere poterat, quippe et ipsi per proprios nuncios Miecislaū Polonorū Regem de solvenda obsidione sollicitabant, perlata, magnam Polonorum militibus, praesidia civitatum defendentibus, perniciem inflixit. Ultima enim desperatione cives fracti, magisq; Bohemorum quam Polonorum malentes subijci principatui, facturos se Bretislao Duci Bohemiae deditionem per clandestinos tractatus paciscuntur. Apertisq; portis sub nostis conterminis Bretislaū receperunt. Unius autem vel duarum civitatum exemplum cetera sequuta, similem fecere deditionē. Crudelem autem Bretislaus Bohemiae Dux victorem se gerens, milites Polonorum quosdam quidem trucidavit, alios in captivitatem et varia supplicia egit. Caeteros qui cives et incolae Moraviae facti fuerant exilio et bonorum confiscatione damnavit, nonnullos venum dedit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS VICESIMVS NONVS

Geminatam injuriam a Bretislao Bohemiae Duce, et in tribut. ex Bohemia pensi denegatione, et in Moraviae occupatione datam, Miecislaus Polonorum Rex etsi diutius quam sat erat, pertulerit, Baronum tamen suorū Poloniae crebris impulsionibus exagitatus, expeditionem generalem regni sui in Moraviam indicit. Et collectis copiarum suarū exercitibus, in notabili potentia Moraviam ingreditur, neq; expugnationi civitatū, quae a se defecerant intendit. obstinatis enim animis intelligebat illos et reatus defectionis conscios, et praesidio etiam Bohemiae Duce Bretislao misso, munitos, obsidionem toleraturos, sed igne et spoliis mandat singula vastari. Incendebant itaq; suburbana earum civitatum quae defecerant, incendebant oppida, villas quoq; et rura. Et post plurima damna Moravis illata, praedam multam pecorū et caeterorum spoliorū secum referens Miecislaus Polonorum Rex, Moraviam et cunq; altius defectionis, Poloniam salvus cū exercitu redijt.

ANNVS DOMINI MILLESIMꝰ TRICESIMꝰ

Exemplum Bohemorum Moravorumque, praefecti castrorum civitatum, et munitionum, circa Albiam sitarum, sequuti, ab obedientia ditionisque Mieczslai Regis, regnique sui Poloniae desciscere ceperunt, ignavia desidiaque Regis, et affinitate Almanorum, quam mutuo dando accipiendoque uxores, miscuerant, eis defectionis materiam subministrante. Audiebant siquidem et plures ex illis ab experto noverant regis Mieczslaui partim mollitiem, partim inertiam, propter quam pavor, obsequella, et maiestas, patri suo quondam Boleslao Poloniae Regi a proprijs et finitimis servata, contemptum et despectum iri in filio cepit. Praefati siquidem cis Albiam praefecti conspiratione facta, neque ad iussum et vocationem Mieczslaui venire, neque vectigal solitum fisco Regio reddere, interpositis primum quidem coloratis excusationibus, quod vexationem hostilem proprio aere et milite sustinerent et reprimerent, ceperunt, sensimque et non subito defectionem sumendi, quatenus remaneret, ut caetera, impunita, callidis vafrisque et contectis speciemendarijs ingenijs conflabant. Et quoniam humana cupiditas semel concepta ambitione satiata non est, sed se in varios desideriorum et affectuum, ni in suo exordio castigata et allisa fuerit, derivat et diffundit reflexus. Praefecti Polonorum Cisalbini simplici defectione non contenti, non se iam praefectos capitaneosque regis et regni Poloniae, quinimmo nec subditos aut feudales, sed dominos gerebant et nominabant, ditionumque et principatus factis ovarum cisalbinarum, tam ipsi quam filij eorum et nepotes, suapte et propria authoritate defectionem lenibus principijs motam, sed successu temporum impunitate alitam et auctam, rege et regno Poloniae tolerante, usurparunt. Deinde eam insequi praesumptionem elationemque Cisalbinorum praefectorum proflixit audacia, et procedente tempore terras quas gubernaverant a Polonorum regno et communione secreverunt, et Ducum atque Principum sibi Diademata imposuerunt, ex quibus Marchionatus ille Brandeburgensis qui in Polonico vocatur Sgorzelecz exortus, caeteris aut subactis aut extinctis, facile superioritatem et principatum sortitus, in hanc diem perseverans, etiam per aquilam rubeam quam defert, pro insigni, Polonorum se quondam ~~fuit~~ fuisse

regnum

regnorum, quorum alba aquila universale est insigne, sed ad illorum ditionem scissam et abstrusam, nigro colore in corvinum transmutato contestans.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRICESIMVS PRIMVS

Pereunt tandem Moravorum, Bohemorum et Cisalbinorum praefecturae, ad gentes Casubitarum, Serbianorum, et eas quae insulas et oras maritimas incolebant, quas Boleslaus Rex Polonorum ditioni et imperio suo restituerat, defectionis contagio, haec quidem ut natura est humana ad res novandas prona, et quod saepius bellis finitimorum Almanorum lacessita, crebrisque praedis et spoliis hostilibus vexata, nihil defensionis et praesidii a Mieczslauo Polonorum Rege tulerant, facile a sua et Polonorum deseruerat obedientia. In variasque ditiones et proprietates scissa, nonnulla ad imperatoriam obedientiam subacta, caetera a finitimis principibus occupata, aliqua vero suis parere praesidibus, et illorum suscipere dominium compulsa sunt. Ab eo autem tempore gentes oraeque praedictae descerptae et a corpore Regni Poloniae distractae, variosque dominos et principatus sortitae per tam longum et diuturnum tempus, quod eorum defectionem secutum est, nunquam ad integritatem eius potuerunt reduci. Ex quibus famosa illa et insignis civitas Bucowiecz quae in Teutonico Lubich appellatur, consurgens, maritimis opibus et terrestribus, quae ad illam propter situs opportunitatem facile importantur, aucta, et Teutonicorum pollicia exculta, in illud usque evenit fastigium, ut principum qui illam occupaverant abrogato imperio, hactenus suis vivat legibus, et commune haud fastidiendum per se conficiat. Inde quoque et Comitatus Magnopolensis crevit, veteris nominis praeferens a magnitudine et latitudine camporum vocabulum ex duobus integris licet diversis, Latino videlicet et Polonico idiomate confectum. Henricus siquidem Imperator Romanorum illius temporis, cum Slavorum et dictarum gentium atque orarum principe, qui Nuclaus alias Niclot nominabatur, a quo et castrum insigne Michelberg nomen accepit, bellum gerens, eum tam terris, quam castris ab eo possessis exuit, et quasdam imperio adiiciens, quasdam vero militibus suis distribuens comitatum praedictum Magnopolensem asseritur primus creasse, cuius in hanc diem dictio et nomen perseverat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRICESIMVS SECVNDVS

Excutere iugum et ab obedientia Mieczslai Regis et regni Poloniae se soluere, Pomerani, aliorum defectionem et exemplum sequuti, tentaverunt. Principali enim nobili, et qui apud illos opibus, prudentia et fortitudine praestabat, fasces regiminis deferunt, eumque sibi in principem creant, et assumunt. Quorum rebellionem defectionemque Mieczslaus Poloniae Rex ad eum perlatam, molestius quam caeterorum ferens, indignam illam, et erat, tolerare iudicans, instigantibus illum Consiliarijs et Proceribus Poloniae, ne tam manifestam iniuriam, dedecus regium, scissuram vero regno suo inferentem inultam sinat iri. Itaque expeditione indicta ex omnibus terris, quae imperio suo parebant, colligit numerosum et fortem exercitum, et quo magis esset gloriosior, conspectiorque et Pomeranis quibus inferendum erat bellum terribilior, tres Duces Ungarorum Andream, Belam, et Leventam, Stephani Regis Ungariae nepotes, quos ex Ungaria ut supra monstravimus fugientes susceperat, et more regio iureque hospitij tractaverat, qui et ipsi munus huiusmodi belli et militiae sibi non negari plurimis instantijs deposcebant, assumit, ordinatoque exercitu, copijs convenientibus, in Pomeraniam exercitum traducit. Collegerat et Pomeranorum tyrannus et ex Pomeranis, et ex finitimis gentibus haud contemnendum exercitum, fortunamque tentare et cum Rege ac Domino suo Mieczslao, nihil conscientia patrati in eum sceleris et defectionis motus, quamprimum decernere et a suis et auxiliarijs tempore succedente, desereretur constituit. Itaque nihil cunctatus exercitum producit, et cum Mieczslao Polonorum Rege confligit. Augebat animum Polonis iusta ira, quod proprij consanguinei familiarisque subditi eius ultro arma inferrent, Pomeranos sceleris in Regem commissi reatus atrocitas accendebat, quapropter ab utraque parte acriter pugnatum est. Sternuntur tandem Pomerani, et Mieczslaus Polonorum Rex felici victoria potitus, authores defectionis capitali mulctat poena, caeteraeque multitudini ignoscit, Et quoniam in summo nodi pugna virtus Bellae Ducis Ungarorum supra caeteros enituit, Mieczslaus Polonorum Rex illum ut dignum erat praemians, generum eum legit, et dans ei filiam suam in uxorem, etiam universum censum Pomeranicum ad tenendum statum Ducalem sibi consignat, qui mirum in modum de tam sublimi beneficio et honore sibi praestito exultans, magna devotionis fidei offerens, et affectionis, tam Mieczslaum Regem quam Polonos colit, et pluribus annis mansione sua in Polonia continuata, ex filia Regis duos filios illic demorando Geissam videlicet et Vladislaum infantes ingenuos suscepit, Hic quoque est ille Vladislaus qui ad aetatem virilem perveniens et sceptra regni Ungariae tenuit, et ob vitae sanctimoniam in Divorum Cathalogum translatus est, Alijs placet Bellam Ungariae Ducem cum Tyranno Pomeraniae congressum, singulari illum certamine vicisse, et ob id in generum Regis adlectum esse

Absumptus est Cracoviensis Ecclesiae Archiepiscopus Gompo, dum annis novem Ecclesiam eandem rexisset, in locum autem eius Rachelinus a summo Pontifice Ioanne Papa vicesimo provisus successit, Per praelatos vero et Canonicos Cracovienses quintadecima die Augusti ad praesidendum in Ecclesia Cracoviensi in Pontificem via scrutinij celebrato generali capitulo, conformiter electus, natione vir Italicus, prosapia habens nobilem, et astronomum virtuosum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRICESIMVS TERTIVS

Quietus is annus Polonis fuit, neque aut ad inferendum bellum finitimis, neque ad repellendum cogebantur. Quamvis enim ut superius monstravimus, plures nationes et gentes a Regis Polonorum Mieczslai ditione et imperio defecissent, earum tamen defectionem Mieczslaus Rex Poloniae dissimulanter ferre, quam armis vindicare maluit. Neque enim paternus illi inerat animus, ocio et quieti marcescen celere, quam armis mallebat occupari. In luxum insuper et carnales illecebras, ut aliquorum habet assertio, diffluens, ius matrimoniale reginaeque nomen pellicum contagione foedabat. Quapropter nec proprijs tam gratus et gloriosus, neque hostibus aeque et pares exteri poterat formidandus. Sed neque bella ab eo gesta virtutis constat fuisse, sed necessitatis, non voluntatis, sed hosti aut defectionem exigenti suscepta, et Rempublicam regni sui, et dissolutam habebat, unde et odium ei a subditis exortum est. Conceptum autem ex eo Regina Poloniae Richessa infantem anno eodem progenuit, cui autem nomen in baptismo imponentes, Boleslaum illum vocavit. Non duravit tamen infans ipse; divinitate Mieczslai Regis successurus, suis transgressionibus irata, non prosperante, sed post menses aliquot tactus infirmitate, non sine utriusque parentis grandi maerore occubuit. Nihil in Mieczslao Rege sanguinis aviti, nihil paternae industriae, nihil splendoris domestici, nihil regiae munificentiae aut frugalitatis, famam denique suam et existimationem fuscam et tenuem fecerat apud proprios et exteros, tenacitatis, et suapte innatae et a consorte Regina Richessa nutritae, obscenitatis. Quam etiam proceribus videbatur pondus sui regiminis, acta sua ad nutum feminarum moderantibus, quamvis aliquanto, quod apud exteras nationes tributa pendentis orbabatur corona insignia, dum Mieczslaum Poloniae Regem attenderent regia quidem dignitatis splendere, sed morum et virtutum regiarum non habere lampadem, et ex muliebri pendere arbitrio, qui velut timidum atque iners animal pusillanimitate atque pavore obtorpuerat, vacans ventri, somno, ocio, et voluptati, non ob aliud magis apud proprios et exteros contemptui habitus, nisi quia praegravatos per iniquitatem et violentiam negligenter ad vindictam exciverat.

CUM regimen Wladislauien. alias Crusvicien. Ecclesiae Heraclius primus annis duobus de viginti administrasset, moritur, et in Ecclesia parochiali in Dzuuiczno in qua et alij duo sui immediate praedecessores conditi fuerant, sepelitur, morbo febrili consumptus. Cui Venantius vir Italicus a Capitulariter electus, et a Sergio Papa quarto provisus succedit.

Mieczislao

MSZCISLAO Russiae et Czyrnyeoviensi Duci, dum venationibus operam daret absumpto, et in Ecclesia Sancti Salvatoris quam aedificaverat sepulto, Jaroslaus Kyoviensis Dux illi, quoniam non relinquebat superstitem, in principatu successit. Monarcham se totius Russiae quod lingua Ruthenica sonat Jedinawladzcz gerere coepit. Jaroslao autem praedicto Russiae Duci apud Nowogrod commoranti, Pieczenyeczorum gens in grandi multitudine adveniens Kyow vallant, qua novitate Jaroslaus per significationem celeris nuntij accepta, contractis armisq. copiis in Kyow advenit et cum Pieczenyeczis obviam illi euntibus congressus fortiter depugnat. Utrisq. autem pro victoria annitentibus caeduntur Pieczenyeczi et multi dum fugere contendunt, suffocantur in aquis, caeteri vivi capiuntur, aut fugantur. In signum autem victoriae in loco certaminis Ecclesiam Sanctae Sophiae ante conflictum votam Jaroslaus erigit, quae post honore Metropolitano est insignita. Eodem anno nascitur Jaroslao Kyoviensi filius, et imponitur sibi nomen Wyaczyslaus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS TRICESIMUS QUARTUS

Nondum Mieczslaum Polonorum Regem senectus grandaeva affecerat, nondum morborum aut curarum onere pressus, diem fato propinquam creditus est tenuisse; vegeto siquidem tunc et strenuo corpore erat, neq. illum quisquam rebatur moriturum. Ut post nondum annum quinquagesimum supergressus, sive tamen naturali cursu id agente, sive Deo permittente, sive aliqua vi morbi quae ex lubricitate et petulantia provenire facile poterat, eum exagitante, in amentiam decidit, qua crebris vicibus non sine cruciatu corporis vexabatur. Quo quidem miserando casu suo, et defectio regimini nationumq. quae a suo desciverant imperio confirmata, stabilitaq. est. et rursum etiam hi qui in tuenda fide continebantur, ad defectionem spectare coeperunt. Habebat siquidem sui languoris intervallum alleviamen, et quasi spacius lucidi intervalli illi adveniebat, redituroque ad bonam mentem et valitudinem sperabatur. Casimirus spes et salus tota nationis in fide, et militis in ordine retinebat. Administratio autem Regni apud Rixam reginam erat. et singula ex eius arbitrio et ordinatione gerebantur. Verum dum mensibus aliquot, neque medicorum industria neque virtute herbarum grassantem in Regem morbum potuisset dissolvere, aegritudine ingravescente quintadecima die mensis Martij mortuus est, in castro Posnaniensi. Ad cuius exequias et domesticas Praelati et Barones Poloniae literis et nuncijs Ricszae reginae accersiti conveniunt, et funus regium debito et iusto honore prosequuti, in Posnaniensi Cathedrali Ecclesia exequias peragunt. corpusque regis in patrum sepulchro recondunt. Habebat quidem et Regina et Primatis Regni dolor ingens super Mieczslaui Regis sui occasu, sed dementiae respectus afferebat lenimen, postquam morte Regis sublatu fuit tanti nobilitati; quo et ipsi et Regnu afficiebantur. opprobrium. Christianae quidem religionis cultor praecipuus verum paternis moribus longe dissimilis, ille enim bello promptus, hic segnis, ille armorum exercitio regni Poloniae dilataverat imperium, hic amiserat, ille et proprijs et extraneis gratus et formidabilis, hic exosus et contemptibilis, ille in singulos liberalis, et munificus, hic tenax et parcus. Sub quo et vires Polonicarum legionum frangi, copiae profligari et terror in discrimen ac pavorem verti, et singula ad perniciem relabi propter eius ignaviam coeperat

Q bellis ad religionis Jaroslaus Russiae Dux conversus, plura monasteria non solum virorum, sed et foeminarum, pluresque Ecclesias in Kyow fundat, et aedificat. Extruit denique sumptuoso muro Ecclesiam Sanctae Sophiae, cuius turrim tabulatis deauratis tegit. Ecclesiam vero vasis aureis, et argenteis, libris et vestibus preciosis dotat, nobilitat, et exornat. Portam insuper Poloniam respicientem pro sua et urbis magnificentia demonstranda, largissimo et profuso sumptu aedificat, eamque auream vocari iubet, quod portas illius laminibus et culminis tabulatis deauratis ornaverit.

ANNUS DNI MILLESIMUS TRICESIMUS QVINTVS

ad substituendu

De substituendo in locum Mieczslaui Regis Poloniae defuncti novum Regem Polonorum Proceres apud Gneznam et Posnaniam aliquot tempore conventus, pluribusque deliberationibus et tractatibus interpositis, de formando stabiliendoque novo regni statu discordabant. Aliis enim placebat filium Regium Casimirum iam annum aetatis ſmū ingressum coronari, et in principatum assumi, aliis aetas Casimiri tenera et nimis iuvenilis, principatuique nondum apta videbatur, verebantur nonnulli ne paterna dementia recoleret in illo mixtura. Scissis itaque procerum votis coronatio Casimiri Regis nati dilata et impedita est, in tam grandem periclitationem perniciemque grassata, ut regnum ~~aliquando~~ egregie Boleslai primi Regis institutionibus, ministeriis et armis gloriosum et inclitum, pene usque ad internecionem, ut in sequentibus narrabimus, perduxerit. Coronatione autem et institutione futuri Regis suspensa et dilata, placuit ut circa Richessam reginam Poloniae et certos curatores ex Baronibus Poloniae sibi adiunctos regiminis summa consisteret. Habet et nonnullorum assertio, Casimiri filii Mieczslaui coronationem tunc caeterisque impeditam magis quam suspensam fuisse, quod genitrix sua Richessa regina maritum suum Mieczslaum Regem suis consiliis et persuasionibus tam regalium quam militarium villarum rusticis, varias Dacias, suffragia, collectas, et tributa in singulis praecipuis festivitatibus pro mensa et coquina Regis solvenda, imponi induxerat. Morte quoque Mieczslaui regis mariti secuta, solutionem huiusmodi Daciarum, quam Barones et milites summopere instabant rescindi, regina volebat continuari. Nec latebatur ut filius Casimirus patri in Regno successurus quicquid ex paternis institutis minueret, quapropter magnam filio, maiorem sibi apud Baronum et militarium animos conflavit indignationem et invidiam, eo usque gliscentem, ut Rempublicam suam pessumdatum iri passionibus non temperando sinerent, sed et proceres nec dicere nec facere quicquam pensi habebant, dummodo reginam cum infante Casimiro propellerent, non attendentes quod expulsione huiusmodi se et Rempublicam suam obstinatione animi perditum irent

Ioanne Papa vicesimo mortuo, qui sedit annis undecim decem et cessavit Episcopatus diebus duobus, Benedictus nomine, qui et Theophilactus, natione Tusculanus ex patre Alberico succedit, vitae lubricae, ob quam eundem specie ursina et asinina apparens damnatum se perpetuo significavit

Posnaniensem Ecclesiam dum Paulinus Pontifex annis quindecim perprudenter et studiose rexisset, post diuturnam valetudinem febrilem morbo superante remedia, moritur et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur, cui Benedictus primus natione Siculus ex Neapoli ortus, non sine gravamine cleri post biennium succedit

Civili bello orto a Richssa Regina et filio suo Casimiro sevienti inter Polonos et pendente interregno, anno Domini millesimo tricesimo quinto, a Benedicto Papa octavo provisus Benedictus primus natione Siculus, et a Stephano Gnesnensi Archiepiscopo consecratus successit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRICESIMVS SEXTVS

Turbo dissensionum et Scismatum, qui ex morte Regis Mieczslai livore Baronum et militarium in Reginam Richzam pervadente conflatus fuerat, amplius invalescere et vires plus solito intendere coepit, omnibus siquidem culpa in Reginam Richzam per Barones et militares retorta, primum successionem Regni et susceptionem Diadematis Cazimiro adimunt, deinde et furorem civilem sensim exerunt, nam etsi pluribus tributis, Datijs, et Sonerantijs regina Richzae fabrica et ingenio introductis, si hucusque homines querebantur militares onerosa servitute gravatos, amplior tamen illos cruciabat amaritudo, quod servitutem ipsa Regina Richssa authoritas et industria non sinebat iuxta preces militarium aliquotiens apud eam et filium Cazimirum repetitas abrogari. Hy tamen omnibus maxima acerbitas, fatis iam Poloniae aspirantibus accessit. Ipsa siquidem Regina Richssa, etiam Regis Mieczslai marito superstite, diuturno tempore, et postquam e vita subtractus est Polonos perosa, mores eorum et conversationem fastidiens, regnicolas interdum sugillatione carpebat. Ducebat insuper et in curia sua et in officiis Almanos, neglectisque et ut verius eloquar contemptis Polonorum proceribus et eorum filiis quantumcumque primis et ingenuis, quemlibet Theutonicum sortis et conditionis tenuis et infimae hominem in conferendis officiis et in largiendis pecuniis praeferebat. Verum etsi ludibrium huiusmodi in vita Regis Mieczslaui, Poloni ad gravem iniuriam et contumeliam referrent, rescindendi tamen illud non se rati habere potestatem, aequius sufferebant. Ubi vero occasio et facultas delendae publicae ignominiae oblata est, tanto livore, tantoque recepto odio in reginam, sed nec tunc quidem iustae eorum indignationi morem gerentem, universorum Polonorum exasperata succensaque sunt pectora, ut primum omnem obedientiam administrationemque Regni, tam reginae quam filio suo subtraherent, deinde sibi castris et civitatibus caeterisque possessionibus ademptis, regia etiam illam excluderent, et postremo cum filio de regno Poloniae excedere, et in Almanos, quos tanto dignabatur honore, transmigrare iuberent. Regina siquidem Richsa post mortem mariti Myeczslai Poloniae Regis regebat regnum Polonicum, nutriens in sceptra adolescentem Casimirum, quem ex Mieczslao Rege ut primisimus susceperat. Foemina quidem virilem gerens animum, et post Christi religionem non fucata, pietati et virtuti dans operam, sed quae habenas Polonici Regni parum prudenter et civiliter visa est Poloniis administrasse, virium enim suarum et femineae conditionis immemor, felicitatem in stultitiam vertit, nullo graviori consilio usa, primum contemptum habere nomen Polonicum coepit, despiciens omnes, ac sola universa pro imperio agens, nulli praeterquam Almanis sua credere consilia, Polonorum aspernari, potiores magistratus in Almanos conferre, Polonos abiicere consueta. Quarum rerum indignitate moti Proceres Regni, in stultitiam reginae et filii sui Casimiri stulti et ipsi conspirant, viamque scelerati et ad ultimum dementis consilii arripiunt, Reginam Richzam cum infante Casimiro, ne quoque adultus, morum maternorum foret sectator, expellunt, damnationeque iniusta atque indigna, neque sexus neque conditionis et aetatis miserati, utrumque exiliant, nunquam infestius, nunquam de sede patria, de templis, de delubris, foris, et pignoribus consulendo acerbius, cum tamen Cazimiro infanti velut innocenti, et omnis contentionis atque culpae maternae ignaro, etiamsi gravius quicquam deliquisset, et propter aetatem et Boleslaum avum fuerat ignoscendum. Sed nihil furore populari stultius, nam et Scipionem, Alcibiadem et Annibalem, ubi et quo pacto non exulari modo, sed et mori inimicorum iniuria et populi coegit ingratitudo

CREBRIS itaque iniurijs et molestijs Rixa Regina Poloniae a proceribus et militibus Polonorum affecta, et ne in se et in filium suum Cazimirum, Polonorum ira gravius quicquam aliud consuleret, verita, de Polonia in Saxoniam in Magdeburg et Brunswig fuga excedit. Filium quoque suum Casimirum secum educit. Secumque diu contenta omnem in auro argento gemmis et lapidibus pretiosis suppellectilem per Boleslaum et Mieczslaum Poloniae Reges congestam, magnique ponderis et valoris, duas coronas quibus Reges et uxor Boleslai primi Regis, et tandem ipsa Rixa coronatae erant, sed et plura alia clenodia, monilia, vasa, et insignia rarijs et praestantibus gemmis, unionibus, et caelaturis fulgentia, item pecuniae Regiae et thesauri grandem quantitatem effert et exportat, Poloniaeque regnum ingenti thesauro spoliat. In Saxoniam autem perveniens, Imperatorem primum adijt, a quo officiose et venerabiliter suscepta, duabus coronis quas secum ex Polonia detulerat, Imperatorem honorant, et de iniurijs quibus a Polonis afflicta fuisset questa, se ipsam et Casimirum filium in tutelam et gubernationem Imperatoris commendavit. Et Imperator quidem misso in fines Poloniae exercitu, iniuriam eius superstitibus vindicare aggressit. Ipsa vero pro his quae ex Polonia detulerat plurimas et insignes possessiones et sibi et filio suffecturas emit. Ut autem filius suus Cazimirus ad virtutum pertingere posset specimen, in studium cum Galliarum Parisias temporis processu transmittet, ubi Polonico nomine Cazimirus, quod illius expressione et sono difficile et barbarum videbatur, mutato, Carolus coepit dominus vocitari. Ex regina autem exul facta ostendit proverbium vulgare verum esse, secundam fortunam stulto nequaquam posse esse diuturnam.

Messeco

Error insuper aliquorum habet, quod Cazimirus filius regius matre sua Richssa regina in Almania exulante, ipse in Pannonias ad Stephanum Vngarie Regem diverterit, licet Bohemi illum ad se venire invitarint, non ex benignitate sed ex livore, et facibus suum procurarent interitum. A Stephano autem Vngarie Rege humane habitus, et muneribus pluribus onustus, discedens ad Imperatorem, ubi genitrix sua Regina Richssa morabatur, advenit. Cuius expulsio universam fere Poloniam impendenti ruina involvit

Languore podagrico aliqua diu vexatus Lucillus Smogorzeuien sive Vratyslauien Ecclesie Episcopus, moritur, et in Szmogorzouiensi Ecclesia sepelitur, annis novem functus officio pontificali, cui Leonardus primus Smogorzouien Decanus, natione Italus, genere nobilis, interregno apud Polonos durante, promovente tamen illum Richssa Regina Polonie Miecislai relicta, per Benedictum Papam Octavum provisus, et per Stephanum Archiepiscopum Gnesnen confirmatus successit.

Boleslaus Dux Bohemie a Boleslao Chabri primo Polonorum Rege excecatus, et filius suus Odalricus, quem prefatus Boleslaus Polonie Rex ex suo ergastulo liberum dimiserat, moriuntur. In quorum locum quia Jaromir a fratre suo Odalrico excecatus, propter carentiam visus, succedere non poterat, nepotem suum Germanum Brzetislaum Odalrici filium ex rusticana et praeignobili femina genitum, surrogatum in Bohemie ducatum, pluribus persuasionibus illum commonens et exhortans, ut genus Vrsouiczensium Bohemie Ducibus semper infidum et infestum, quorum suasu excecatio sua et patris provenerat, poneret in exterminium sempiternum. Quam contumeliam unus ex genere predicto Kochan, gravius ferens, prefatum Jaromir alvum purgantem, lancea acutissima per posteriora transverberans, miserabiliter extinxit. Sic sub unius anni spacio Boleslaus Dux Bohemie cum duobus filiis absumpti sunt, et regina Polonie Richssa cum filio unico Casimiro ex Polonie regno exulati exiliati, vt suspicio est annus ille et Poloniae Regibus et Bohemiae principibus fatalis extitisse.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRICESIMVS SEPTIMVS

Richza Polonorum Regina cum filio Cazimiro ex Polonia recedente, intestinis dudum ciuilibus dissensionibus, seditioni amplius et conflictibus tumultuari regnum Polonicum coepit. Res quoque omnes publicae, aut in seditionum spectare, aut in solo discordiis versari, et quasi quaedam tabes vniuersum Regni Poloniae corpus, seditionibus vndique, commotionibus et guerris peruasit. Et primum quidem inter proceres, Barones, et militares crebrae clades oriebantur, per quas dum praecipui bellatores et ingenui homines absumpti deletique mutua caede forent, in locum illorum vilia seruorum mancipia, praebentibus illis cunctis bellis audaciam, succedebant. Baronumque et militarium peremptorum coniuges et possessiones, interfectis, si qui relinquebantur, liberis, occupabantur, et suas in illis caeterisque ingenuis feminis et matronis explebant libidines, et incestus. Vbi vero tantorum scelerum factio sine impunitate, neque enim iam leges in metu, neque primores in aestimatione habebantur, procedebat, illico seruorum, rusticorumque agros et aratra linquentium, maximus numerus conflatus est. Qui cum Ducibus a se lectis, primis correptis, passim omnibus nobilibus, omnibusque bonis bellum inferrent, et singulos quos vincebant bonis eorum exturbatos, occupatis, aut direptis obtruncarent, in caeteros, quos subigere non poterant, vicos, villas, et ea omnia, quae eorum ditionis esse nouerant, inflammando, crudeliter debacchabantur. In hac quoque tempestate, neque templis, neque sacris, et ministris Dei delatum est. Sed rapacibus et sacrilegis manibus, templa magis insignia et locupletia spoliata, bona Ecclesiarum direpta, in sacerdotes quoque vario genere mortis saeuitum est, alii enim mucronibus et lanceis perfodiebantur, alii iugulabantur, caeteri lapidibus quasi quaedam victima a prophanis hominibus, qui non solum fidem et religionem, sed omnem pietatem et humanitatem

maritatem a se abdicaverant, obruebantur, Ad ri
tus insuper gentiles et prophanos nonnulli redeundum cen
sebant, et ob id contra ius fasque, omnia divina atque hu
mana permixta erant, plures quoque Ecclesiae desertae, fe
rarum, animalium, et bestiarum erant cubicula. Tan
tus quoque belli civilis fremitus et strepitus, contagione qua
dam animis multorum invectus fuerat, ut singulae Re
gni Poloniae partes, verso in propria viscera gladio, aut
mutua et cruenta caede, aut incendiis et populatio
nibus agrorum flagrarent, omnia itinera suspecta, et
viae spoliantium praedonum latronumque plena. Rarus exta
bat locus, qui conspectu ac latibulis insidiantium non sca
turiret, solis vix volucribus lacerata patria tuta et
pervia tellus erat. Agrestes quoque his vexati assi
duo spatio malis, desertis, quibus in pace insudare
consueverant, agricultura, et ligonibus, in praedones
rapacissimos converterant, maxima quoque rerum Polo
nicalium tam commutatio quam confusio, incessit, reman
sitque terra populis vacua, sanguine plena, lacrimis
madida, orbata incolis, destituta filiis, confusa caedibus,
infecta cruore, destituta defensione, et omnium suorum
solatio desolata, eoque gemitibus immersa prorsum, ut se
ditionibus domesticis, in se ipsos manus verterent, la
trociniis gravibus afflictarent, teterrimis cladibus
se invicem consumerent, consurgunt brevi latrones et
sicarii, latronumque et sicariorum duces, qui non finiti
morum sed propriorum populantur agros, praedantur
domos, substantiam diripiunt, tecta exuunt, pecora abi
gunt, et in omnia infanda grassantur. Provincia denique
omni turbata non longinqua solum sed etiam interiora
regni et propinqua collidebantur, ipsa videlicet Plo
censis regio, in qua Maslaus unus ex nobilitate, po
culorum quoque regiorum subpincerna, et ipse Regi olim
Miecislao charus, quod scelus in aliis et abhorrere
et vindicare debuerat, committens, se Plocensium prin
cipem gerere coepit. Ita Polonorum primores et proceres
non sentiendo, non videndo, excaecante ira, quo amen
tiae progressi forent, quid periculi et insaniae in se, quid
in patriam, quid in penates, quid denique in Deum, et re
ligionem suam, eiiciendo Casimirum innocentem, ac omnis

culpa

culpae expertem, occiderunt, tarda aestimatione pensare et scelus facti sui paenitere coeperunt, portentum facile ausum, facinus patratum, non supplicationibus, non hostiis, sed proprio sanguine, patriae insuper calamitate et interitu ac perpetuo tributo expiaturi, seditionis denique domesticae, caedisque intestinae, et clandestinae proditionis exemplo apud Polonos vastae, Rempublicam Boleslai magni institutis nondum arudatam pessundederunt, Domesticis insuper calamitatibus, Bohemicum accessit nihilo domestico et civili periculosius, qui in Poloniae regnum omni genere crudelitatis grassati, pereuntem suapte regionem Polonorum, quoque maturius perire dominium operam navarunt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS TRICESIMVS OCTAVVS

Civili et plusquam civili nobilium videlicet et popularium furore, regnum Poloniae Brzetislaus Bohemiae Dux intelligens debacchatum et collisum, et suo Regi atque principe destitutum, invadere illud decrevit, paratam praedam et amplioribus incrementis afferre, nullam illinc sperans se resistentiam habiturum, constituit. Ad quod illum non solum accepta in excaecatione avi sui Boleslai Ducis Bohemiae, per Boleslaum Poloniae Regem sanctae memoriae, iniuria, sed livor et odium, simulque occupandi alieni regni aut saltem exterminandi stimulabat ambitio, et prava voluntas. Collectaque nobilium et agrestium multitudine, Poloniam ingressus, civitates eius magis opulentas et insignes, Wratislaviam videlicet et Posnaniam, oppida quoque, vicos et villas, quas civilis furor nondum deleverat, diripit, et exurit. Ad Gnesnensem tandem Polonorum Metropolim pervenit, illam, quoniam nec situ nec arte munita erat, sed neque defensores habebat, facile capit. Et quoniam in urbe tam vulgata et famosa nobilem praedam suae avaritiae, sicut rebatur, suffecturam, neque enim illic nisi vilia mancipia relicta erant, non reperit, ad praedandum derobandumque sacra et templa animum ambitiose aestuantem convertit. Sed clara omnipotentis Dei dignatio, potentiae suae virtutem ostendens, miraculi prodigio, in sacrilegum maximum et praecipuo suo praedatorem thesauro, providit, et quantum sacrilegii facinus, profanus et impius Bretislaus esset admissurus, monstravit. Dum enim Dux ipse Bretislaus Ecclesiam Sanctae Mariae Metropolitanam Gnesnensem spoliaturus advenisset, in ipso limine et aditu tam ipse quam omnes milites sui et universa plebs caecitate et morbo Lethargiae, quod illos amplius quam triduo detinuit, quoties Ecclesiam irrumpere, et sacra diripere tentabat, fuere percussi. Ipsa autem durum illorum trium spatio agni caelestis, qua Polonos verbere sua plaga mulctari, non ad extremum tamen consumi permisit, procuratione iudicio, pauci ex ministris Ecclesiae Gnesnensis, qui, caeteris metu belli perculsis, diffugientibus, remanserant, corpus Beati Adalberti Pontificis et Martyris in ea veneratum, quod verisimiliter Bohemos existimabant sublaturos, de loco, in quo annis plurimis universali notum quieverat, abstraxerunt, et in loco vili sabulo obrutum reconderunt. Sub illis quoque diebus Bretislaus Bohemiae Dux in quaque propinqua, vastationem iusserat extendi, et agrestis rapi, in eam spem adductus, ut discordia Polonorum intestina, sua quoque vastatione infesta Republica Polonorum dissoluta, Bohemia fieret augustior

Iam Bohemos et Ducem eorum Bretislaum exanimatos Lethargia et caecitas a spolio in sacra perpetrando trium dierum continuatione deterruerat, ~~Reg~~ Resque apud eos prout dignum erat in prodigium et religionem versa futuri sacrilegii facinus, et eius magnitudinem demonstrans, conceptum furorem dissolvebat. Severus tamen Pragensis Episcopus, qui bello iniusto huiusmodi se miscuerat, et eisdem praesens aderat, Bohemorum animos suapte in praedam et spolia proclivos, ad prosequendum coeptum scelus animat, et accendit, asserens Lethargiam et excaecationis mora modum, non propter in sacra Ecclesia Gnesnensi per eos committendum spolium, sed propter veteres Bohemorum praevaricationes et scelera in Catholicam religionem, abutendo illicitis connubijs, perpetrando homicidia, committendo adulteria, sectando ebrietates, sabbata diesque festos operibus servilibus violando, incestuose vivendo, sepulturas mortuorum, in locis prophanis, neglectis aedibus et cimiterijs sacris faciendo, et templis spolia inferendo, pauperes opprimendo, iniusta iudicia exercendo, commissas accusasse. Ad quorum expiationem Pontifex Severus Pragensis, Duci et Bohemis triduanum ieiunium indicat. Quo expleto iureiurando execratorio se astringunt, ab omnibus erroribus facinoribus quibus hactenus se inquinaverant, cessaturos. Post haec Ecclesiam Gnesnensem ingressi, dum solita non ferirentur caecitate, ad diripienda singula sacra, et omnem Ecclesiae supellectilem, rapacium animorum et manuum ingluviem, facere eorum diminutatem excedentes proposito, intendunt. Corruptis autem Ecclesiae Gnesnensis, qui remanserant, ministris, non probris solum et cruciatibus, sed etiam amplissimis promissis illos sollicitant, ut ubinam corpus Beati Adalberti Pontificis et Martyrij depositum sit, ostendant. Et illi quidem prudenti et industriosa vafricie usi, corpus Gaudentij Gnesnensis Archiepiscopi, et beati Adalberti germani ostendunt, illudque fore corpus beati Adalberti mentiuntur. Creditum est illico a Bohemis, nam et Sarcophagi locus et ornamentorum Pontificalium, quibus vestitum erat corpus Gaudentij qualitas, fidem figmentis praestinebat. Tollunt itaque Bohemi corpus Gaudentij et immensa laetitia putantes se corpus beati Adalberti Martiris adeptos esse exultant, et vulgaribus canticis Ecclesiam Gnesnensem replent. Deinde illud magna solemnitatis

pompa

Corpora de Ecclesia efferunt, et in castra sua traducunt. Quae quidem ludificatio iustissima Dei lege et providentia evenisse Bohemis credenda est, qui enim virum Dei et suum tunc Pontificem plurimis probris contumeliis et iniuriis viventem affecerant, qui eum geminata vice de sede sua ignominiose eiecerant, quique sanctissima caede fratres suos et universum gentis suum odio et livore necaverant, cuius sacrum corpus, Polonis qui eum susceperant, honorificaverant, cuius monitis salutaribus paruerant, cuius corpus ex Prussia transtulerant, auferre divinitati detrimenti inducti sunt indigni. Sed nec sanctus ipse passus est ossa sua ad gentem Apostatarum referri, quae quantum in ea erat, et in praesentem in se et in absentem in suos saeviens, sui nominis memoriam conata est ex rerum natura pertinaci animo tollere et abolere, et quorum viventis consortia solitus est fugiendo aspernari, ab eisdem non tulit corpus suum contangi, neque in Bohemiam ex Polonia auferri.

Convertit post praemissa Brzetislaus Bohemiae Dux animum ad caetera sacra diripienda, Et quanquam fratrum et Martyrum corpora, videlicet Joannis, Benedicti, Isaac, Matthaei, et Cristini, quos sub Boleslao primo Polonorum Rege in loco ubi nunc est oppidum Kazmierz heremiticam vitam in arctissima conversatione agentes monstravimus Martyrium passos, quasque Boleslaus Rex primus ex locorum passionis Gnesnam transtulerat, imaginem insuper crucifixi ex puro auro per Boleslaum primum Polonorum Regem fabrefactam et trecentas trahentem libras triplici pondere corpus eius ascendentem, item tres tabulas quibus altare maius ad ornatum fuerat auro puro, et variis preciosisque lapidibus et gemmis superbas, per eundem Boleslaum Poloniae Regem donatas, caeteraque Ecclesiae Gnesnensis vasa et clenodia rapit, et sacrilego facinore Ecclesiam Gnesnensem pluribus suis sacris ornamentis et decoris spoliat, Neque his contentus campanas nobiles et in magnitudine valore atque sono raras aufert, et cum his omnibus et populi

rusticani

rusticam utriusque sexus multitudinem, quam captam tenebat, in Bohemiam reversus est, et Pragam in vigilia S. Bartholomaei ingressus, sacras praedas in Ecclesia maiori Pragensi collocat, et deponit, captivos vero rusticos Polonorum, inter quos et sacerdotes ministri Dei videbantur, tanta enim erat Bohemorum crudelitas, ut nec a Christis Domini manum continerent, in colonias deduci distribuique ordinat. Corpus Sancti Christini unius ex quinque fratribus, Moravis instantius petentibus, Olomucensi Ecclesiae, quae nondum tunc Cathedrali fungebatur honore, donat, quod apud illam in hanc diem sub tabulis argenteis auro tinctis requiescit, suoque titulo et nomini Cathedra Olomucensis extitit dicata.

STEPHANUS Vngarorum seu ut verius loquar, Pannoniorum Beatus Rex fati sibi instantis diem praesentiens, cum orbus et sine liberis foret, de regno Vngariae antequam vita excederet, ne Schismate et seditionum cumulo illud contingeret involvi, ordinaturus, mittit in Nitriam, ut Vazul patruelis sui Michaelis filius, quem ille ad honestam captivitatem reprimendo suam insolentiam Rex Stephanus damnaverat, adducatur, illum enim sibi in Vngariae Regno deliberaverat successorem. Vxor autem Beati Stephani Regis Gisla Regina, Vulhelmi Ducis Burgundiorum filia, et iuxta assertionem nonnullorum, soror Henrici Imperatoris, decretum mariti sui satagens rescindere, et fratrem suum Petrum, ex uno quidem patre, sed ex altera matre, sorore videlicet germana Beati Stephani Regis genitum, et qui in aula Regis Stephani velut nepos suus annis pluribus moratus, et a Rege Stephano ex Venetiis arcessitus, princepsque creatus Militiae, multorum Vngarorum favores et benevolentiam procurante Regina Gisla, sibi conciliaverat, in Regnum Vngariae promovere, Vazul excaecari, auribusque truncari, et per omnia difformi, inutilem atque despectum effici subordinat. Quo malo Beato Stephano Regi Vngariae nunciato, febri correptus, et dolore nimio vexatus, quintadecima Septembris in die videlicet Assumptionis Dominae nostrae Budae dum annis sex et quadraginta regnum Vngariae administrasset, moritur, et in Albam Regalem relatus, flente cum vniverso Hungarico populo sepelitur, vbi diuinitate praestante, meritis suis varia in languidis peruenire coeperunt miracula, quibus expost largius crebrescentibus, Rex beatus Stephanus in catholicorum numerum ascribi meruit, et transferri. Diebus autem planctus expletis, postquam omnia sancto corpori Stephani Regis fuerunt ab Vngeris persoluta, Regina Gisla, et Buda Hungariae Baroni, cuius tunc inter Vngaros maior erat reputatio procurante, dum nemo de semine regio filijs Wladislai calui, videlicet Andrea Bella et Leuanta, in Poloniae Regno exulantibus, et filijs Michaelis obtruncatis extaret, Petrus Vuilhelmi filius, et Beati Stephani Regis nepos ex sorore in Vngariae Regem assumitur, et in Alba regali per Strigoniensem Archiepiscopum et ceteros Vngariae pontifices, consentiente in eum vniversali Baronum Vngeriae decreto coronatur, qui primus apud Vngeros peregrinus Rex perhibetur fuisse. Annalia autem Vngarorum eum non ex Burgundionum genere sed stirpis Theutonicae fuisse testantur, Beati Sigismundi Burgundionum Regis germani ex fratre nepotem.

QVAESIVERAT autem filio suo Casimiro Regina Poloniae Richza, dum iam in Almaniae terris consisteret, ampliora virtutum et industriae vltra dotis naturae ornamenta, ipsum studijs liberalibus imbuendum, Parisios, adiunctis domesticis paedagogis et servitoribus, datis necessarijs sumptibus et cetera supellectili, transmittit. Qui insitam habens ab annis teneris virtutis iucunditatem et ipsius laudem in actione consistere, non ideo tamen se studiosum et docilem praestitit, vt sciret, nisi et scita magis magisque operando exerceret, et alijs non sibi soli proferret.

CASIMIRVS filius Mieczslai Polonorum Regis qui et Carolus nominatus, cum in Parisiensibus scholis integro biennio studijs operam matre Regina Richza impensas largas ministrante, dedisset, et plures coetaneos suos tam ingenio et arte quam forma excederet, coepit apud universos opinione et fama celebris haberi, erat enim corporis effigie formosus, statura procerus, membrorum robore insignis, sensum, vivacitatem, atque integram virium valetudinem, et cui boni mores virtutesque iuxta ac literae erant in voluptate, Veritus autem nec aliquanto gemitus sui et fortunae, in qua erat, tam conditio quam qualitas, quam privati et in mysterioso velamine in eam diem occultabat, prudenter; variis aestibus mentis et spiritus colludebatur, et an ad patriam rediret, aut in Almania vel Galliis consisteret, militiamne aut Coelibem sequestram sortem mallet, longo tempore deliberabundus fluctuabat. Quoties enim naturali et ingenito ardore patriam repetendi cogitatu et desiderium sibi inseruisset, toties exilii incommoda, regni et civili et hostili bello subsequuta desolatio, et vastitas, gravius quoque et timorosus in se procerum Poloniae animus et defectio, susciperetur an excluderetur, ambiguitas, matris quoque solennis iratae dissuasiones et consilia, propositum submodo direprimebant. Si vero in Almania aut Galliis subsistendi cogitatio animum subiisset, subito graves sugillationes et ipsa exilii ab omnibus obiicienda exprobratio occurrebat. Tantis igitur fluctuationibus quassatus, et pro vitando detergendoque opprobrii dedecore, et pro consequenda caelesti regni sorte et splendore Monasterium ingredi, et in regulari observantia Christo militare in animum induxit, Ea quoque deliberatione, velut medio optimo, quo singulas incommoditates vitare posset, assumpta, ad Beatum Romaldum, qui per ea ~~sanctitate~~ tempestate, magnae sanctitatis, ut erat, vir habebatur, in Italiam ex Galliis descendit, donatoque ei pulcherrimo quem ex Polonia habuerat caballo, et quibusdam, cuiuscunque generis, sortis, conditionis, et fortunae, quibus tenebatur desiderio innotescens, confirmationem ab eo sui propositi, et indumentum Monasticum recipiens in Gallias rediit atque in Monasterium quod Cluniacum vocitatur, frequentissimo Monachorum numero celebre, in ordinem S. Benedicti, matre sua regina Richessa desiderio suo favente, se recepit, et tonsurari, suppressa generis sui neris sui et conditionis excellentia obtinuit, habituque Monachorum assumendo, illic perpetuo delitescere, et in proposito continentiae et religionis sanctae, cuius in loco praedicto diligentia et arcta observantia tunc florebat, omne tempus vitae in obsequiis divinis absumere decrevit. Monasterium autem praefatum Cluniacense tam amplissima dote per Francorum Reges provectum extat, et tanta Monachorum multitudine refertum, ut duodecim priores totidem cohortis Monachorum sub suo regimine et cura habentes, et abbatem tredecimum assidue tenere consueverunt

Jaroslaus Russiae Dux intelligens Poloniam proprio et externo bello implicatam et plurimum attritam esse, collecto forti exercitu terrestri et navali itinere venit in Mazoviae oram, et eam igne, caede, et spoliis populatus est, magnisque spoliis patratis, magno insuper hominum utriusque sexus numero capto Russiam se recepit

Inter haec mala, has quoque civiles et externas Poloniae regno iudicio Dei inflictas clades, erant Bossutha Archiepiscopo Gnesnensi viro religioso et optimo, nocte et interdiu pro pavoribus, luctus fletus, et lamenta, ex quibus magnopere angustiatus et afflictus, ad horam extremam perveniens, tabefactum spiritum et mansionem suam ferosum, emisit, In Ecclesia Gnesnensi tumulatus, Cui Stephanus primus per promotionem Leonis Octavi interregno durante, nobilis de domo et familia Pobodze, habatum album transversaliter cum cruce rotunditati habati superposita in campo rubro deferens, successit genere et patria Polonus

Finit Liber Secundus

INCIPIT LIBER TERCIVS

ANNVS DOMINI MILLESIMꝰ TRICESIMVS NONVS

Gravem et enormem Gnesnensis Ecclesiæ depraedationem, per impium Brzetislaum Bohemiae Ducem, et suum exercitum, in sacrarum et Deo dicatarum rerum sublationem et in Bohemiam asportationem commissam, Metropolitanus Gnesnensis Stephanus primus, qui successit Bossutho, moleste et amaro animo ferens, Rachelini Archiepiscopi Cracoviensis, caeterorumque Episcoporum Poloniae communicato consilio, nuncios notabiles Romam mittit, coram summo Pontifice et Cardinalibus de perpetrato per Ducem Brzetislaum et Bohemos sacrilegio questuros. Qui cum urbem accessissent, et coram Benedicto Papa Nono, audientia obtenta, nephanda Ducis Brzetislai et Bohemorum facinora, sacrilegia in Deum et Sanctos eius, spolia in sacra et templa, caedem et captivitatem in orthodoxos et fideles Christianos omni fideli narratione exposuissent, Severum quoq; Pragensem Episcopum adducunt omnium sacrilegiorum huiusmodi participem et conscīu fuisse, sacrilegiaq; singula ex eius suasu et consilio fuisse patrata, Pontifex Romanus non secus quā iustum erat motus, longam cum Cardinalibus alysq; qui tunc in urbe aderāt praelatis tenuit deliberationem, et tum omniū pari unanimiq; sententia execrabile scelus in Gnesnensem Ecclesiam admissum, mucrone Ecclesiastico vindicandum censeretur, diversa tamen edebantur in modo correctionis inferendo ~~[illegible]~~, vota, et alij quidem decernebant Brzetislaū omni Ducali honore et fidelium communione privandum esse, alij perpetuum in exiliū agendum, Episcopum vero Severum Pragensē a Pontificali gradu deiiciendū, et in Monasterium pro expiatione tanti sceleris perpetuam in illo poenitentiam acturum, tradendum damnandumque esse. Hij tam Ducem Bretislaum Bohemiae, quam Severum Pragensem Episcopum usque ad plenam omnium sacrorum restitutionem anathematizandos fore. Haec quoque ultima sententia velut mitior et media ab omnibus accepta est. Verum quia sedes Apostolica parte altera non audita, decreta sua promulgare non consuevit, personalis contra Ducem Bretislaum et Severum Episcopum citatio promulgatur. Quorum Nuncij dum Romam advenissent, et pro scelere sacrilegij diluendo, verba coram summo Pontifice facerent, scelus ipsum de quo per Ecclesiam Polonicam incusabantur, non diffitentur Ducem Bretislaum et Episcopum Severum admisisse, non temeritate inquiunt improba, sed devotione et pietate forsan stulta. Sanctorum ossa caeteraque sanctuariorum vasa ex Gnesna sublata et in Pragam relata sunt, Belli enim iure, quod Polonorum genti inferebat, credidit se spolium illud iuste Bretislaus Dux noster et populus Bohemicus admisisse. Tum vero Papa Nuncijs correptis stultam etiam et deliram eorum excusationem ostendit, nec licere in quantumcunque iusto bello Ecclesias Dei suis sanctuarijs et rebus Deo dicatis spoliari, aut ossa Sanctorum de locis Catholicis, sine sedis Apostolicae speciali autoritate et consensu transferri, cum bella hominibus, non caelitibus et sacris indici renunciat. Proinde aut singula sanctuaria Ecclesiae Gnesnensi caeterisque Polonorum Ecclesijs erepta restituerent, aut tam Ducem Bretislaum et Episcopum Severum Pragensem apostolico severo rigore excommunicandos. Legati vero Bohemorum omnium ablatorum restitutionem Ducis et Episcopi nomine repromissa, tam Ducem quam Episcopum ad complendum quae verbo promiserant obligant, largis sermonibus pollicendo tam Ducem quam Episcopum decreto Apostolico in omnibus devote et humiliter parituros. In hac pollicitatione et obligatione dimissi, plerosque Cardinalium Bohemorum nuncij adeunt, plurimisque largitionibus et promissis illos sollicitant, ut suis consilijs et suffragijs Decretum Apostolicum de restituendis sanctuarijs Ecclesiae Gnesnensi rescindant, aut si rescindere non possent, respectibus aliquibus executionem eius suspendant. Inescati Cardinales pretijs et precibus coeptum in

Sacrilegum Principem seueritatem, et ipsi remittunt, et Apostolico remittendam persuadent. Non conuenire, aiunt, grauitati Apostolicae Ducem Bohemiae, qui per nuntios suos omnia illicite recepta restituturum, et praeceptis Apostolicis se exhibet staturum, censuris aliquibus percelli, et in singularem contumeliam publicam, principem parere paratum adduci; ne iniuste irritatus ad rebellionem se iustam conuertat. Multifaria tunc erat sedem Romanam ambientium, et de ea contendentium collisio, nam Sabinensis Episcopus, qui se Siluestrum nominabat, et Joannes Archipresbiter Sancti Joannis ante portam Latinam qui Gregorius Sextus, contra Benedictum nonum Papatum usurpabant. Quapropter persuasio Cardinalium, censurarum promulgationem conceptam mente contra Ducem Bohemiae dissuadentium, tunc facile admissa est, et iusticia Polonorum concertatione Simoniaci et Scismatis de Papatu prolata et impedita, et suppressa. Polonorum pontificibus illam promouere et sollicitare desistentibus, bello insuper ciuili Poloniae regnum premente emarcuit

ANNVS DNI. MILLESIMVS QVADRAGESIMVS

Iam Poloniae Regnum quondam gloriosum et laudabile, catenus vero miserandum et miserabile innumeris cladibus bellisque partim domesticis partim hostilibus et extrinsecis adeo perculsum exhaustumque erat, ut praecipuis militibus et ciuibus trucidatis aut captis, nihil in illo nisi vastitas et desolatio cerneretur. Villae siquidem et oppida colonis et habitatoribus aut extinctis aut diffugientibus rara poterant reperiri, et hae ipsae vel incineratae vel semiustae, vel collapsae, agrorum perierat cultura, singuli negociatores exulauerant, fora non frequentabantur, omnia in ruinam et perniciem reciderant, alia exterminata, alia praecipitata, alia languidata, alia deformata, alia occupata erant. Nulla pars Reipublicae ab uniuersali malo immunis et intacta erat, vicinae quoque nationes per circuitum Poloniam aut lacerabant affligebantque, praedis, direptionibus, et spoliis aut subigebant, et iniusto suo dominio atque iuri, eius oras et regiones mancipabant. Eo demum periculo usque negociis compertum est, in omni Republica Principis ~~potentiam~~ praesentiam plurimum valere et absentiam

incommoda conferre. Conspiciebantur in singulis Boleslai
Chabri primi Polonorum Regis vaticinia, quibus moriturus [illegible]
erat Poloniam demerito civium exigente, et conquassandam
bellis, et diripiendam a nationibus. Inter tot autem et tam
frequentia mala, quibus Polonorum gens atterebatur, id erat
illi unicum remedium et solamen, quod plerique illorum in pa-
ludes stagnosasque et silvestria ipsis etiam feris vix pervia
intrabant loca, ubi et pecus fortunasque suas condebant. Ca-
teri vero praedarum et bellorum diuturnitati pertaesi, aesti-
mantes mala huiusmodi in tempus amplius duratura, cum
fortunis et pignoribus in regiones trans flumen Visla, versus
Russiam et Lituaniam sitas diffugiebant, credentes se amne
transito imminens malum declinasse. Et quoniam Ploczen-
sis terra intrinseco malo minus correpta fuerat, fugientium
caterva in eam quasi in quoddam firmum praesidium fre-
quentiam divertebant. Erat ea tempestate inter Ploczenses
proceres, vir quidem animo ferox Maslaus nomine Mecz-
slaui Polonorum Regis pincerna, qui expost terrae illi ex suo
nomen dedit. Is quia ceteros et genere et ingenio praesta-
bat, et expellenda Richesa Regina cum filio Casimiro auctor
principalis fuerat, facile vigente communi disturbio, summam
regiminis arripuit, purpuram assumit, seque omnium oram
illam inhabitantium, partim dissimulatione, partim con-
sensu Principem erigit, et omnium sibi, primo quidem mo-
nendo et exhortando singulos, et quae deformata fuerant blan-
de corrigendo, dominium et ditionem usurpat. Adscitis
insuper undique omnibus, qui pro ingenio praedae et rapina-
rum percupidi essent, quive studio ad extendendum statum
suum et dominationem flagrarent, authoritatem brevi
et nomen apud Ploczenses adeptus est, et fastu dolisque
omnibus ad fallendum callidus, Mazoviae populos variis
promissis inescatos, in dominum se et Principem recipi obtinuit.
Neque enim tunc difficile erat invadere principatum, sin-
gulis de summa rerum trepidatione desperationeque ani-
mo volventibus, et ad privatam salutem tuendam, quam
sibi a quoque praestari desperabant conversis, regno si-
quidem per cladis et calamitates externas et proprias

diuiso

diugo, diripientium vastationem non potuit effugere. Incanduerat enim ira altissimi, nec addidit diutius Polonorū quibus provocabatur, tolerare scelera, sed gloriam illorum quā hactenus sustentabat tollere permisit, et confundi, fatoq; quodam maligno, et ut verius dicam Polonorum vitio et demerito, Polonorum res ad summum perducta, rursum ad infimum velocius quam ascenderant relabebantur.

Omnibus autem in Poloniae Regno Rempublicam per desperationem deserentibus, nihilq; salutare in medium conferentibus, patriae occasum cum suo exitio prospicerent venturam, arcibus aut locis palustribus et invijs proceres et primores incolae operiebantur. Respublica Polonorum, vehementi et interno et externo hoste deformata, et ad extremam penè internicionem detrita et depressa, cum singuli quasi quadam tempestate fuissent iactati, splendor quidam veluti e caelo demissus, pectora primorum inspiravit. Pontifices enim et Barones Poloniae crebris tractatibus exiguas vires et exangues reliquias salvare cupientes, de summa rerum, et quonam modo status prior et facies Reipublicae reddi posset, consultabant, et omnium quidem sententia congruebant, sine Rege et Principe nec mala exorta despelli, nec ad debitum ordinem Regnum posse deduci. In eligendo tamen et assumendo Principe erant varij et diversi, quibusdam enim placebat, aut ex vicinis Principibus, aut ex proprijs militibus Regem legi. Sed haec quoq; sententia multas secum futuras difficultates et incommoda, in eligendo principatum detrectaret, si de Principum, in in contemptum fastidium aut abusum, si de proprio genere foret, trahens damnabatur. Alijs placebat expulsum et exulatum haeredem et filium Regium Cazimirum quaerere, et omnibus modis ad regni reducere regimen, quo vivente, quemlibet iustum et prudentem Principem regnum Poloniae et lacerum et deforme abnuiturum, Neq; parum premendam prolem regiam, cui haereditas et successio debebatur. avitaq; in Casimiro speranda indoles, Neq; alium extare Principem qui Rempublicam Regni Poloniae aequè posset et abrogare deformitates, et instaurare ruinas. Indignum insuper esse Boleslai magni primi Polonorum Regis beneficia et impensam et in sese praestita oblitteratum iri, nepotemque suum eo regno privari, cuius ille virtutis sua excellentia primus meruit Diadema. Haec sententia cum ab omnibus collaudanda et accepta foret, dicentibus iudicantibusque singulis proceribus, regnum Poloniam suam dignitatem suumque statum, nisi Rege Casimiro recuperato, recuperare et tenere non posse, post multos itaque tractatus, post varias altercationes, simultates et tumultus, finem dissidiis in hunc modum placuit ponere, modumque statuere odiis, solusque Casimirus dignus visus est cui Regnum legati communi voto eligendi deferrent. Quem Deus Omnipotens in sua indignationis nubilo, misericordiae suae non oblitus, quasi scintillam modicam pro Polonorum restauranda gloria voluit conservare. Pontificibus interim et Palatinis, ex quibus maxime Ecclesiastico videbat et saeculari statu, universum corpus apud Polonos ad promovendam Rempublicam continuatur consilii, nonnullisque aliis Baronibus, paucis tamen admodum in Gnesnam Metropolim iterum convenientibus Stephanus Gnesnensis Archiepiscopus dicere orsus. Quo in loco, inquit, res nostrae sint proceres dicere non expedit, iuxta enim omnes intelligitis. Eo calamitatis et perturbationis ventum est, ut si rem nostram publicam esse salvam volumus, apud remotas et ignotas regiones exulatum a nobis Casimirum sollicitis studiis requiramus, supplicaturi exuli et suasuri reditum, qui adolescenti, et innocenti maternarum transgressionum noxas parum iuste imputabamus. Finem dicendi Archiepiscopo faciente, circumspectantibus caeteris omnia alia consiliariorum remedia, licet plerique novum creari Regem, plerique gubernatorem Regni deligi consulerent, nec satis inter Pontifices et proceres de eligendo Rege conveniret, nihil tamen salutarius praeter unum et illud in praesens et futurum, ad levanda crebrius mala grassantia et grassatura occurrebat, quam ut pulsum a se Casimirum regni principem et haeredem quaesitum irent, repertumque reducerent, eiusque se ditioni et defensae permitterent, facile ad eius regressum furias omnes collisionesque et concussiones regni extrinsecas et intrinsecas quieturas. Ipsumque quod sic, quod matrem ignominiose eiecissent, maternis progeniei non ferendis iniurijs, ut sunt ingenia humana ad levandam propriam culpam, et ad sperandum meliora, mitioraque nimio plus facienda arbitrabantur, si alium eligere in Regem pergerent, veriti se et suam electionem vivente haerede, et renunciationem non faciente, repudiatum iri. Securius se omnia acturos si Casimirum vel fatis subtractum, vel iuri cessisse nuntijs renunciantibus cognoscerent. Nuntij posthac ad quaerendum Casimirum designantur, et mittuntur eo mandato, authoritate et instructione fulciti, ut pro illius reductione etiam quaeque difficilia subeant, cum in illo uno omnis spes miserabilis patriae consistat.

Nuncij autem Polonorum publica executuri mandata arrepto itinere primum in Almaniam divertunt, et Richssam Poloniae reginam, Mieczslai Poloniae olim Regis relictam, in Brunsuig degentem offendunt, cui cladium et malorum, quibus Poloniae Regnum pressum est, magnitudinem quam et ipsa ex rumoribus intelligebat, sigillatim exponunt, rogantque, ut ubinam terrarum aut gentium filium suum Casimirum invenire possint, eis fideliter edicat et declaret. Regina autem Richssa etsi suas filijque exulationis iniurias ultum ipsi gaudebat, calamitatum tamen magnitudo etiam muliebrem passionem superabat, propter quod regno Poloniae tam miserabili et afflicto non compati non poterat, spirituque compassionis impulsa, vivere quidem filium suum Casimirum, sed in religionem sacram beati Benedicti transisse, et Monachalem habitum et statum in Cluniacensi Monasterio in Gallijs sito professum esse demonstrat, satisque vereri illum a religionis proposito regni terreni cupiditate distrahi non posse. Et spe concepta legatos frustrandos esse terruisset relatio haec etiam quantumcunque viros constantes, legati tamen Polonorum, nihil eorum quae a Regina pro ipsius difficultate et securitate commenticie dicebantur, perculsi, honorata Regina Richssa

de se

ac his, quae secum ferebant, muneribus, in Gallias profecti Cluniacum tandem perveniunt, et Ducem suum Casimirum Monachali habitu vestitum recognoscunt. Obortoque lachrimarum imbre certatim in eius ruunt amplexus, felicesque se et beatos astruunt, quod principem suum tanto labore quaesitum, vivum et incolumem repererunt. Apud quem petita audientia, et de iubendo Abbatis Cluniacensis obtenta, verba faciunt. Omnium, inquiunt, Pontificum, Procerum, et nobilium Regni Poloniae nomine ad te venimus Princeps clarissime, orantes, qui solus Regnum nostrum, imo tuum Poloniae labefactatum, attollere, et disruptum redintegrare, tuerique et erigere potes, quatenus ad regnum Poloniae te per nos reduci, et illius sceptra successione paterna tibi debita regere velis, neque preces nostras et totius patriae neque fatigas nostras, qui te per varias regiones, nationes et populos discurrendo quaesivimus, despectum iri sinas. Seditiones sedaturus Polonicas et intestinas, eradicaturus illorum discordias, hostes abacturus, ab eorum faucibus regni tui erepturus reliquias. Iacet enim infelix Polonia frequenti squalore proprio et hostili oppressa, olim suo imperio cum illam atavus, avus, et genitor tui administrarent latissima, nunc vero rapinis, incendiis, vastitate, seditione, templorum direptione, hostili vexatione concussa. Noli committere ut te per tot terrarum spacia fatigati quaesiverimus frustra, te enim unum ~~o~~ omnes spectant, omnes intuentur, tu unicus es qui nostris spebus respondere, qui regnum Poloniae multifarie scissum et deformatum in suum decus et gloriam vindicare potes. Si nos deseris quem implorabimus, si despicis quis sublevabit. Perpetrasse deinde se, et eorum quorum fungebantur legatione, iniusta et gravi dilapsos se fatebantur facinora, suppliciter exorando, ut se meliorem erga eos quam erga illum ipsi fuerint, exoratusque se mitem et facilem, et si quondam ingratis, nunc tamen supplicibus vel charitati vel respectu patriae exhibeat.

Recognoscit Casimirus Dux regni sui proceres, et de illorum adventu iubilo immenso cordis iocundabatur et exultat. Quid tamen agat, quem affectum, quem vultum legatis et proceribus Poloniae, adventus quorum causam, ipsis praesentibus, habebat non ignotam, exhibeat, penitus ignorabat. Iam enim regulam Beati Benedicti professus erat, iam et Diaconatus gradum susceperat, alienique iuris et arbitrij factus, etiam communionem conversationemque cum legatis, non nisi Abbate permittente, nedum regressionem in saeculum, sibi noverat professionis virtute interdictam. Quae cum Polonorum legati, Duce eorum Casimiro referente, didicissent, Abbatem Cluniacensem conveniunt, congressique muneribus sibi praesentatis, cur et unde venerint exponunt. Varijs inquiunt et diuturnis domesticis et externis cladibus ob absentiam Principis sui Casimiri in exilium iniustum factione procerum actum, Regnum Poloniae adeo pressum et vexatum est, ut miserabilibus eius status et conditio etiam hostibus et inimicis commiserationem excutiat. Neque enim per nos eius calamitatis et ruinae satis depromi et enunciari possent, quod primum civili discordia et furore, deinde hostium undique impendentium invasione, pulso suo splendore et gloria, quibus usque ad invidiam abundaverat, exutum est, et multifarie deformatum et direptum, caedibus enim continuis ad consumptionem, vastitatemque redactum, stupris inquinatum, libidinibus pollutum, spolijs et praedis attritum, divinis et humanis profanatum, in fide vacillans, in religione oberrans, in moribus et legibus proprijs motus sequens. Ecclesiarum Dei et ministrorum eius, omnique Ecclesiasticae libertatis iura pessundans, et proculcans. Ac sacrilego ausu possessiones et bona diripiens, in omni scelus et impietas non desistit grassari. Et licet pro curandis rescindendisque tot malis, plures viae tentatae sint, nulla tamen earum spes nostras implevit. Omnium itaque Polonorum tam Ecclesiasticorum quam saecularium, qui relicti sumus sententijs declaratum est, regno Poloniae salutem aliter pervenire non posse, nisi Principis nostri, quem in tuo monasterio reperimus, reductione. Quapropter tam nostro, quam eorum, quorum legatione fungimur, nominibus, exoratum tibi Pater honorande videmus, quatenus ~~[illegible]~~ pro his temporibus acerbitatis, calamitatum, pressurarum et desolationum, quibus regnum Poloniae attritum erat, attendens. Principem nostrum, Monachum vero tuum, nobis reddere, et in regnum suum Poloniae illum remittere non graveris. Altius gratiusque Deo sacrificium in purpura, quam in Cappa, per administrationem instaurationemque paterni et aviti regni, profligationem malorum, propagationem bonorum, quam per regularem professionem et observantiam exhibiturus. Abbas autem Cluniacensis vir ipse eruditus et industrius, prudentium tamen et expertorum virorum communicato consilio, Polonorum legatis respondit, se quidem ad gerendum petitioni et requisitioni eorum morem ex compassione et affectione singulari, ut calamitates Poloniae Regni depelli et sanari possint, benevolum atque promptum esse, non tamen sui iuris potestatis fore, ut et Monachum et Diaconum a religione professa emancipet, et in terreni regni regimen praevaricata professionis suae te~~[illegible]~~nore sedere permittat. Proinde supremum in terris tribunal, supremamque potestatem sedem videlicet Apostolicam Romanam, et Vicarium Christi adirent, et necessitate publica Poloniae Regni, eiusque conditione et statu summo Pontifici declarata, principem Cazimirum recte deposcerent. Ea benignitate Pontificem summum scire esse, ut afflictorum et calamitosorum precibus non possit non moveri, et regno, cui suapte debetur miseratione propitiationem non praestare; se vero Apostolicis mandatis in remittendo absolvendoque Monacho quam gratissime pro salute publica pariturum.

CLUNIACENSIS Abbatis responso Polonorum legati accepto, etsi illos non mediocris habebat molestia et amaritudo, quod Principem suum prout animo destinarant, regulari professione et Diaconatus ordine intelligerent irretitum, duplicemque illum nodum non sine plurimorum laborum et difficultatum interpositione solvendum. Omnia tamen etiam in extrema devenirent se progressuros, dum

modo salutem referre possint patriae miserabili et afflictae.
Ex Cluniaco facto discessu rectiori quo possunt itinere
Romam contendunt, quo cum molimine pervenissent, a
Benedicto Papa nono, benignam audientiam sortiti, quibus
bellis, quibus cladibus, caedibus, et spoliis Poloniae Regnum
tum ab extraneis, tum a propriis propter carentiam et exi-
liationem stirpis regiae, usque ad internicionem confectum sit,
quibus quoque ex causis restitutio stirpis eorum Casimiri,
per Abbatem Cluniacensem negata sit, declarant. Diffi-
cilius inquiunt Pater Beatissime relatu est calamitas, qua
Poloniae Regnum et superioribus annis afflictum est, et ha-
ctenus affligitur, hostibus, et propriis in unius exterminium
quoddam furore incensis et exarmatis, vnico [illegible] siquidem
haerede et principe nostro Casimiro nobilissima stirpe re-
gia, ob invidiam maternam, genitore absumpto, pulso,
omnis pernicies illud invasit, longoque bellorum tractu,
privatione pacis, varias cladium amaritudines expe-
riri compulsum est. Sacra enim divina et humana pro-
phanata sunt. Sacerdotes et ministri Christi aut pulsi
aut necati, primores Regni in parte notabili deleti,
matronae nobiles et virgines stupratae, civitates et vici
conflagrati, regia omnis supellex direpta, multi illu-
stres et nobiles viri multis vulneribus trucidati,
multi in praedam et servitutem tracti, multi gladio
et fame consumpti, populus igne et ferro vastatur,
cultus Dei desinitur, civitates, oppida, castra spolian-
tur ac evertuntur, iustitia exulat, furor augetur, boni
premuntur, scelerati crescunt, virtus omnis marcescit,
vitia dominantur, Coenobiorum, monasteriorum caeterorumque
locorum Deo dicatorum, quae devotione Christianorum prin-
cipum erecta, constructa, dotataque fuere, attentata
subversio, et ut multa paucis complectamur, adeo ve-
hementi bellorum et cladium stridore, regnum Poloniae
penitus consumptum et deletum est, ut nullum desolatius
desertiusque et vastatius esse videatur. Ne autem

regnū ipsum

Regnum ipsum et a propriis et a finitimis nationibus proculcatum, in Barbarorum et Schismaticorum, contra quos hactenus militando strenuissime scuto suo ceteras Christianorum regiones tuebatur, ditionem convertat, supplici lugubrique magis ejulatu quam voce orare legati coeperunt, ut regno calamitoso et perdito, velut religionis Christianae parens consulat, principemque illi suum Casimirum in Cluniacensi monasterio consistentem, non obstante quod Monachum professus, et gradus Diaconatus adeptus sit, reddat, ex te enim Sacratissime pater nostra et totius populi Polonici salus et restauratio pendet, tu solus patriae nostrae potes sanare discrimen, tu bellorum furorem inhibere. te patria nostra invocat, te intuetur, ad te fiducialibus precibus recurrit, tui maxime interest facili authoritate et decreto ei praestare et quietem et gloriam salutem et integritatem. per te regionum nostrarum sanari precantur vulnera, quibus praeter te nemo mederi potest, ut Respublica Regni nostri Poloniae saeva discordia miserabiliter prolapsa, in pristinam prosperitatem, pace confecta, vigore resumpto, divinitate propitia, resurgat. Maturato opus esse, ne cito subversum fuerit, de capite, de fortunis ingentium, de totius insuper Regni Poloniae corpore actum fore. Nec semel Papam et Cardinales petere volentes, frequentius petere et instare perseverabant, rogantes ne se irritum spei abire post tantos labores, fatigasque et tristi responsum referre in patriam paterentur. summus Pontifex benignitate paterna Polonico regno, miserabilibus cladibus obtrito, non aliam habenti faciem, nisi sine capite truncum corpus, sine oculis frons effossa et facies tenebrosa

LEGATIONE Polonorum Benedictus nonus audita, quid facto opus foret, aliquanto tempore cum Cardinalium collegio ceterisque timoratis viris et jurisperitis deliberat. Res enim et supplicatio nova et sine exemplo ad se delata, non parum in utraque parte difficultatis et periculi secum trahens, alta longaque indagine, et lucubratione eam digerere summum Pontificem impellebat. Nam et ex Monacho Diaconoque Laicum efficere, solenne quoque religionis et continentiae votum dissolvere, transgressionis in

divinae

diuinam legem facinus cuiusuis censebatur, et laboranti afflictoq; regno non prouidere patientis crudelitatis, quae a Sede Apostolica, benignam se omnium matrem vocitantem, longe abesse debet, erat specimen. Mouebat varie Sanctitatis virum, facies miseranda legatorum, vilis et obsoletus habitus, vultus supplex, demissa supercilia, verborum humilitas. Intellexit siquidem vir Apostolicus propter defectum Ducalis regiminis, multas Polonis iacturas accidisse, militum defectionem, populi concussionem, regni depraedationem, fidei subuersionem, Episcoporum et Sacerdotum indignã oppressionem, virginum deflorationem, coniugalis pudicitiae contaminationem. Itaq; post varios tractatus et consultationes in re hac habitas, dum plures via Polonorũ legatis a summo Pontifice propositae velut dura et intoleranda respuerentur. Ea tandem et a summo Pontifice decreta, et a Polonorum legatis accepta est. Princeps Kasimirus Polonus, dispensante summo Pontifice, Cluniacense monasteriũ exeat, habituq; regulari et gradu Diaconatus abdicatis, solutus, et liber, patrium et auitum regnum instauraturus illud resumat, nubendi et in spem Poloniae Regni successores generandi habens plenam potestatem. Polonorum regiones et regnum in signum praestiti per Sedem Apostolicam, accepti; in magno suae maiestatis articulo beneficij, Beato Petro et successoribus suis Romanis Pontificibus de quolibet capite, nobilium capitibus circũscriptis, usualem nummum annis singulis soluere, Caesariem capitis et comam barbaro more non nutrire, sed auribus patentibus ad instar Catholicarũ et Latinarum nationum tonsuratum caput gestare, et in praecipuis Christi et virginis matris eius festiuitatibus, panno lineo albo in stola modum dependente, ceruicem exornare perpetuo reddantur astricti, quatinus his tribus insigniis et ex Monacho et ex Diacono Apostolicae commissioni et benignitati (dum aliter concretum periculum depelli non posset) Polonis regem sibi creatum et redditum recognoscens, tam in Deum quam in religionem Christianam consistat gratior, atq; deuotior. Et tunc demum summus Pontifex legatorum precibus annuit et Casimirum illico precario Regem donat, nexum religionis et susceptum ordinis vinculum solvit, uxorem illi ducere, et filios procreare concedit, dona tamen Apostolica exemplar non habentia, nec unquam alicui personae aut regioni concessa, rata esse decrevit, si illa lex a Polonorum legatis suscipienda et perpetuo servanda observarat. Placet aliis non Benedictum nonum sed Clementem secundum Casimirum Polonis Regem reddidisse, quam diversitatem propter plures sub eo tempore de Papatu contendentes, reor provenisse. Benedicto enim nono eiecto, Episcopus Sabiniensis qui Silvester vocatus est, substituebatur, sed eo quoque eiecto Benedictus sedem recuperat, quo altera vice eiecto, datur Papatus Joanni Archipresbitero Sancti Joannis ante portam Latinam, qui Gregorius Sextus dicebatur, qui cum esset rudis literarum, alterum Papam ad res Ecclesiasticae officij exequendas secum consecrari fecit, quod cum multis non placuerit, tertius superinducitur, qui solus vices duorum impleret. Uno igitur contra duos, et duobus de Papatu altercantibus contra unum, mortuo Gregorio Henricus Imperator contra duos Romam accedit, et eis Canonica et Imperiali censura depositis, Suidigerum Bambergensem Episcopum, qui Clemens Secundus dictus est, in papatum per vim substituit, a quo Henricus imperiali Diademate ornatur, et benedicitur, Romanis sibi promittentibus et iurantibus, se sine ipsius consensu nunquam Romanum Pontificem electuros. Haec autem tributi perpetui in regnum Poloniae impositio, quantum attulit regno oneris, tantum et contulit, ne Reges suos a quoquam iniuste occupari vel mutilari possint, perpetui roboris verificante solutionis tunc impositae numismate, iuris regni Poloniae se regionem fuisse et esse, et occupantes atque occupatos assidua, de mala fide depravata conscientia, obiurgantem voce.

CONRADUS imperator sub iisdem temporibus moritur, et in Ecclesia Spirensi sepelitur, cui filius suus adoptivus Henricus tertius et gener, qui dudum patre vivente in Romanorum Regem electus et constitutus erat, octuagesimo sexto loco ab Augusto in imperium successit, iocundus et
bellator

bellator, in sylva natus erat, et ibi ad occidendum traditus, sed cum Deo protegente illaesus evasit adhuc puer, Cuius beneficii memor consequutus imperium, in loco nativitatis suae fabricavit et dotavit insigne Monasterium.

RUTHENORUM monarchia et universali principatu Iaroslaus Russiae Dux non contentus, famam et gloriam apud exteros quaesiturus, finitimis Graecis bellum infert, filiumque Vladimirum natu maiorem, gravibus iam ipse ad sustinenda belli munera, cum exercitu frequenti in navibus contra Constantinopolim transmittit, sed tempestate ingenti exorta franguntur naves Ruthenorum, et classe dissipata milites Rutheni cum Duce suo Iaroslao vix siminimi Continentem attingunt, pedestrique itinere Russiam regrediebantur, Quos Graecorum nonnulli milites ab Imperatore tracti missi non desinebant particularibus certaminibus et infestationibus lacessere, donec praelio inito Graecis fugientibus Rutheni evasere victores

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRAGESIMVS PRIMVS

Restitutioni principis sui Casimiri, qui et alio nomine Carolus ultramontanis gratia dictus est, Polonorum Legati apud Benedictum nonum seu Clementem secundum, sub conditionibus, quas praemisimus, impetrata, alacres et gaudio immenso ovantes, Roma, benedictione Papali accepta egrediuntur, Apostolicas secum deferentes literas, quibus primum Cluniacensi Abbati Principis Poloniae Casimiri redditio, deinde eiusdem Gnesnensi Archiepiscopo Polonorum primati, caeterisque Archiepiscopis et Episcopis Poloniae coronatio imperabatur. Et Legati quidem Polonorum concito cursu ex urbe in Gallias in Cluniacum divertunt, Apostolicasque literas Cluniacensi Abbati praesentant, quibus illico paritum est, et Dux Casimirus Poloniae, Polonorum legatis, religioso vestitu amoto, saeculari et regio amictus redditur. Novum enim metaphora genus, et nullis unquam visum saeculis, nec ab Ovidio in suis libris decantatum, fit ex Monacho rex, ex religioso saecularis, ex Diacono miles, ex continentiam perpetuam professo maritus, ex paupere dives, ex contemplativo activus. Dni Abbati et fratribus Monasterij Cluniacensis valedictoria verba in coetu eorum, quae et sibi et Monachis lacrimas excutiebant, facit, agit gratias, quod annis prope quinque magna charitate in eorum fotus sit contubernio, precatur ut tam ipsum quam regnum suum Poloniae perpetuo habeant commissum, suisque orationibus caelicolas precentur, ut sibi regnum stabiliant, sibique ea mente esse ut tam loci in quo alitus est, quam ordinis, quem professus fuerat, nunquam posset oblivisci. Et his dictis exosculatis Abbate et fratribus, singulis discessum suum complorantibus, et in spacium remotum deductioni certatim eo comitantibus, ex Cluniaco egressus in Almaniam ad genitricem suam Richssam Reginam Poloniae in Salvelde commorantem pervenit, apud quam dum diebus aliquibus quievisset, persuaderi illi molita est, ut ad regnum Poloniae propriorum et extraneorum bellis direptum desolatum et exustum criminibus magis et facinoribus quam frequentibus urbibus et viris inclitum, ubi sibi prioris exilij et iniuriae factae pertimescenda forent, consentiret redire. Sed postquam Apostolica dispensatione et a religione sorteque clericali solutus sit, in Almania consisteret, largas et sufficientes possessiones et per eam comparatas, et favore Imperatoris Henrici propinqui sui annuentis donandas, morte insuper aliorum consanguineorum devolvendas, pro tenendo statu Ducali haberet.

NON MOVERUNT Casimirum Poloniae Ducem exhortationes maternae, quae fortes stimulos afferre solent, redditumque matri a filio eiusmodi responsum est, Non esse aliquas possessiones Almaniae et dominia tam uberibus redundantia divitijs, quorum contemplatione avitum et paternum Regnum, quamvis semiustum, desolatum, et dirutum, deserendum, negligendumque putaret. Pro quo solo instaurando et abdicandae religionis ordinisque suscepti sibi a summo tribunali tributa esset potestas. Cuius quoque calamitates, de deserendis religione et ordine, animum eius divinis et caelestibus

bus mancipatum obsequijs, ad gubernanda terrena insistisset, sed nec in universa Almania tam gloriosum et illustrem eum, et semen eius futurum, quantum in uno solo Poloniae regno, cuius sibi instaurationem perarduam, et famam dominationisque perdebilem, perfidia cuiuslibet pavore circumstrictis demonstrabat, cui etiam ab optimo quoque Spiritus ipse dicebatur. Nec dispensationem Sedis Apostolicae, nisi pro regimine regni Poloniae, et pro levanda eius ruina extendi, se si in Almania remanendum duceret, ad religionis et ordinis regressum iuste posse et oportere agi, Confutatam se Rixsa Poloniae Regina in sua persuasione videns, aequiori animo filium propositum exequi passa est. Qui cum illam secum in Poloniam redire precaretur, nullatenus propter acceptam confusionis et exilij irrogatam a Polonis iniuriam, acquievit, sed in Almania consenuit. De bonis quoque et possessionibus dudum a se emptis duo monasteria, unum videlicet Brunwilrense, sub honore Sancti Petri Apostoli, et Sancti Nicolai Confessoris, aliud in loco ubi Sancti Kiliani sociorumque eius sacrum celebratum extabat martirium, fundat, construit, erigit, et dotat. Super quo prae fundationis negocio ipsius Reginae Rixsae privilegium apud praedictorum sacrorum locorum cultores ostenditur, fundationem et dotationem huiusmodi plenius attestans, Plena quoque dierum et bonorum operum apud Salvuelde defuncta est. Corpus vero eius religiosae tantaeque foeminae exequiarum congruo apparatu Coloniam delatum, et in Ecclesia Sanctae Mariae, quae est ad gradus, humatum est. Obitum tamen suum non tunc sed longe post, Lector intelligens intelligat, pro ea secundum ordinem quo haec gerebantur. Rixsa Regina redeunte filio Casimiro in Poloniae Regnum, plura clenodia in auro, argento, gemmis, quae e Polonia abstulerat, restituit. Nonnullos quoque militares et equestris ordinis viros, quorum vallatus caterva, filius honestius Poloniam repeteret, ex Almanis filio adiunxit, et ne filio eius, comitibusve, quicquam posset deesse de viatico sufficienti materna benignitate promisit

Expediens autem et summe necessarium tam Casimiro Duci et matri eius Richsza Reginae quam Polonorum legatis visum est, ut Henricum tertium Romanorum Regem filium Conradi Imperatoris adirent, restitutionem coronarum maternalium Regni Poloniae, per Richszam Reginam Conrado Imperatori ut in superioribus demonstravimus factam, obtenturi, simulque de devastatione et spoliis per Brzetislaum Ducem Bohemiae in Poloniae Regno, tempore absentiae Principis iniuste attentata, quaesturi. Morabatur pro eo tempore Henricus Romanorum Rex non in remoto loco in insula Werdehrt Sancti Suiperti, quem cum adiissent, gratusque fuit Henrico Regi eorum adventus, multamque comitatem novo hospiti et propinquo affini suo duci Casimiro et Polonorum Legatis et ipse praestitit, et a suis mandavit praestari; et coronas quidem duas maternales Regni Poloniae quarum petebatur restitutio, prona benevolentia restituit. Ad Ducem vero Brzetislaum Bohemiae nuntios qui illum et de iniqua Regni Poloniae vastatione arguerent, et ut ablata restitueret monerent, misit, seque Duci Casimiro et futuro Polonorum Regi contra Bohemos in singulis auxiliaturum spopondit. Quoque Ducis Casimiri in Poloniam, hostibus et inimicis terribilior, propriis vero et devotis gratior esset ingressus, insignem militum et armatorum suorum numerum Casimiro pro sui honore et solatio adiungit, et profecturos secum in Poloniam, et partes suas contra rebelles et indevotos adiuturum. Brzetislaus autem Bohemiae Dux a legatis Henrici Romanorum Regis Pragae offensus, et super illicita Regni Poloniae vastatione correptus, atque super thesaurorum et clenodiorum in Gnesnensi Ecclesia sacrilega praesumptione raptorum restitutione monitus, graviter cum Bohemis natura ipsa insolentibus et superbis contempserat. Bellum enim sibi ab Henrico Romanorum Rege in favorem consanguinei sui Casimiri Ducis Poloniae inferendum, ni ablata ad plenum redderet, denunciabatur. Unde et legatis Caesareis respondit, Polonis pro veteribus in se Ducatuque sui Bohemiae damnis et iniuriis et signanter pro avi sui Boleslai excaecatione iustum bellum intulisse, nec ad restitutionem spoliorum cogi per Henricum regem Romanorum debere, cui tributo quingentarum marcarum argenti puri, et centum viginti boum selectorum de Bohemia solito pro imperio quotannis reddi persoluto, parere in caeteris nullatenus teneretur, ageret quae vellet, se antequam Polonicalia spolia restitueret, omnia extrema tolerabilius perpessurum.

REBUS SUIS Casimirus Poloniae Dux apud Henricum tertium pro voto stabilitis, licentia a Rege et genitrice sua Richssa Regina obtenta, ex Almania versus Poloniam descendebat, Dum autem rumor Poloniam de sui Principis et futuri Regis desiderato adventu pervasisset, magna hilaritate et gaudio omnium bonorum et Rempublicam salvam esse cupientium corda perfusa sunt, singuli enim boni Casimiri reditum sentientes atque anxie per omnes status atque ordines operiebantur, eorum vero qui rapto et scelere vivere assueti, quique aut regalia aut aliena occupabant, non mediocri et dolore et pavore perculsi. Venienti vero ad fines Poloniae Casimiro Pontifices et Barones Poloniae, cum quanta possunt militia, occurrunt, catervatim obviam illi effusi, summo cordis plausu illum excipiunt, congratulantur incolumitati, et longo, post peregrinationem, reditui, laudes in illum depromendo certarunt, principemque suum magna devotione excipiunt, admonentque et precantur, ut earum quas sibi et genitrici suae inconsideratus temerariusque furor iniuriarum irrogaverat, perpetuo obliteratis ad capessendam Rempublicam Regni sui prostratam et exanguem animum intendat, ut sui animi brachijs se curandos accipiat, nec iram et indignationem habeat virtute potiorem, Ille id suo animo insedisse praecipuum respondet, eaque de causa dulcem religionis quietem liquisse, et Poloniam cum Almanorum haud contemnendis copijs se redisse asserit, ut Respublica ex calamitate eam detinente, ex medijs quoque quibus vastata et pene mersa est, fluctibus, in tutum evadat, Declarat se invitantibus Polonorum legatis, Papa quoque non permittente solum sed et iubente Poloniam pro Polonici populi et regni salute et instauratione advenisse, et non solum non repetiturum poenas a suis et genitricis suae cultoribus, sed etiam omnibus offensae perpetuam oblivionem daturum ut non tam authoritate quam benignitate et facilitate cunctis imperet. Excepti sunt etiam Polonis, Almanorum, qui cum Casimiro advenerant, milites, et magnus illis favor, et honos, pro omni tempore, quo militiam agebant in Polonia, habitus est. Ut autem famam zeli sui pro instauranda Republica concepti diffunderet, pleraque munitiones et castra in finibus Regni Poloniae, aut per hostes intercepta, aut per vespiliones et praedones domesticos occupata, invadit, expugnat, et conquirit, Maleficosque in illis comprehensos, quosdam patibuli dedecori damnat, quosdam gladio ferit, quosdam in manibus et pedibus in aliorum terrorem mutilat, poenis et supplicijs singulos deterret improbos, male acta, et difformata reformat, dilata vindicat, omne crimen diluit, omne nephas extinguit, omnem arcet iniuriam, quosdam demum extollit, quosdam dignificat, tantus demumq; tam hostibus quam proprijs pavor et formido incussus est, ut et hostes ab occupatis excederent, et domestici parci sibi et transactas praevaricationes remitti, et propria humiliatione et amicorum suffragijs implorarent. Neq; nobilis et solers Princeps saeviendum in singulos duxit, sed pertinacibus, maleficis, et qui seditionum erant authores, et capita multatis, caeteris se benignum et placatum exhibuit, ne regio, superioribus bellis collisa, in ampliorem etiam redigeretur vastitatem. Itum est posthac ad Metropolim Gnesnam, et per Gnesnensem Archiepiscopum Stephanum, caeterisq; Principibus Poloniae assistentibus Casimirus huius nominis primus, ordine vero tercius, acclamatione et universali consensu Rex Poloniae appellatus, coronaq; quam retulerat insignitus, unctus et coronatus est. Ad coronationem autem huiusmodi perficiendam, magna alacritate, gaudio, et exultatione, maximo quoq; etiam infimorum studio in Gnesnam concursum est, ab omni aetate, ordine, et natione, unoquoq; arbitrante se Regni Poloniae privignum non filium, qui coronationi ipsi non interesset, qui non plausu et acclamatione, vultus demumq; et gestus significatione favere se non monstrasset. Videbant enim duas sibi et patriae res praeclaras ac salutares, quarum desiderio quam maxime tenebantur, ex reversione Casimiri et coronatione restitutas, pacem videlicet et regium fulgorem, perjucundum insuper erat ea tempora vidisse, in quibus libertate, fortunis, pace et ocio frui, meliora vero indies sperare licebat. Permixta undiq; turba, summa laetitia et plausu, quorumq; etiam favere Casimiro congratulabantur, et ad reductionis coronationisq; suae spectaculum e fenestris tectisq; catervatim pendebant, atq; ipsum his conveniebant compellabantq; vocibus. Congratulamur, inquiunt, Excellentissime Princeps tuo reditui, tuaeq; incolumitati, immortalemq; Deum precibus obsecramus, supplicibus, et pulcherrimis coeptis tuis faveat, quatenus Regnum Poloniae tuo ductu, tuis auspicijs restituas, amplifices, et conserves, et illius Rempublicam varijs exagitatam et pene collapsam procellis, qua

e vncum

te unicum suum liberatorem, unicam suae salutis anchoram, et portum, amplectitur, erigas, vivificas et corroboras. Magna insuper celebritate diei illius Coronationis a Polonis actus est, et tum fauore pristino, tum gaudio insperato recuperatae libertatis regni, et pacis, et quem nusquam agnitum et reversurum crediderant, incolumem, praesentem, et regio fulgentem Diademate viderunt, laudes illi Theatris cantabant, mirificeque honestabant proceres, auctaque illi tributa et impertita laudis, et pater patriae illius iure appellaretur. amplissimo honore, a nobilitate et populo ubique exceptus. Erat enim Casimirus Poloniae Rex moribus suis, eloquijs et responsis adeo nitidus et modestus, ut impleret Polonos spe certissima instaurandi Regni, et deperdita recuperandi, amplius quidem et perfectius, quam per experimentum rerum ratio solebat comprehendere, dando responsa fide et maiestate, prudentia, legatis vicinorum Regum et Principum suum reditum condigna gratulatione excipientium, et se illi morigeros fore asserentium et ab omni ferociori verbo alienus

SUMPTA regia unctione et Diademate, coronationisque solennijs, ritu iusto et legittimo peractis, ut inprimis Pontificibus et Baronibus regni Poloniae efficiendum censendumque visum est, ut Casimirus Poloniae Rex aliquam nobilem ex Ducali genere virginem sibi matrimonio copularet. Cuius coniunctione prolis fecunditas et successio, regnique Poloniae instauratio et stabilimentum ex affinitate et dote posset provenire. Obtinebat ea tempestate Russiae principatum Dux Jaroslaus filius Vladimiri, sororem habens germanam ex Anna sorore Basilij et Constantini Imperatorum Graecorum genitam, decoram et virtuosam, Mariam nomine. Hanc etsi ritus disparis esset, Casimirus Poloniae Rex propter plures respectus ipsum et consiliarios suos permouentes accepit in uxorem. Nuptiae quoque in apparatu et sumptu magnifico iuxta exigentiam status et principis locantis sororem, et Regis accipientis uxorem, Cracoviae celebrantur. Accepit autem Casimirus Rex Poloniae a Russiae Principe Jaroslao, et pecuniae magnam quantitatem, et vasa clenodiaque in auro et argento, vestium quoque et equorum non mediocrem supellectilem in vim dotis. Regnumque suum splendido huiusmodi matrimonio et divitijs implevit, et affinitate stabilivit. Nam et regnum suum versus

oram

orae Ruthenicam effecerat quietum, et securum, et ad bella quae illum pro recuperando instaurandoque regno cum finitimis aut proprijs gerere contigit, Ruthenorum solatijs adiibatur. Multa tamen castra et regionis Russiae auus suus Bolislaus Polonorum primus Rex, in Russia victo et profligato Jaroslao quaesierat, et in eam diem tenuerat, post contractam affinitatem in signum veri foederis et sincerae affinitatis Jaroslao restituit. Non solum autem ritum Graecorum, in quo educata fuit Maria regina Poloniae reliquit, sed de ritu Catholicae Romanae Ecclesiae et eius puritate sufficienter ab Ecclesiasticis viris edocta, ritum Graecorum exosum habens, sacro Baptismatis fonte denuo in Cracouiensi Ecclesia, in supplementum eorum defectuum, qui per Ruthenorum presbyteros scripturarum et legum diuinarum ignaros persaepe committuntur, est abluta. Cum ritu quoque Graeco etiam nomen deposuit, Dobrogneuaque extunc, id enim sibi in Catholico Baptismate apositum fuerat, vocitari coepit, Quam successu temporis Casimirus Rex Poloniae in Gnesnensi Ecclesia in Reginam Poloniae disposuit inungi, et Regali Diademate coronari.

Sororium prope casum apud Aragonenses legimus contigisse, qui stirpe Regia deficiente, Ramirum filium Regis, qui in Monasterio Sancti Pontij de Thomarijs ordinem professus, et Monachus et Sacerdos habebatur, de monasterio eductum apud Ostam Apostolica dispensatione non quaesita, in regni solio collocarunt, data ei in vxorem comitis Pictauiensis sorore, ex qua cum filiam nomine Petronam, quae postea dicta fuit Vrraca suscepisset, quamprimum annos nubiles attigit, Raimundo Barchinonensi Comiti desponsata est, et Rex Ramirus suo monastterio restitutus, quod multis possessionibus Regnum regens ditauerat

RESPONSIONEM Bretislai Bohemiae Ducis Henricus tertius Romanorum Rex moleste ferens, et Casimiro Polonorum Regi affini suo, quemadmodum spoponderat, laturus auxilium, et de contumaci Duce sumpturus ultionem in Bohemos expeditionem indixit, Bipartitoque exercitu, quo Bohemis amplior cladis accideret, ex Ratisbona copias ducens, ingredi Bohemiam disposuit, et Othardum quendam Saxoniae Ducem, virum militaris disciplinae peritum, et in singulis agendis prouidum et industrium, cum parte copiarum diuerso itinere ire iubet, ipse vero per viam quae tendit de Ratisbona ad ripam fluminis Rezeny cum alijs copijs peruenit altera die Syluas Almaniam a Bohemia disterminantes intrauit, neque speculatoribus, neque his, qui castris loca antecaperent, praemissis, existimans Syluas Szumbawdi et earum densitatem facile ac nullo negocio superari. Obstructa autem et arborum incisione impedita singula itinera reperiens, magno militum impedimento, et truncos amouentium labore, medium itineris Syluarum emensus, ad collem quendam, ex quo plana Bohemiae spectari poterant peruenit. Locatis illic castris iubet omnes milites sumpta leui armatura, impedimentis et equis in stationibus relictis, pedestri itinere reliquum quod erat Syluarum spacium conficere, et campestria Bohemiae ingressos Bohemiam ferro et igni vastare. Et milites quidem iuxta quod imperatum erat, Henrico Rege in castris cum imbecillibus, et his qui arma ferre non poterant, remanente, per colles et montium iuga, et inuia loca progressi armorumque pondere et Solis ardoribus plurimum vexati et afflicti, insolitus enim labor plerosque lassauerat. Tandem consedere, nullaque illic suspicati hostium, reiectis armis, securae quieti, et alto, ex fatiga se committunt sopori. De quibus omnibus Dux Bzetislaus qui in Sylua Szumbawdi se abdiderat, ab exploratoribus certior factus, ~~et~~ in quiescentem et lassum Imperatoris exercitum, magno clamore, magnaque vociferatione irruit, et perterritos magnoque pauore perculsos, sine ullo negocio prosternit, et fundit. Paucis autem fuga elapsis, magnum robur militiae Caesareae illic aut deletum, aut in captiuitatem acceptum. Qua clade ad se perlata, Henricus Rex tristis gemebundusque in Almaniam cum reliquiis rediit. Othardus vero Saxoniae Dux qui Bohemiam vastando usque ad flumen Bilinam peruenerat, casu regio audito pressit gradum, et exercitum cui praeerat, via qua venerat, incolumem reduxit, Bohemica praeda onustum, cum quo, quia Procopius comes Bilinensis parum prospera fortuna usus pugnauerat, tanquam pecunia corruptus, effossis oculis, manibus ac pedibus detruncatis, in flumine Bilin demersus est

PLOCENSIS Ecclesiae Episcopus Albinus, quartus apud Ecclesiam Plocensem annis sedecim, labore, senio, et frequenti aegrotatione confectus dissoluitur, et in Plocensi sepulturis quiescit Ecclesia, Cui Pascalis nobilis generis, natione Italus, Tuscus, vir Doctus, Canonicus Plocensis per electionem Canonicam, cui facile

Casimirus primus Poloniae Rex, Maslao Mazoviae tyranno devicto, assensus est per Benedictum Papam octavum provisus fuerit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS

Singulis fere regionibus et provinciis quas Regni Poloniae complectebatur latitudo, de adventu et coronatione novi Regis et Principis sui naturalis immenso gaudio et gratitudine refertis, promptamque et fidelem devotionem in eius recipientibus obedientiam et ditionem, Studiis insuper omnium circa sui imperium conspirantibus, sola Plocensis, quae nunc mutato nomine Mazovia appellatur, provincia, et rebellem se praestitit, et communis laetitiae atque gratitudinis expertem, ad quam illam Maslaus unus ex pincernis Poloniae, vir et specie et forma magis quam virtute, et gloriae dominationisque improbae cupidus, qui durante interregno et superiori dissensione civili, principem et perpetuatum in illa se creaverat, et falso nomine Ducalis fastus sibi usurpaverat, animabat decernere etiam acie simpliciter paratus, qui Prutenicis adiutus solatiis maiora sibi quam conditio sua capere poterat pollicebat, et sortem suam non ignorans pennis praesumebat volitare Icareis, recordationem eorum beneficiorum quae a Mieczslao Rege Poloniae perceperat, nihil indulgens, quem Casimiri Regis pater in celebri dignitatis honore, poculum enim in pincernae modum Regi ministrare solitus, collocarat, effrenatae temeritatis, insatiabili spiritu in cumulum bellorum renovandas cicatrices, prorupit, et arma contra Casimirum Plocensibus et Prutenis cum adminiculantibus sumpsit, ratus facinus suum quod in Richssam Reginam et Casimirum admiserat, aliquanto maius fore, quam cui a Casimiro deberet ignosci, neque enim alicuius beneficii ea est plenitudo, quam non obliterare malignitas possit, Cuius rei gratia et extrema finitimorum conducebat auxilia, et non nobilitatem tantummodo sed et plebem omnemque in militiam asciverat, facilem sibi victoriam de Casimiro Poloniae Rege portendens, Augebat spem suam, vastatae et ab hosti, et a propriis, regionis Polonorum conditio, raritasque et diminutionem eorum qui apud Casimirum Regem militabant, frequentia propriis et exterorum militis a se conducti pensata contemnebat. Ea quoque Maslai rebellio terrorem plurimis excitata Cazimiro Regi, meditationem tyrannidis inferebat. Vir enim erat fallax, et cum ferus ac supra conditionis suae fortunam altiora sperare promptus, multa altercatione mutatus. Cum grandia per liberalitatem Regis Mieczslai acceperat, pro frequentibus beneficiis hostem se in filium egit. Indigne tamen et plusquam moleste Casimirus Poloniae Rex rebellionem arrogantiamque Maslai prout par erat tulit, quod servus et subditus, patris etiam sui Mieczslai beneficiis astrictus, rebellionem primum, deinde arma in illum convertisset. omnibus tamen rumoribus qui ex Masovia afferebantur contemptis, opprimere Maslaum, priusquam illi externa et finitimarum gentium possent provenire solatia, statuit. Veteranorum itaque militum ex Polonia et horum, quos secum ex Alemania adduxerat, robore tantummodo fretus, in Mazoviam descendit, insta ditioni illam simul cum Maslao subacturus. Cui Iaroslaus Russiae Dux consortij sui germanus cum omnibus Ruthenicis copijs in solatium advenit. Maslaus certior a suis de Regis adventu factus, quamvis nondum suas copias vidisset convenisse, superiorem bello se ratus futurum, Casimiro Polonorum Regi occurrens, praelium committit. Mazovitae seu Plocenses sceleris invidia parum pensata, inadvertentes, quod non in hostes, sed in cives, nec in Tyrannum, sed in legittimum dominum Maslai grassarentur audacia, et Regi naturalique domino et civibus, pro Tyranno, bellum inferunt, manus impias pro causa noxia conserturi. Pugnatum est ab utrisque animo pertinaci, iustaque ira regijs militibus incensis, addebat vires. Unde Maslai exercitus impetum regium non sustinens in fugam versus et sensim defluere coepit. Casimirus autem fugientibus instare ac persequi suos milites iubens, magnam stragem in hostibus effecit. Maslaus fuga elapsus, in Prutenos, vinci acies suas videns, divertit. Mazonia vero in Regis Casimiri ditionem plene extunc redacta est. Regnum quoque Poloniae, quasi ex aliquo flagrantissimo incendio Casimiri Regis opera ereptum, qui passus non est omnem suorum maiorum gloriam interire, conatus omnes pro instauratione Regni sollicito studio impendens, a quo omnis instituta et omnis vetus superiorum Regum et Principum disciplina sub tempore sui exilij et absentiae migraverat

HENRICUS tertius Romanorum Rex clade apud Bohemicales sylvas accepta irritatus, magis quam fractus, expe-

ditionem

Actorum omnibus Imperij et Almaniae Principibus et subditis contra Bohemiam indicit, et fortem ac frequentem potentiam congregans, tripartito exercitu, Petri enim Vngariae Regis iuvabatur solatijs, Bohemiam ingreditur, eamque et universas urbes eius, vicos, et oppida, caede, ferro, atque igne vastat, et atterit, succenditque. In Bohemos quoque et Ducem eorum Brzetislaum ex superiori victoria tumescentes tanto amplius debachatur, et saevit, quanto crudelius et superbius sibi et suo nomini non ignorabat illos post adeptum triumphum usque in tempus illud insultasse. In dolis siquidem et artibus suis Brzetislaus Bohemiae Dux confidens, plures muscipulas et laqueos Imperatori Henrico, et suo exercitui congesserat, existimans se illum priori sorte circumventurum. Verum Henricus Rex et suus exercitus accurata prudentia usus, Brzetislai Ducis et Bohemorum insidias partim elusit, partim confregit, in apertam autem dimicationem Brzetislaus nullatenus prodire audebat, potentiam hostilem, et suorum, suique cadendi periculum veritus. Quapropter Duce Brzetislao et Bohemis in castris munitionibus silvis aut locis invijs se continentibus, Henricus Rex suam et sui exercitus cladem ulturus, populationem et incendia iussit latius extendi. Omnibus autem per circuitum conflagratis et combustis Pragam expugnaturus exercitum admovit. Cuius obsidionem Severus Episcopus Pragensis non tolerans, urbemque capiendam non ambigens, e Praga elapsus ad Regem Henricum fugitivus venit, seque illius ditioni et decreto in singulis pariturum promisit. Dux autem Brzetislaus Bohemiae ex fuga Severi Episcopi urbem Pragensem Imperatori dedendam suspicatus, caduceatoribus ad Henricum Regem missis, facinus suum recognoscit, plenam deditionem facit, orat, ut vasallum, ut feudalem suum existimet, et pati extrema rogat, si omnia quae iusserit impleturum. Henricus autem Rex satis se ultum superiores iniurias advertens, oblatam deditionem accepit, Ducem Brzetislaum Bohemiae primum dare obsides, deinde castris et munitionibus quas in Regno Poloniae aut occupaverat aut erexerat cedere, et ea Casimiro Poloniae Regi reddere imperat, postremo cum duobus millibus marcarum argenti puri, et quinquaginta auri mulctat. Quibus omnibus dum Brzetislaus paruisset, Henricus Rex humiliatis Bohemis obsidionem

solvens

solutus in Alamaniam est regressus, Ducem Bretislaum Bohemiae Ratisponam deditionem innovaturum, et iureiurando fidelitatem praestiturum se sequi mandans

SED NEC in Ungaria minores erant bellici motus, quippe et ipsa proprio bello involvenda futuri sui incendij iam ignis conciperat. Petrus siquidem Ungariae Rex, quem propinquioribus haeredibus aut exclusis aut caecatis Regina Gisla relicta olim Beati Stephani primi Ungarorum Regis et Budae Baronis ingenijs, assistentia et opera Regnum Ungariae adeptum fuisse monstravimus, quod et in libidinem proclivior, et in Theutonicos Italosq;, castra credendo, officia et magistratus illis conferendo, esset, Ungaris contemptis et neglectis, propensior, vehementer coepit esse Ungaris gravis et molestus, molestiamq; ex his duabus quas praemisimus causis, diutius glescentem, responsio ab eo edita auxit, et Ungarorum animos in rebellionem inflammavit. Petentibus siquidem Ungaris gravamina, quibus atterebantur, tolli, et in uxorum, filiarum, et sororum suarum, quas querebantur et a Rege et a suis Curialibus aut foedatas aut sollicitatas, pudicitiam conservari, et externos sibi non praeferri, superbe ferunt a Petro Rege responsum, ea quae hactenus egisset, nullam habere speciem iniuriae et iuxta appellationem regionis angariari Ungariam oportere. Seq; eo proposito esse. ut pro stabiliendo sibi regno, non Theutonicis tantummodo aut Italis, sed et alijs nationibus Ungariam impleturum. His et alijs causis Ungari, ut est gens ad novandum res praeceps et proclivis permoti, Abam Comitem alias Ovonem quod ex sorore et sanguine Beati Stephani genitus fuit, et alij propinquiores aberant, Regem sibi, universali Ecclesiasticorum et Saecularium consensu, constituunt, et in Albam regalem deductum coronant. Budam vero Baronem, cuius consilio Petrus Rex agebatur, lapidibus obruunt, duobus filijs suis caecatis. Quo comperto Petrus Rex cum paucis fuga elapsus in Alamaniam ad Henricum Romanorum Regem divertit. Abba autem novus Ungariae Rex et Teutonicos Italosq; a publicis amovit officijs, et constitutiones et edicta Petri Regis, gratificando se Ungaris, irritant. Magistratus quoq; et officia in Ungaros distribuit.

Regina Poloniae Dobrogneuua primogenitum filium effudit, de cuius exortu Casimirus Poloniae Rex magna laetitia exultans, auitum illi nomen Boleslaus in baptysmo imposuit, gaudiumque de natiuitate filij celebritate dierum sequentium monstrauit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRAGESIMVS TERCIVS

Conatus Maslaus Plocensium seu Mazouitarum Pseudoprinceps, post stragem a Casimiro Polonorum Rege in se et suis prima congressione contra omnem spem et opinionem suam acceptam dolens recidisse in sui contumeliam et ruinam, non tamen clade huiusmodi fractus, adeo illi animus constans et ferox erat, nam quamuis victus, contumacis tamen hominis alebat spiritus, Pruthenicis solatijs subnixus. Itaque Pruthenos ad quos confugerat, Jaczuingos, Sluuenses, caeterosque Septentrionalis tractus Barbaros, ad resarciendum casum acceptum, pluribus blandimentis et persuasionibus in bellum sollicitat, facili vigore Casimirum Poloniae Regem, paucas et has ipsas debiles, superiori pugna diminutasque copias habentem, fundi vincique posse asseverans. Cuius potentiam si augeri diffundique sinerent, nossent se per illum maiorum more, et in suum Regnique Poloniae dominium et ditionem subacturos, et tributis quibus imponeret seruituros. Prutheni caeterique barbari cum Maslaum vera dixisse persuasisse existimarent, sua sponte tamen et ipsi Polonis velut finitimis et in religione Christiana diuersis infesti, in bellum Casimiro Polonorum Regi denuo inferendum conspirant, et non solum ex militibus et his qui arma tractare soliti erant, sed et agrestibus et seruitijs ingentes copias contrahunt, et conquirunt. Sub ductu quoque Maslai in Masouiam, sua potestati suaque ditioni illam redacturi descendunt, spe multa pleni, omnem fortunam experturi. Qua nouitate et rumore et crebro nuncio ad se Casimirus Polonorum Rex perlato, anxiari animo, dolereque coepit, quod bellum sua estimatione extinctum, viribus redintegratis, aduersus se videt conflatum, sibique nouam belli fortunam experiendam. Adunatis itaque utcunque poterat suorum militum potentijs contra Maslaum, Pruthenos, caeterosque barbaros exercitum suum producit. Clamitabant autem aduersus Maslaum, Polonorum Proceres, et milites, voces horridas, frequentibusque illum incessebant conuicijs atque probris. O argumentum omnium mortalium scelerate et infamissime, qui primus apud Polonos facinus perfidiae occupasti, qui regnum Polonicum, qui patriam communem, copiis adductis barbaricis conaris scindere, in turpem spem, aut Regni occupandi, aut Regis et Principis tui occidendi, deliro adductus cerebro. Non curavit autem Maslaus, sed supplantationum verbis et vocibus auditis, flectere animum suum, nec ex mala consequentia propositi sui maligni labore remorsum, tanta hominem ingens cupido principatus exagitabat, ad quem capiendum non alia re magis, nisi languore Reipublicae et seditione exorienda, solariisque Barbaricis per Ruthenos praestandis incitabatur. Accedebat animus, licet domi modicus, belli tamen ingens, gloriae et principatus avidus, pollens scientia militari. Casimirus itaque Rex cum hostilibus copias suis multo auctiores superioresque prospiceret, non animo solum defluere, sed et futuram suam dimicationem minus feliciter successuram, de summa belli desperare coepit. Fluctuationi quoque et vario mentis aestu obrutus, discessionem quoque ex religione et Monasterio suam, quoque Pontificis dispensationem irritam, neque adeo probatam, probandamve esse, ut fert sollicitudo, in memoria revocabat. Anxiumque illum et de futurae pugnae eventu pavidum, curae nimiae et angores agitabant, ingenti sollicitudine incussa; et secreta aestimatione duro timoris ictu percussus, omnia in adversum trahebat et adversa sibi potius quam prospera per metum eventura augurabatur. Haec etiam illi afflicto et desperanti cogitatio incidit, facinus grande deserta religione et ordine, et solium Regni statumque laicalem recepto continentiae et religionis voto assumendo contraxisse, cuius iusto Dei iudicio ultionem advenisse figurabat. Nec summum Pontificem secum de deserenda religione et de abdicando Diaconatus ordine dispensare potuisse, pavitandoque multifaria menti anxiam subibat, quod abdita monasterii cum aula regia permutasset. Regressurum itaque se ad religionem et ordinem, relicto regno, relicta uxore et parvulo, tacita cogitatione, temporalem et imminentem a barbaris et aeternam plagam evasurus, disponebat. Unde et certamen differre, pugnamque detrectare, contraque morem suum cunctator magis quam actor rerum bellicarum esse coepit. Astitit autem illi clementissimus Deus, et favoris sui sibi accommodavit praesidium, postquam metum suum religionis zelo correptum ad deteriora quoque videbat accedere, nec in periculoso articulo deseruit vacillantem angelica apparitione muniens, et caelesti suffragio corroborans. Etenim his omnibus cum distractum et anxium sopor oppressisset, atque illi perquietem stertenti, magisque dormienti vox insonuit, Consurge, consurge, et omni metu excusso, age in hostes irruptionem, habiturus de hostium multitudine caelestium suffragium et magnificum triumphum. Exurgens itaque se necdum tamen denunciato sibi divinitus oraculo satis fidens, ad milites suos veniens, quam vocem audiverit, exponit. At illi spiritu ingenti concepto, nulla enim re magis quam religione depressi exanguesque animi solent multitudinis moveri, arma ocius corripiunt, equos conscendunt, ordinatisque aciebus in hostes, non de pugna, sed de praemijs pugnae cogitantes, alacres procedunt, vociferatione quoque, qualem animus de eventu futuro securus edere solet, sublata, ineunt acerrimum cum hoste certamen, multitudine barbari freti resistunt. Polonis, et divina propiciatio primum voce, deinde cum pugna in fervore esset, visibili signo denunciata, instaque ira vires animosque addebat. Visus enim est tunc a Polonis signa infesta in hostes inferentibus, et praelium capessentibus, vir quidam niveo amictu vestitus, alboque equo insidens, vexillum quoque candidum gestans, in aere consistere, et continua adhortatione Polonos usque quo certamen durabat ad dimicandum animare, quo effectum est ut Poloni omnium quae cogitari poterant periculorum obliti plusquam humanis viribus connixi in hostes invecti, maximam stragem parvo suorum impendio et dispendio effecerunt. Sed nec prius ferocius grassari, ferocibusque operibus hostes impetere destiterunt, donec omnes hostium phalanges et acies confractae deletaeque sunt, reliquiae quoque eorum in turpem miserabilemque fugam conversae, in qua maior trucidatio fugientium quam pro numero secuta est. Singulis Polonis caedi magis quam capiendis hostibus intentis. In eo insuper praelio Casimiri Regis virtus plurimum spectata est, qui non Ducis solum sed et militis opera usus, praestantes milites tantis adunabat viribus, ut cruore occisorum hostium oblitus et madefactus, quis esset, affecti etiam a suis poterat agnosci, Casimirus lassitudine hostes insequendo confectus est, ut semianimis ad tabernaculum per quemdam gregarium militem, quem ex post fidem suam remunerans nobilitate extulit, et divitiis, in lectica relatus sit. Confecto praelio, viri acies Polonicales diminutus adunantes visu disparent. Victus Maslaus cum omni sua potentia et debellatus, inclinavit, mox et Masovia, et ceteras finitimas regiones, ad veteris imperii respectum, ut omissa pertinacia et rebellione praeveniendam conserent gratiae necessitatem, Casimirumque potius regem adorando susciperent, quam rebellando hostem experirentur, certificati, quod Casimirus Rex Maslaum pseudo comitem principem dominum ferocientem, et tum suis, tum auxiliariorum praesumentem, atque exultantem viribus compescuit, ferociamque eius atque impetum, in omnium se grassantem perniciem, oppressit. Provenisset autem triumphus praefatus ex evidenti et manifesta Dei gratia, qui rarissime patitur quemquam regnare cum scelere, cuius quoque dignatio rempublicam Polonorum ad veram et stabilem voluit integritatem perducere

Omittitur in hoc exemplari quod in Originali scriptum est quomodo vulneratus Maslaus excessit e vita

Regina Poloniae Dobrogniewa ex Casimiro Poloniae Rege fecundata, alterum filium enixa est, nativitatem cuius Casimirus Poloniae Rex singulari solemnitate et laetitia Cracoviae celebravit, nomenque illi indidit Vladislaus.

Eo insuper tempore Bohemia magna fame afflicta est, dum enim superioribus annis semina terrae mandata male provenissent, anno autem illo permissione divina omnia fere germina extincta forent, plures mortales solo nativo deserto in Poloniam, Ungariam, ceterasque finitimas regiones fugere pro vitanda famis pernicie compulsi sunt. In ceteros qui remanserant tam valide famis debacchata est, ut de populo Bohemico pars tertia fame contabescens perierit. Quo malo divinitas propter sacrilegium et spolium in Polonos et Ecclesiam Gnesnensem commissum credita est Bohemos afflixisse

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRAGESIMUS QUARTUS

Experientiis multifariis et successibus Casimirus Poloniae Rex in rebus arduis et [illegible] difficilibus adiutum, auctum, et cohonestatum, per divinam propiciationem, se recognoscens, egressum quoque suum de ordine et Monasterio, et assumptam Regni nostri gubernationem intellexit altissimo Principi Regum terrae placuisse. Satagens itaque crebra revolutione mentis, creatori et propiciatori suo pro susceptis beneficiis aliquam facere responsionem, religionis quondam suae et professionis, sacrum Beati Benedicti ordinem, quem cum in lege divina erudierat, decrevit fundandum. Mittens itaque speciales in Cluniacum nuntios, multa per illos Abbati et fratribus Cluniacensibus dirigit donaria, denuncians eis, quantis illum clementia Salvatoris, et in Regni Poloniae adeptione, instauratione, et in hostium profligatione, et in prolis masculinae susceptione glorificasset decoris, simulque requirens et rogans, ut certi de monasterio Cluniacensi fratres, religionis libros ceremonialesque secum delaturi sibi remittantur, locum et Monasterium sumptu regio aedificandum, et dote ampla et liberali fundandum accepturi. Legatione huiusmodi Abbas Cluniacensis simul et fratrum sacer coetus exhilaratus, celebrata in Deum gratiarum actione, quod alumnus eorum collapsis et pene perditis fidei, ecclesiae, et patriae; apud Poloniam, rebus, maximum adiumentum, robur, et erectionem attulerit, morem suis precibus gerendum decrevit, et cum nuntiis regiis duodecim fratres, quorum unus Aaron nomine, vitae nitore, et prudentiae sagacitate praecipuus habebatur, remittit. Hos Casimirus Poloniae Rex ad se venientesque plurimum de illorum adventu exhilaratus, velut angelos Dei videre meruisset, suscipiens, unum coenobium illis in monte Tyniecz ad fluenta fluminis Vislae situm, et a Cracoviensi Regia urbe duobus tantummodo milliaribus distans, in honorem Beati Petri Principis Apostolorum benedictum, primum per legatos Polonorum, deinde per se, promissum generalem omnium suarum provinciarum indicit conventum. In quo et pollicitatio Apostolica per legatos Polonorum facta unanimi omnium devotione et consensu decreta et innovata est, et universali mandato solutio unius usualis denarii de capite tam civitates et oppida, quam villas et rura colentium, in duabus provinciis videlicet Gnesnensi et Cracoviensi, et diocesibus eisdem subiectis videlicet Posnaniensi, Plocensi, Crusviciensi seu Wladislaviensi, Wratislaviensi, Lubucensi, Culmensi, et Camenecensi imperata, ab eoque tempore Poloniae Regnum factum est Romanae Ecclesiae; imo Vicario Iesu Christi summo Pontifici feudale et tributarium. nec unquam tributi praedicti passum est solutionem quacunque occasione aut pacto intermitti aut rescindi. Videbatur autem census ipse qui denarius S. Petri appellatur, primum Polonis difficilis, et onerosus, ut pote qui secum perpetuam trahebat in Polonos obnoxietatem, expost tamen variis profectibus et comoda Regno Poloniae cognitus est et praestitisse et praestare, ut non ab homine sed ab ipso Deo genti Polonorum propitiatore impositus eius credatur profluxisse. Quamvis enim per multa annorum spatia impositionem praestaretur, sequenti Regno Poloniae in plures Ducatus et provincias scisso, a nonnullis finitimis gentibus et nationibus Regnum Poloniae in suis provinciis et pertinentiis fuerit, praesertim a Bohemis et fratribus Domus Theutonicae, nigram crucem in albo habitu deferentibus, occupatum et direptum, nullum tamen tam validum tamque efficax ingenium, quamvis ad id plurimi interpositi fuissent industrii labores et conatus, poterat reperiri, quo proprietas Regno Poloniae in huiusmodi terris et provinciis competens potuisset per huiusmodi occupationem aboleri, quinimo denarius Sancti Petri praedictus caeteris testimoniis suppressis, aut vetustate abolitis et consumptis, iniustam terrarum occupationem vociferat et detegit, et illas de sorte, titulo, iure, et proprietate Regni Poloniae fuisse et esse demonstrat. Ab eo siquidem tempore usq; in diem hanc omnes veteres Regni Poloniae regiones, omnesq; Ecclesiae Poloniae, Dioceses, uno et perpetuo iuris tenore usurpato et nunquam intermisso, tributum denarii S. Petri Ecclesiae Romanae pendunt, praeter Camenecensem Diocesim speciali Apostolico privilegio ad preces legati Apostolici capti, et ex diuturna servitute, opera Camenecensis Episcopi in libertatem restituti donatam et exemptam. Optarem autem ego, ut et Ruthenica, Lithuanica, Pruthenicaq; regionibus, ex post Regno Poloniae unitae pari censu onerarentur, futuro saeculo, futuraq; aetati terminos et iura Regni Poloniae restituturo.

RACHELINVS Cracoviensis Archiepiscopus, dum in Archiepiscopatu Cracoviensi annos quatuordecim exegisset, religiose moritur, et in Ecclesia Cracoviensi iusto honore funeri soluto accepit sepulturam

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRAGESIMVS QVINTVS

Nondum Abba Vngariae Rex quem Petro Teutonico Rege suo eiecto, Vngari sibi Regem creaverant, quadriennium in Regno exegerat, cum Vngarorum animi, primum ab eo aversi sunt, deinde sibi adeo infesti esse ceperunt, ut in necem suam magnus ordo nobilium et primorum coniuravit. Coniurationis autem praedictae plures perhibentur fuisse causae, quod et Abba Rex prosperari se in regno Vngariae videns prisca modestia abiecta, insolenter superbe et iniuste imperium exercebat, in Vngaros, sive quod censuris Apostolicis super Petri Regis expulsione percellebantur Vngari, et bellum ab Henrico Imperatore sibi inferendum verebantur, ad cuius tutelam et Petrus Rex et plures Vngari partes suas sequuti diffugerant, noverat enim Imperatoris Henrici animum non solum ad expul

sionem

suorum Petri Regis, sed ob iniuriam grandem per Abam Vngariae Regem et Vngaros recenter illatam, qui Austriam et Bauariam hostiliter ingressus, vastitatem ~~utriq~~ utriusque patriae intulerat, plurimosque mortalium inde captiuos abduxerat, sibi esse plurimum iratum. Quem etiam idem Aba missis nuntijs et donis insignibus, captiuorumque omnium solutione offerens, et expost quod promiserat negligens, in ampliorem indignationem exasperauerat. Et Caesar quidem Henricus aliquoties exercitum contra Vngaros congestum, superuenientibus maioribus imperij curis, et surgenti bello, quod sibi Gotfridus Dux Lothoringorum inferebat distractus, dissoluebat. Aba vero Vngariae Regi interim et audacia et animus ad magis insolescendum augebatur. Conspirationis quidem contra se factae scelus ab uno coniuratorum habens detectum, dum in Chanadino quadragesimam ageret, principales Barones, et eos praesertim, quos contra se coniurasse intellexerat, quasi de publicis rebus cum illis consilia digesturus, conuenire iussit. quos conuenientes et in thalamo Regis consilium agentes ab armatis militibus circumdari, captiuarique et tandem confessione et viatico negatis, quinquaginta ex illis vario carnificio excruciatos necari et obtruncari disposuit, De caeteroque etiam eos quos fidos et amicos credebat, tenuit suspectos, pro qua seueritate a Beato Gerardo Chanadiensi pro eo tempore Episcopo plurimum correptus est, qui etiam finale discrimen, nisi poeniteret, sibi denunciabat, pro scelere patrato, imminere.

Ea seueritate per Abbam Vngariae Regem in Baronibus et coniuratis patrata, tantus caeteris qui diffugerant, quique remanserant, metus incussus est, ut singuli voluntario exilio se damnantes, ad Petrum Regem et ad Henricum Imperatorem in Almaniam diuerterent, et saeuitia Abae Regis exposita, animum Henrici Imperatoris ad ferendum Petro exuli regi opem, asserendo caeteros Vngaros Abam deserturos, inflammarent. Itaque Caesar Henricus expeditione indicta, Vngariam cum grandibus copijs adiuit. Cui Abba Rex circa Iaurinum occurrens, et de victoria plurimum praesumens, tertio nonas Julij praelium conserit. Et vtraque parte pro victoria obtinenda plurimum adnitente, aequo Marte ad longam diei partem ab vtrisque pugnatum est, Turbo interim concitatus vehemens in ora Vngarorum convertit, et vultus Vngarorum obscurans, quasi et elementa viderentur armis Caesaris fauisse: Caesari victoriam praebuit, licet non incruentam, magna enim Almanorum multitudo comperta est illic occubuisse. Abba vero Rex versus Tisiam fugiens, in cuiusdam villae tugurio, a suis Vngaris vociferans se indigne perpeti, iugulatus est. Caesar triumpho relato, benignum se omnibus Vngaris victorem praebuit, neque paenas deserti et exulati Regis sumpsit, ipse a quoquam nec Petrum Regem sumere permisit, quinimo Vngaris Petrum Regem, et Petro Regi Vngaros reconcilians, in Albam Regalem veniunt, et Petro insignijs regijs induto, diadema proprijs manibus imposuit, regnumque Vngariae, omni populo acclamante, Vngarico, Petro confirmavit, et innouauit, atque Vngaros proprijs et municipalibus scitis et legibus viuere concessit. Compositisque debito ordine Vngarorum rebus, multis honoratus a Petro Rege et Baronibus Vngariae muneribus, incolumis Ratisbonam rediit et ad res imperij gubernandas, dirigendasque animum intendit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRAGESIMVS SEXTVS

Ad substituendum in locum vacantis Cracoviensis Ecclesiae dignum Pontificem, Casimirus Poloniae Rex impendere non destitit praecipuam curam. Quamuis enim plures personae ad culmen Archiepiscopale idoneae sese ~~offer~~ offerrent, omnibus tamen praetermissis et neglectis ad Aaronem Monasterij Tinecensis Abbatem natione Gallum, omnem considerationem et cogitatum vertit. Nouerat siquidem probe, dum vna simul in Cluniacensi monasterio obversarentur, viri singularem doctrinam, vitae sanctimoniam, et religiosae conuersationis virtutem.

Huc usque

Hunc etiam propter raras hominis virtutes obtinuit, in Archiepiscopum Cracoviensem postulari, postulationemque suam a Benedicto Papa nono confirmari, praefatus siquidem Benedictus nomine Casimiri Regis Poloniae, quam in promovenda praefati Aaron viri literati et religiosi persona habuerat, zelo et probitate delectatus, postulationem confirmando, et pallium decernendo, Casimirum Poloniae Regem voluit specialiter honorare, sed enim verbis legimus usum eum fuisse, Pro Reverentia Beati Petri principis Apostolorum, sub cuius velamento te statuimus restituisti, et pro amore Regis Poloniae Caroli alias Casimiri domini vestri, cuiusque coniugis Mariae, eorumque filii Boleslai, et pro honore totius regni Poloniae, statuimus, stabilimus, decernimus, et benedicimus in perpetuum in Ecclesia et cathedrali Cracoviensi esse Archiepiscopatum et Metropolim, cui subiicimus omnes omnium Episcopatuum parochias, qui in toto regno sunt Poloniae, ut Archiepiscopali more praesideat universis. Tibi quoque et successoribus tuis pallium de corpore Beati Petri sumptum concedimus, diebus solennibus a iure institutis deferendum. Operaepretium visum est praesenti operi haec inserere, et pro Casimiri Regis, quo cum summus Pontifex dignabatur honore, et Ecclesiae Cracoviensis excellentia et dignitate, quam etsi per negligentiam succedentium huic Aaroni pontificum retinere desiit, iustum tamen est, et Reipublicae Polonorum decorum et necessarium, ut illam quandoque per propitiationem divinam et regum Poloniae, Gnesnensium quoque et Cracoviensium Pontificum prudentiam, resumat. Gnesnensi siquidem non tenuis splendor, sed amplior honor accederet, si potius non ad unius Leopoliensis Archiepiscopalis Ecclesiae, sed ad duarum Cracoviensis videlicet et Leopoliensis respectum Primas vocaretur.

Tertius filius Casimiri Poloniae Regis ex Dobrogniewa alias Maria Poloniae Regina natus est, cui mandato paterno avitum nomen Mieszko datum est in baptismo, alias Mieczslaus

Henricus tertius Romanorum Rex Italiam ingressus et a Romanis magno honore susceptus, tres de papatu contendentes, videlicet Benedictum, Silvestrum, et Gregorium, indigne constitutos Sinodaliter deposuit. Romani siquidem Benedicto eiecto Silvestrum constituerant. Sed is a Benedicto pulsus, Gregorius contra Canonum sanctiones surrogabatur, Omnium itaque trium praedictorum potestate Sinodaliter abrogata, Singerus alias Suuidigorus Bambergensis Episcopus natione Saxo quamvis nimium reluctans, qui et Clemens secundus vocatus est, in Papam eligitur, et in die natalis Domini consecratur. A quo eodem die Henricus Rex cum Agnete coniuge sua Vuilhelmi Pictauiensis principis filia benedictione imperiali sublimatur. Eodem quoque anno praefatus Clemens Papa moritur, cui Popo Brixinensis Episcopus qui Damasus secundus vocatus est succedit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS

Non tulit autem Ungarorum gens Petri Regis diuturno tempore imperium, sed ad res novandas pro varietate ingenij animum convertens, qualiter Petrum Regem vel exularent, vel occiderent, et Andream Belam, et Leventam principes suos filios Wladislai calvi qui apud Poloniae Regem Casimirum exulabant, in regnum Ungariae reducerent, per contractus varios decoquebant. Qua novitate ad Petrum Ungariae Regem perlata, principales eorum videlicet Vysschonam, Bindam, et Bussadum, iussit comprehendi et in aculeo suspensos interfici, caeteros vero eorum societatis et sectae conscios effossis oculis tormentari, Non ob id tamen gliscens contra Petrum Regem seditio oppressa, sed magis aucta est. Ungarorum enim fere universi proceres similem poenae et cruciatus veriti, conventum apud Chonadinum in frequenti numero agunt, exindeque missis ad Andream Belam et Leventam celeribus nuncijs in Poloniam, significant in quanto universi ni celeriter ipsi rediant vergentur periculo

Se nunquā

se nunquam ab eorum fide et obedientia iureiurando pollicentur discessuros. Et Andreas quidem et Leuanthe desiderio regnandi et patriae afflictae succurrendi moti, ad Ungariam cum nuntijs redeunt. Bela vero pro ea vice apud Regem Poloniae Casimirum germanum consortis suae perseverandum duxit. Occurrit autem Andreae et Leventha Ungerorum magna multitudo, et magno gaudio illos susceperunt, ubi primum ab illis sibi valido clamore et instantia expetijt, quatenus Episcopis et Clericis interfectis, Collectis quoque exterminatis, liceret eis prisco ritu vivere gentili, et Deos patrios colere, fide Christiana totaliter abiecta, cum sub cultura Deorum patriorum feliciter celebratam vitam quondam, occupando varias terras, regna et dominia exegissent, alias non sperarent se ab eis aliquam fidem et obedientiam habituros, neque arma pro eis contra Petrum Regem sumpturos. Principes autem praedicti Andreas et Leventa etsi petitionem Ungerorum intelligerent detestabilem et iniquam, non tamen curaverunt, seu ob ambitum terreni regni, seu quia imminens periculum causabat, abrogare, sed vel annuentia, vel dissimulatione pernicioso sceleri assensi, coinquinari Ungaricum populum, et a fide Sancta Catholica apostatare permiserunt. Inter Baronis autem et milites Ungariae Varda de Belus devovit se daemonijs et ritum sacrilegum praedicare ex tunc coepit. Sed et filius suus Janus conformans se paternae praevaricationi, magos, aruspices, et phitonissas ad se vocaverunt. Eorumque exemplo caetera Ungarorum multitudo secuta, daemonijs libamina offerre, et thura accendere et execrabilia quaeque scelera committere ausa est. Nam primum omnes Latini et Teutonici Regis Petri praefecti et officiales ubique locorum quesiti et repetiti vario genere mortis consumpti sunt, deinde Beatus Gerardus Chanadiensis Episcopus biga impositus de monte Kelendfeld praecipitatus et lancea perforatus in pectore, et Buduo alij Episcopi Besztricus et Budli cum plerisq; Presbiteris, clericis, et laicis saxis obruti aut vulneribus sauciati fileri cruore pro nomine Jesu Christi damnati sunt. Ipse quoq; Petrus, Rex Ungariae, omnium humano destitutus auxilio, periculum sibi videns imminere, versus Austriam fugam iniit. Sed ex fuga nuntijs Andreae et Leuenthae verbis pacificis et dolosis revocatus, in quandam curiam diverteus, per triduum viriliter cum militibus suis impetentibus se resistebat. Militibus tandem suis telorum multitudine confectis, ipse in manus hostilis Ungerorum veniens vivus excaecatur. Albamq; regalem deductus, nimio dolore eum intus et extra exagitante mortuus est, et in basilica quinq; Ecclesiarum quam ipse fundaverat sepultus est. Consortem insuper eiusdem Petri Regis vel potius relictam multis contumelijs et iniurijs afficiunt. Forenses insuper milites in obsequijs Petri Regis demorantes aut propellunt aut trucidant, quod facinus Henricus Imperator imperij negocijs distractus in Italia transitusq; vindicare ea vice non potuit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVADRAGESIMVS OCTAVVS.

Miserabili morte Petro Rege Ungariae defuncto, Andreas alter Ducum in Regem Ungariae in Alba Regali a tribus Episcopis, quos ipse de morte liberaverat coronatus est. Et continuo cultum Catholicum resumere et instaurare, cultores quoq; Daemonum et Idolatras vehementer persequi coepit, persuadens Universis Ungaris spurcitias sacrilegas esse relinquendas, et in cultura unius veri Dei quam illos Beatus Stephanus primus Rex docuerat, et in qua eos reliquerat, esse fideliter permanendum. Infra dies autem illos frater Regis Leuentha idolatra ipse et idolatrorum receptator, morte absumptus est, et in loco prophano circa villam Noxim sepultus. qui si regimen Regni Ungariae et dies longiores sortitus fuisset universam Ungariam ad inquinamenta sacrilegia et idolatriae, sua sequela exemplo et mandato perduxisset. Morte tamen sua, et Regis Andreae zelo, virus illud quod se multifarie in perniciem universalem diffuderat, restrictum est, et cultus Idolatriae abrogatus

Andream

Undecim annis Benedictus primus, Posnaniensi gubernata Ecclesia moritur, et in eadem Posnaniensi Ecclesia humatur. Cui ad electionem Canonicorum Joannes vicesimus Papa a Casimiro primo Poloniae Rege rogatus, Marcellum primum natione Romanum de familia et domo veteri Marcellorum substituit.

Vacabat pro ea tempestate et Casimirus Poloniae Rex et milites sui a bellis. Maslao enim Plocensium tyranno devicto et digna morte mulctato, neminem vivi, nemini ex his qui se Rege absente in Tirannos erexerant, subesse pendent. Ipsi quoque Pruteni, Jaczwingi caeteraeque barbarae nationes in fide continebantur. Quapropter Casimirus Poloniae Rex civitatem patriam, superioribus tamen bellis plurimum vexatam et afflictam multipharie conatu instaurabat, deformata reparans, et erigens collapsa, divina quoque clementia illum et actus suos dirigente; charus erat militibus, et universis subditis, vicinis vero principibus et nationibus formidabilis et admirandus. Natus quoque est illi ex Dobrogneva Regina quartus filius, quem Ottonem nominarunt, ut genus Ottonum Imperatorum, de quo ipse ex sanguine materno satus erat, se honorare et extollere testaretur. Infans autem praefatus Otto paucis mensibus ab ortu superveniens immatura morte diem obiens, utrique parenti maiorem luctum praestitit maternam in funere, quam laetitiam praestiterat in nativitate. Humilitatis autem et modestiae specimen, quod sibi Casimirus Poloniae Rex in Monasterio agens Cluniacensi familiare fecerat, in culmen regium evectus, non reliquit, nec ulli malevolentiae odio, quod super electione sua et matris plerique illum habiturum crediderant, succubuit, sed sponsionem suam nobiliter et ad integrum adimplevit, quia omnium contra se et matrem gestorum habere oblivionem fuerat pollicitus.

DAMASUS Papa, qui et Poppo, Romae moritur et apud Sanctum Laurentium extra urbem sepelitur, post quem Bruno natione Almanus, Leucorum Episcopus ab Imperatore Henrico electus, et Romam missus, summo honore a clero et populo Romano susceptus in Pontificem summum consecratus, Leo nonus appellatus est. Romanis secundum petentibus sibi ab Henrico

Imperatore dari Pontificem, et nullus ex Alamania Episcopus ad assumendam Petri Cathedram posset induci, praefatum Brunonem Episcopum, secundum aliquos Tullensem, Caesar nominavit, virum simplicem, qui ad urbem veniens, et de arreptione summi Pontificatus de manibus Imperatoris conscientiae verme remorsus, cessit Papatui, sed deinde ab omnibus electus, laudabili vita Papatum gessit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUADRAGESIMUS NONUS

Stabilito Ungariae regno Andreas Rex, ex morte Petri Regis pacificato, mittit praefatus Andreas Rex in Poloniam nuncios ad Belam germanum suum, significans sibi filios successores suos, et qualiter Regni Ungariae plenam et pacificam adeptus sit possessionem, rogans ut in Regnum Ungariae a quo cum sibi propinquum et haereditarium redire non recuset, sibi in regno ipso cum orbus tunc fuerit, et non in fratris solum sed et filij loco habendus, successurus. Asserens non convenire utrique, videlicet, ut post diuturnum exilium communiter toleratum, felicitate tributa aequaliter non fruantur. Hac legatione Bela Dux Ungariae persuasus, Casimiri insuper Poloniae Regis germani uxoris suae consilio communicato, cum uxore praefata et duobus filijs Geysa et Wladislao quos in Polonia genuerat, et cum omni familia, substantia, et suppellectili in Ungariam redijt, et a fratre Andrea rege cum immenso gaudio et hilaritate susceptus est. Cui etiam praefatus Andreas Rex pro charitate fraterna tertiam partem regni Ungariae, ducibus pro se regunatis consignat. Accepit autem praefatus Andreas Rex, Principis Russiae filiam nomine Anastasiam ex qua nati sunt eidem filij videlicet Salomon et David. Bela quoque Duci tertium filium ex quo in Ungariam redijt Ducissa sua peperit, cui nomen aptant Lampertus, viguit quoque aliquanto tempore fraterna concordia et charitas inter Regem et Ducem

HENRICUS interea Imperator indignam necem Petri Ungariae Regis ultum iri cupiens, expeditione indicta et notabili exercitu collecto Ungariam ingressus. Castrum Przesburg alias Posonium obsidione cinxit, et aliquot mensibus per industriam bombardarum quatiens, et Ungaricam agrorum vastatione affligens, expugnatione castri eiusdē non perfecta, ad agendum bellum contra Gotfridum et Balduinum in Almaniā redijt.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVINQVAGESIMVS

Indixerat et eo anno Caesar Henricus contra Vngaros et Regem eorum Andream, generalem expeditionem, tam contumeliam Saluatoris nostri in abolita fide Orthodoxa, et Idolatriā repetita, quam ob necem Petri Vngariae Regis consobrini sui vlturus. Cum autem tempus procedendi et traducendi exercitum in Vngariam aduenisset. motus varij Principum, caeteraque imperialis curae, ne personaliter eidem expeditioni interesset, distraxerunt. Impedimenta autem obuenientia moleste ferens, expeditionem in Vngaros non omisit, sed exercitu collecto Gebhardum Ratisponensem Episcopum suum patruum germanum praeficiens, ~~bellum~~ cum grandibus copijs ad inferendum Vngaris bellum transmisit, ipse vero in Almaniā ad comprimendos motus orientium bellorum, et ad res imperialis officij bene gerendas remansit. Et Gebhardus quidem, Ratisponensis Episcopus vt sibi ab Henrico Caesare mandatum erat Vngariam ingressus, eam innumeris spolijs et rapinis in locis pluribus afflixit. Vngari enim non faciebant pugnandi copiā sed in castris et munimentis caeterisque abditis locis se continebant, et tam nocte quam interdiu ex insidijs opportunitate conspecta, Caesaris exercitum infestabant, pabulatoresque et caeteros Almanos passim per agros palantes aut capiebant aut trucidabant. Propter quod praefatus Gebhardus nullo memorabili in huiusmodi expeditione edito opere, in Almaniam exercitum Caesareū reduxit

Grandi indignatione Imperator Romanorum Henricus contra Casimirum Polonorū Regem, Bretislai Bohemiae Ducis prouocatus suggestu, quasi Andreae Vngariae Regis partis enixius promouisset, et rebellionē contra imperatorem molitus, imperij regiones bello affligere conaretur, expeditionem contra Poloniam parabat. Sed interim graui infirmitate obrutus,

legatos

legatis Polonorum Regis Casimiri ad eum venientibus et causas accusationis falsas monstrantibus, et indignationem et apparatum belli deposuit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS

Administrationem belli contra Ungaros et Panoniam per Gebhardum Ratisponen. Episcopum Caesareo nomine anno superiore factam, Caesar videns ad irritum recidisse, maioribus copijs collectis personaliter Ungariam Petri Regis mortem ulturus, et Ungarorum contumaciam compressurus, adivit, et ipse quidem terrestri itinere exercitum duxit, Gebhardum vero Ratisponen. Episcopum victualia in classica navali transitu per Danubium, ne exercitum suum inedia laborare contingeret, ferre ordinavit. Rex itaque Andreas Ungariae, et Bela dux germanus eius, Caesareo exercitui se intelligentes sine evidenti discrimine resistentiam opponere non posse, singula loca per quae Imperator cum exercitu erat aditurus, ex industria incendijs abradunt, agrestisque cum pecore et omni suppellectili in loca remotiora et abdita secedere compellunt. multaque igni consumunt. Interim et Gebhardus Ratisponen. Episcopus qui navibus victualia ducebat, Jaurinum pervenerat, et ubi nam locorum Caesar esset ignorans, transmisso et nuntio et literis petebat se a Caesare instrui quo sibi divertendum esset, sed nuntio ab Ungaris comprehenso, et Regi Andreae praesentato, Almannus alius in locum eius subrogatus ad Gebhardum remittitur, falso sub nomine Imperatoris Henrici, ob bella in Almania exorta se Pannonicum bellum omisisse, et in Almaniam redijsse, mandareque ut et ipse quam celerius reverti festinet. Quo huiusmodi vafris mandatis parente, imperatoris exercitum fames urgere coepit primum, ex quo et aliud malum pestis et dissenteriae, accrescit. Infestabatur insuper Imperatoris exercitus ab Ungaris qui tentoria aut pabulatum euntes, aut per agros vagantes, sagittis venenatis ex insidiosis et occultis locis nocturno praesertim tempore, plurimum affligebant nemo enim ex his quos sagitta veneno delinita tetigisset, poterat vitae superesse. Videns itaque Caesar tantae multitudini quam ducebat non animum ad expugnandum, sed pro grandi copiam et victualium necessaria deesse, pluresque ex suis aut fame tabescentes, aut morbo et veneno infectos esse: prudenti usus consilio exercitum in Alamaniam reduxit, oportuniori tempore expeditionem tunc coeptam resumpturus.

Jaroslaus Russiae et Kyoviensis Dux gravi morbo et diuturno, et qui diutin macilis erat gravatus, sentiens se propediem moriturum, vocatis quinque filiis quos relinquebat, videlicet Zaslao, Swantoslao, Wszewolodo, Igoro et Vieczeslao, longo sermone monet eos et persuasionibus et exemplis et morte sua sequuta, concordiam et unionem fraternam inter se, florentes principatus et dominia habitum, retineant. quam si scinderent, non dubitent hostes se et sua ultro invasuros. Dividit deinde Jaroslaus principatus Russiae inter filios, et Zaslao quidem natu maiori Kyow, Swantoslao Czyrnigow, Wszewolodo Peraslaviam, Igoro Vladimiriam, et Vieczeslao Smolensko committit, mandans et singuli filiorum Zaslao velut magis sensato et perito pareant. Zaslaus vero et fratres diligat, protegat, et eorum curam gerat. Et post haec moritur Jaroslaus septima Novembris anno vitae septuagesimo sexto, et in Ecclesia Sanctae Sophiae in Kyow quam aedificaverat, a filiis, Boiarijs, et magna multitudine populi sepelitur, sederuntque filii eius in sedibus et principatibus, quas illis pater Jaroslaus moriturus designaverat.

Imperator Henricus expeditionem contra Pannoniam resumens cum frequenti et numeroso exercitu, in quo et copiae gentium a Casimiro Polonorum Rege transmissae, et Brzetislaus Bohemiae Dux cum suis gentibus numerabantur, Ungariam ingreditur, flammisque et incendijs vicos et ignobilia oppida consumit, vastationemque et depopulationem agrorum longius iubet extendi. Andreas autem Ungarorum Rex, fratris sui Duce Bela communicato consilio, decernere integris copijs cum exercitu Caesareo, periculum veritus, supersedit, sed eisdem artibus, quibus superiori anno

usus

rsus fuerat, affligere exercitum imperialem nitebatur, clandestinisque et nocturnis insidiis eos qui pabulatum ibant, aut incaute ab ordinibus secedebant, impetendo. Verum dum insidiae Regis Andreae saepius tentatae secus accederent, et Vngariae regio incendiis continuis et vastitate vrerentur, legatos ad Imperatorem mittit, pacem aequis conditionibus composituros. Et Imperator quidem Henricus ut erat vir tractabilis et nobilis ingenii, supplicationem Regis Andreae et ea quae nomine suo proponebantur, ad exauditionis gratiam admittens, et commissam in Petrum Vngariae Regem mortem, et in se rebellionis scelus fatentibus et supplicantibus facile remisit, et a caedibus, spoliisque continuit, et de caetero, sufficientiis interpositis, agros Panonicos vastari et tecta uri prohibuit, per tractatus insuper treugarum more interpositos, pacem Regi Andreae et regno Vngariae reddidit. Quae ut firmior, diuturniorque consisteret, et ipse ad caetera imperii negocia obeunda liberius vacare posset, etiam cum Andrea Rege affinitatem petitam iungit, filioque eiusdem Andreae Regis, quamvis impuberi, filiam suam Sophiam desponsat in vxorem. Post haec Rex Andreas ad Imperatorem veniens, et insignibus variisque muneribus Henricum honorans, foedus initum iureiurando firmavit. Imperator vero reconciliato sibi Panonico Rege et Regno, ad Ratisponam venit, et Leonem Papam cum operientem offendit, vbi Leo Papa Sanctum Vuolfhangum de tumulo levavit, et Catalogo Sanctorum ascripsit. Exinde Papa et Imperator sub vno comitatu primum in Bamberk, deinde in caeteras Reni partes divertunt, ab eoque tempore imperator Henricus regnum Vngariae lacessere bello intermisit.

Conditionem Smogorzouien. et tunc Byczynsky Ecclesiae Poloniae Rex Casimirus satagens efficere meliorem, locum Vuratislauiensis civitatis intelligens propter fluvium Odrae salubre situm multis commoditatibus refertum, illam de Byczyna velut loco tunc obscuro et agresti, in quem altera iam vice de Smogorzow fuerat translata, in Vuratislauiam transtulit, et locum aptissimum castro suo Vuratislauiensi proximum et contiguum, in circuitu quoque caetera loca pro Pontifice et Praelatis atque Canonicis assignavit, ab eoque tempore nomine priori abrogato et

mutato Vuratislauiensis cœpit vocitari. Primus autem eiusdē
Ecclesiæ Episcopus, ex quo de Byczyna in Vuratislauiā trans
lata est, fuit Hieronimus, neq aliâs nisi tunc nomina Episco
porum Vuratislauiensiū cœpta sunt annalibus inscribi. Alio
rum enim Episcoporum nomina, qui Ecclesiæ eiusdem dum in
Smogorzow et in Byczyna consisteret, præfuerunt, et penuria
incuriaq scribentium et duplici Ecclesiæ præfata translatione
suppressa sunt usq ad nostram ætatem. Per me vero utcunq
recollecta sunt, et in speciali libello redacta. Transla
tio autem Ecclesiæ memoratæ per Casimirum primum Poloniæ
Regem tunc procurata, causam dedit errori, ut Casimirus
ipse Poloniæ Rex in nonnullis annalibus et historijs inscriba
tur et referatur primarius Ecclesiæ Vuratislauiensis funda
tor, cum tantummodo illius fuerit translator, fundata enim
præfata Smogorzouien. seu Vuratislauien. Ecclesia sub uno
et eodem tempore cum Gnesnensi, Cracouiensi, Posnaniensi,
Plocensi, Crusuiciensi, Lubucensi, Colbergensi, et Caminensibus
Ecclesijs, quarum Dioecesibus in plerisq locis confinat, et a
Mieczslao primo Polonorum ~~Rege~~ Catholico Principe et Monar
cha erecta et perfecta est. Neq enim Polonorum Pontifices
aut aliqui ex illis adeo negligentes et desides, et suarum in
iuriarum ignauos repressores, credi fas est, ut intra fines sua
rum Dioecesium nouam Cathedralem Ecclesiā tam diffusos
terminos qualis nunc Vuratislauiēn. obtinere nouimus, li
benter, erigi, et suas Dioeceses coarctari, et usum, perceptaq
decimarum manipularium, in quibus Ecclesiæ ipsæ quemad
modum et cæteræ Poloniales Ecclesiæ fundatæ sunt, adimi pas
si fuerint. Poterat et ad priorem erroris præfati causam
etiam altera accedere, dum Casimirus Rex Poloniæ præfa
tus in translatione huiusmodi villarum, oppidorum, prædio
rum, liberaliter donationem priore multo~~rum~~ superiorem Eccle
siæ Vuratislauiensi adiecit, pro donatione munifica et trans
latione prouida a plerisq habitus creditusq est, habito ad pri
stinam tenuitatem Ecclesiæ respectu, fundator ipsius verius,
quam translator.

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVINQVAGESIMVS TERCIVS

Subsequenti igitur tempore Leo Papa et Henricus Imperator una in Almania commorati, natale Domini anni illius Vormaciae Diocesis Maguntinorum civitatis solemniter celebrarunt, plurimasque res deformatas in Almania corrigendo et unanimi voto componendo. Tandem summus Pontifex Leo ex Almania Imperatori valedicens discessit, et frequenti numero militum ex diversis imperij provincijs mandato Caesareo congesto, plerisque etiam Almaniae Praelatis et Principibus solidata ferentibus, cum iusto exercitu Apuliam intravit, Nortmanos Apostolicarum possessionum in regione illa et imperij invasores oppressurus, et Robertum Guiscardi, qui Apuliae incolas, nunc potentia nunc dolo affligebat, repulsurus. Roberto autem praedicto et Nortmanis ad pugnam contra gentes prope venientibus, quartodecimo Calendas Junij atrox praelium est commissum, in quo caede grandi utrimque facta, debilitatis Almanis viribus, Roberto et Nortmanis cessit victoria, robore militiae Almanicae confracto, Leo Papa cum paucis fugiens, in castellum quoddam, quo per hostes expugnato, in Beneventanam civitatem deducitur, exindeque Romam feliciter rediit. Tanta autem fuit utrimque caedes, ut acervus ex ossibus mortuorum usque ad haec tempora perseverans, admirabilis collem ostendit, ea autem clades Papae et suo exercitui ideo accidisse credita est, quod summum Pontificem pro viribus caducis pugnare magis orationibus et lacrymis quam armis conveniebat. Sive quod infames homines quam multos ad se ob impunitatem scelerum, vel quaestum avarum confluentes secum conduxerat

Frugum penuria cum anno superiori Polonorum regnum pressisset, eo anno amplius invalescens, varijs incommoditatibus Polonos afficit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVINQVAGESIMVS QVARTVS

Leo Papa nonus, natione Almanus de Lotharingia cum sedisset annis quatuor, mensibus duobus, et sex diebus, sextodecimo Calendas Maij Romae moritur, et in Ecclesia

Beati Petri Apostoli Romae magnifico sumptu tumulatur, cuius ad Apostolicae sedis fastigium ascensus eo ordine pervenerat. Romani siquidem dum Damaso Papa decedenti ab Imperatore Henrico, iuxta consuetudinem et ordinationem pro ea tempestate servatam, Papam sibi dari peterent, Imperator Henricus Brunonem Tulensem Episcopum virum bonum et simplicem ad regendam sedem Romanam transmisit. qui ad urbem transiturus, in Cluniacum pervenit, ubi Hildebrandus Monasterij Cluniacensis ordinis S. Benedicti prior illi suggerit, illicitum fore per saecularem manum gubernatione universalis Ecclesiae potiri. Ea admonitione vir adsentiens piissima compunctus, pontificali habitu se spolians, habitum peregrini assumit, et Hildebrandum priorem Cluniacensem, secum Romam adducens, urgenti consultu, Papatui renunciavit, Sed a clero Romano denuo electus, regimen Ecclesiae assumere coactus est. Hic sapientia et sanctitate clarus, cum ad suscipiendam Apostolicam sedem ex Almania versus urbem iter faceret, audivit cantantes Angelos. Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis. Hic cum pauperem leprosum ante fores Palatij vidisset, se Christum in paupere recepisse, obstupuit. Translatus est ad priorem suam sedem Tulensem fato functus, ubi multis claruit miraculis. Surrogatur autem in locum Leonis noni Bebehardus Eistacen. Episcopus, natione Almanus metu Imperatoris Henrici, surrogationem suam causanti; et Victoris secundi nomen accepit, in die coena Domini consecratus

DE PLURALITATE beneficiorum quae circa haec tempora nimis invaluisse videntur, et demum ipsis continuata, multumque dolenda, ambitione praelatorum et Simoniacae labe, quam plurima scripta Sanctorum patrum habentur, detestantia abusiones istas, et nota, quod facile inventi sunt pauperes Clerici et Doctores, qui pluralitatem beneficiorum et pompam Ecclesiasticorum reprehenderunt, donec offerret sibi occasio participandi, qua accepta communiter avaritia excaecat eos. Fertur de quodam magistro magnae literatura, qui valde sublimiter disputabat contra divitias praelatorum et fastum eorum, quasi omnino sic vivere non liceret, Haec cum nunciata Domino Papae fuissent, plausibiliter respondit, demus ei bonam praeposituram, et haec et illa beneficia, et bene pacatus erit, factum est ita, et ecce protinus sententiam mutavit dicens, numquam intellexi materiam hanc praeter modo, quippe qui de inope

dens

diues, de [illegible] repente gloriosus apparuerat. Hos Beatus Hieronymus velut pestes quasdam contagiosas vitandos pronunciat. Dixit quidam notabile verbum, qui habet unum beneficium competens, et eo legittime utitur, recto calle ad patriam tendit, qui unum superaddit, uno oculo conscientiae priuatur, qui aliquid adhuc plus acceptat, altero etiam luminis priuatus totaliter excaecatur, et demum ipse quaecunque potest, euacuat. Hanc maledictionem insaciabilis auaritiae olim praesignat Jeroboam Rex Israel, qui licet diuinitus ad regnum peruenerat, statim tamen a cultu Dei recessit, fecitque duos vitulos aureos, ne populus Israel ad templum Domini ascenderet. Factum autem est hoc verbum in peccatum, ita ut omnes sequentes Reges hunc cultum sacrilegum obseruarent in destructionem regni. Ita de Ecclesiastico statu timendum esse Sancti viri vehementer asseuerant, et iam in pluribus mundi partibus complurimos cernimus clericos, qui [illegible] possidere deberent, praeter rationabilem competentiam, neque sese temporalibus intromittere, omnia possidere, omnia volunt gubernare. Idcirco ut Beatus Bernardus dicit, quia ordinem nullum seruant, illuc properat ubi sempiternus horror inhabitat. Olim Pharisaei contra auaritiam disputantem dominum deridebant, et insanum indicabant, sed nunc dominus subsannat eos. Caueas lector qui multa occupas bona, ne idem facias, neque eadem patiaris, deus non irridetur, sed quae seminauerit homo haec et metet, noli sequi consuetudinem periculosam, noli te dispensatione excusare; ad oculum vides, quod vituli aurei adorantur, sed caelicae mactantur. Sed quam necessitas, quae conuenientia in hoc Deo est exhibita, quod de numero ministrorum eius propemodum medietas est resecata! Si enim cuilibet beneficio permitteretur dari suus possessor numerus seruorum Dei esset duplex qui modo est simplex. Sequere consilium eorum qui Deo iam in caelestibus coniuncti sunt ne cum vitulis aureis aeterno igne conflagres. Quid prodest ultra prohibitos beneficiorum titulos coadunare quando etiam simplicibus communiter videmus in frugali honestate amplius abundare?

MIECZESLAUUS filius Jaroslai Dux de Smolensko moritur, nulla prole relicta, cui germanus suus Gregorius succedit in principatum, qui et ipse paruo tempore subsistens absumitur.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUINQUAGESIMUS QUINTUS

Nona

Noua Casimiro Polonorum Regi superuenit voluptas, ingenti illum gaudio reficit. Consors enim sua Dobrognieua quae iam illi quatuor masculos pepererat, et annis aliquot parere desierat, sterilis de caetero permanere debuisse credebatur, filiam effudit, Ad cuius Baptisterium Casimirus Poloniae Rex praelatos et Barones Regni sui conuocans solennem curiam Posnaniae celebrauit, et filiae nuper natae Suantochna nomen dedit

Synodus Florentiae celebratur, in qua multi Episcopi propter Simoniam et fornicationem Synodali sententia damnatur per Victorem Papam secundum, ob scelera praefata puniti et de suis sedibus eiecti

Brzetislaus Bohemiae Dux Pannonijs seu Vngaris bellum illaturus cum exercitu usque in Crudzim peruenerat, vbi graui languore correptus, et coeptam contra Vngaros expeditionem omittere, et animam exalare quarto Idus Januarij coactus est, quinque filios relinquens videlicet Spitigneum, Vuratislaum, Conradum, Otthonem, et Jaromir, cuius morte sequuta maior natu Spitigneus, ita enim pater moriturus ordinauerat, in Ducatum Bohemiae successit, qui primordia sui regiminis saeuitia et crudelitate consecrans, prima enim die Principatus sui publico edicto omnes Almaniae sanguinis et gentis homines infra triduum Bohemia excedere mandauit, capitis poenam subituros, si quispiam ex Theutonicis infra idem triduum intra Bohemiae terminos fuisset repertus, cui illico edicto paritum est, et omne Theutonicorum genus vitae consulens, quam sibi lapso triduo Bohemos non ignorabat adempturos, tumultuario more possessionibus domibus et agris caeterisque bonis immobilibus derelictis ex Bohemia effugit. Et ne quid tam rigido Ducali edicto crudelitatis deesset, Spitigneus praefatus genitricem suam Juditham, quam suus pater Bretislaus e monasterio Ratisponensi Nidermunster vocato, filiam Otthonis Ruffi Imperatoris rapuerat, et Abbatyssam Sancti Georgij, Brunonis comitis Almaniae filiam, quoniam sanguinis Theutonici vtraque erat, in bigam pro ampliori contumelia extra Bohemiam ordinauit deduci, vel potius eijci, et in Almaniam deportari, maternum vtrumque tam iniurioso opere dehonestans, Ad quam iniuriam recompensandam mater praedicta Juditha quamuis aetate confecta viro Almanno nupsit. Cuius crudelitatem germanus suus Vuratislaus dum illum venire in Moraviam, in qua ipse morabatur, audiret veritus, in Ungariam ad regem Andream Ungariae effugit. Sed Spitigneus Moraviam adveniens, dum in fratrem Vratislaum absentem saevire non posset, in uxorem suam in Olomuncz dimissam saeviens, ipsam captivavit, et ad castrum Liszen Baroni Mezij custodiendam et deportandam tradidit, ubi dum mensem exegisset, quoniam proximam partui agnoverat, solvi iussit. Sed illa de Liszen egressa et molestijs captivitatis et laborum, quos in itinere ferre cogebatur attrita, in partu periclitata est, quam dum vir suus Vratislaus inconsolabiliter fleret, Andreas Ungariae Rex hospitem singulari humanitate tractatum, volens a maerore solvere, filiam suam Adleidem, tradidit in consortem. Quod Spitigneus Bohemiae Dux audiens et potentiam fratris nova affinitate auctam suspectam habens missis nuncijs eum sibi reconciliat, et omnia quae sui invaserant in Moravia restituit

In Pontificatu Vuladislaviensi alias Cruswiciensi Vernarius Episcopus annis tribus et viginti absumptis, post Epi[illegible] diem obijt et in Corlisiec villa Parhanie conditur, cui Andreas primus per electionem canonicam Casimiro primo Poloniae Regi suum praebente consensum successit, a Leone Papa octavo provisus

Imperator Henricus Italiam cum insigni exercitu et comitatu, Victore Papa procurante et movente advenit et super statu Ecclesiae et Italiae multa solerter et solicite tractans et disserens, pacem in Italia composuit. In Apuliam quoque contra Normanos iura Ecclesiae occupantes militiam misit, quae nihil memorabile agens partim hostili invasione, partim morbis et languore confecta, infelices successus habuit. Agente Henrico Imperatore in Italia, Victor Papa apud Florentiam Sinodum celebravit, et multos Episcopos simoniacos et incontinentes [illegible] a sedibus suis deposuit

Annus Domini Millesimus Quinquagesimus Sextus

Famis valida universas fere Christianitatis regiones invadens, multos mortales et afflixit et extinxit, serpente quoque diutius penuria et egestate, et seditiones quoque exinde cum bellis tam civilibus quam forinsecis exortae sunt

Linteri

Lutici quoque populi genus a Slavis et Polonis ducentes, quorum regio in finibus Albae fluminis, ubi Alba in Oceanum cadit, sita est, bello Saxonibus caeterisque conterminis populis moto, proelioque conserto, victores effecti, magnam caedem ediderunt, fugientes vero in aqua suffocati sunt. Tunc quoque Vilhelmus Saxonum Marchio cum plurimis aliis Saxoniae maioribus a Luticiis occisus interiit

HENRICUS tertius Suevus natione Imperator, compositis in Italia rebus Almaniam remeabat. Victor quoque Papa precibus Imperatoris flexus urbe relicta in Almaniam venire decrevit. Conventu deinde apud Danltum indicto et celebrato Imperator Henricus morti se intelligens, propter valetudinem, qua detinebatur adversam, propinquum, de consilio et assensu summi Pontificis Victoris tunc praesentis, et Almaniae principum, ius electionis habentium, filium suum Henricum ex Agnete susceptum septennem, Regem ordinat et instituit. Deinde quoque infirmitate ingravescente in Botfelden decumbens tertio Nonas Octobris moritur, cuius corpus Spiram relatum, summo Pontifice Victore praesentia sua cuius cohonestante funerias, celebrem accepit sepulturam, Omnibus autem iusto ordine funeri persolutis, et rebus imperium tangentibus, prout qualitas temporis exigebat ordinatis, Summus Pontifex Victor Romam cum pace rediit. Mortuus est autem Henricus praefatus tertius nominis Suevus Imperator anno aetatis suae trigesimo nono, regni vero decimo octavo, imperii vero quinto decimo, vir ingentis, sexagies et bis acie dimicavit, magnus excommunicatus, reconciliatus Gregorio septimo absolutionem impetravit, sed iterum ei rebellans Antipapam contra eum Romae locat, a quo dein imperio depositus, Saxoniae Dux Rodolphus ab electoribus iussu Papae Gregorii eligitur, quem Henricus cruento bello superat, ipse quoque a Roberto Apuliae Rege Roma pulsus, miserabili morte a filio quem in Regnum sublimaverat captus, vitam in carcere finivit

A ANNVS DÑI MILLESIMVS QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS

Quartus Henricus Imperator Henrici tertii filius admodum puer patri succedens regnare coepit, ab Augusto vero octuagesimo octavo. Hic cum infantulus adhuc esset, septimum scilicet aetatis agens annum, a primoribus regni matri suae Imperatrici Agneti ad educandum commendatus est, cuius sororem nomine Mathildam Rodolphus Dux Alamanorum, qui et postea in perniciem affinis sui Henrici invasit imperium, duxit uxorem. Filio autem Henrico existente impubere Agnes imperatrix aliquanto tempore regnum Alamaniae sub sua cura tenuit et sapienter ac strenue illud rexit. Pluribus autem incommoditatibus regiones Germaniae fame videlicet et mortalitate afflictae sunt, et in plerisque locis lapides mirae magnitudinis permixti grandine ceciderunt, et plures mortales fulminis violentia extincti sunt.

Victor secundus Papa Romanus, qui et Gebhardus, Romae moritur, et in Ecclesia S. Petri sepelitur, pro quo Fridericus frater Gotfridi Ducis iam Monachus factus, et Abbas tunc Monasterij Cassinensis a Romanis pontifex ordinatur, natione Lotharingus, et Stephanus nonus appellatus est. Post quem Romani accepta pecunia Joannem, vel ut alij placet, Mincium Veltrensem Episcopum contra Canonum instituta elegerunt et Benedictum vocaverunt, qui sine confirmatione per aliquot dies sedens, a Duce Gotsfrido fratre Stephani Papae noni expulsus est. Dum autem praefatus Stephanus Papa nonus men sex dies viginti quinque, sedisset moritur, et Florentiae sepelitur, quo mortuo Gerhardus Florentinus Episcopus a collegio Cardinalium apud Senas, vel ut alijs placet, apud Hostiam Canonice et legittime electus est, natione Burgundus, qui et Nicolaus secundus vocatus est. Hic electionem Papae edidit, quae habetur distinctione vigesima tertia. Et Romae apud Lateranum concilium celebrans Berengarium circa Sacramentum Eucharistiae notabilissime errantem, et asserentem non esse corpus et sanguinem Christi in Sacramento, nisi et in signo revocare errorem suum multipliciter confutatum coegit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS QVINQVAGESIMVS OCTAVVS

Ad robur usque virile Poloniae Regnum, quod ex morte Mieczslai regis alto languore et pene morte confectum erat, optimo Casimiri primi Poloniae Regis regimine et gubernatione pertingebat, tranquillam enim beatamque sub Principe illo Poloni agentes aetatem, mira mox claritate, pristinaque dignitate et favore collapsa prostrata superiori tempore sed et perdita creverat, solidaverat et refecerat. Ipse quoque Casimirus Rex timorem Dei singulis suis actionibus praeferens et innocens et simplex ac recta via in conspectu Dei gradiens, iustitiam et pacem summopere diligebat, externos motus qui saepenumero concitari solent bellum in ipsis initijs confringens et dissolvens, praecipuus Dei cultor, viduarum pupillorumque defensor, Ecclesiarum munificus dotator, patriae ardentissimus amator, praedonum et furum hostis habebatur. Tanto insuper ardore, tanta sollicitudine et charitate pro extollenda, magnificandaque Republica regni sui Poloniae studio nativo, et indefesso certare laborareque visus et notatus est, tantaque afflictis et pene perditis Regni sui rebus induxit convalescentiam, et profectum, ut universali acclamatione et consensu instaurator pacificus et tunc quidem decoratus est, et in hac usque tempora vocitatur. Vix autem et vitae et regiminis temporis dimidium emensus fuisse putabatur, dum fatis illum appetentibus forti languore correptus in grabatum decidit, mensique integro cum morbo luctatus, dum victa natura se moriturum agnovisset, praelatos et primores regni sui Posnaniam, illic enim decumbebat, convocat, et plurimis limatisque verbis apud eos ratiocinatur, quatenus concordiam et iustitiam summopere colerent, et morte sua secuta primogenitum suum Boleslaum prudentia et natu maiorem, pro Rege susciperent, tandem in aula regia Posnaniae dominici corporis caeterisque Sacramentis devote sumptis, religioseque, ut tanto conveniebat Regi, vigesima octava Novembris mortuus est et ingenti ac magnifico apparatu in Cathedrali Posnaniensis Ecclesia in sepulchro avi sui Boleslai primi Polonorum Regis cum paternis cineribus consepultus anno Regni decimo octavo, vitae vero quadragesimo quarto. Vir statura procerus, forma conspicuus atque venustus, barba promissa, capillo copioso, habitudine vegeta, studio pietatis et instaurationis usque ad exitum vitae, viguit, et cum supremum vitae diem adesse intelligeret, successorem et proximum regni Boleslaum natu maiorem filium designavit. Stella crinita suae vitae suique regiminis exitium portendere putata, per continuas et plures noctes apparuit.

Gentiles et Barbari Polowczy veniunt hostiliter contra Vssevoldum ducem Russiae, de Peraslaw, et inito certamine vincunt Vssevoldum et exercitum eius secunda die Februarij obtentaque victoria cum Duce suo dicto Szelial, crudelissima vastatione in Ducatu suo grassantur. Haec autem clades primarium fuit malorum, quae tunc primum et ex post passa est terra Russiae a Polowczys.

Restituto

Restricto et indebito luctu et maerore, qui ex immatura Casimiri Poloniae Regis morte, in pectora primorum Poloniae ascenderat, neque enim eum Principem, eum Regem iusto et fideli dolore lugere non poterant, qui sua Monarchia deserta quieti, vos a calamitate et luctu et paene abiectione vindicaverat, extulerat, honestaverat, sub cuius principatu hostibus in circuitu oppressis et exterminatis, securi et felices fortunis et rebus aucti abundabant, ad substituendum pro eo alterum Regem universi Pontifices et proceres Poloniae tractatus agitabant. Visum autem est primoribus, et in eam sententiam nobilitas vulgusque omne consensit, ut primogenitus Regis Boleslaus, tum quod natu maior esset, tum quod se praeaetatem prudentia et fortitudine singulari, liberalitate munificentiaque Regiis dotibus relucebat, tum quod a Patre designatus successor esset in Regem promoveretur. Accedebant et maternae Reginae Dobrogneuae preces lacrimis et singultibus onustae, quae unumquemque ex Consiliariis obtestans, prolationem quam nonnulli suadebant, velut perniciosam Reipublicae, resecandi, et Boleslaum filium suum coronari obsecrabat. Stat conclusioni stabilita confirmataque Gnesnam Metropolim, is enim locus pro ea tempestate, et pro veteri observantia, veneratione et authoritate summa eminenter pollebat. Itum est, et in Ecclesia Gnesnensi praefatus Boleslaus Dux et Regis Casimiri primogenitus, tres di viginti annos agens, a duobus Metropolitanis, Stephano Gnesnensi et Aaron Cracoviensi Pontificibus, Hieronimo Vratislaviensi, Posnaniensi, Plocensi, Crusviciensi et Culmensi assistentibus, magno baronum et nobilitatis favore, in Poloniae Regem ad altare maius coronatus et inunctus est, non solum unus coronationis dies sed et plures subsequentes in laetitia et lusibus absumpti sunt, et universi Praelati et Barones honore mensae et magnificis epulis per dies illos tractati, in locumque magni maeroris spe optima singulos de provida Regni administratione mulcente, laetitiae vicissitudo aequa successerat.

Uno di viginti annis et duobus mensibus Archiepiscopus Gnesnensis Stephanus, in Gnesnensi Ecclesia pontificatu gesto, septima Martij moritur, et in Ecclesia Gnesnensi sepelitur, Cui Petrus natione Polonus nobilis genere de domo Nalecz decanus Gnesnensis per electionem canonicam in die annunciationis Sanctae Mariae celebratam successit, a summo Pontifice Victore secundo ad intercessionem Boleslai Poloniae Regis, electionem capitularem confirmante, ordinatus.

Anno

ANNUS DOMINI MILLESIMUS QUINQUAGESIMUS NONUS

Regali ordine per obitum Casimiri Regis et substitutionem filii sui Boleslai mutato, sacerdotium etiam mutationem accipit. Aaron siquidem Cracoviensis Archiepiscopus, quem in superioribus rebus ex Cluniaco cum duodecim eiusdem professionis fratribus, Casimiro Poloniae Rege vocante venisse, et in Thyniecz locum pro monasterio, dote sufficienti a Casimiro Poloniae Rege praebita, expressius monstravimus, ex Thynieczensi Abbate in sedem Archiepiscopalem Cracoviensem promotus, et senio longaevo et laboribus confectus vita excedit, cum annos duodecim Cracoviensem Ecclesiam metropolitico honore et iure rexisset. In Ecclesia Cracoviensi Boleslao Poloniae Rege sua praesentia eius cohonestante funeralia, debito honore tumulatus. Hic creditur et in Ecclesiam et in Dioecesim suam Cracoviensem gradus minorum induxisse, et Dioecesi suae ad complendum huiusmodi gradus in diebus Quadragesimalibus obligasse et onerasse. Ipse insuper Tinecense coenobium multis praerogativis, libertatibus, immunitatibus largitioneque decimarum manipularium ad mensam Archiepiscopalem Cracoviensem pertinentium extulit, et dotavit. Universos quoque Tinecenses monasterii Abbates eo honore perpetuo privilegiavit et insignivit, ut quilibet Tinecensis Abbas sit in Ecclesia Cracoviensi canonicus natus, stallumque in ipsa Ecclesia inter Canonicos obtineat ac in eadem Cracoviensi Ecclesia infra divina officia et horas Canonicas superpelliceatus et almuciatus incedat. Quamvis autem praefati Aaron Archiepiscopi morte secuta, Canonici Cracovienses variis vicibus super Archiepiscopi electione celebranda convenissent, nullatenus tamen potuerant de aliqua idonea persona votis eligentium in varia vota divisis concordare. Unde contigit Cracoviensem Ecclesiam ex scissura tam detestabili integro fere vacare biennio.

POLOWCZIS barbaris terram Russiae incursantibus, cum tres Duces Iaslaus Kyoviensis, Swantoslaus Czirnichoviensis, et Wszewolodus Perasławiensis, vastationem terrarum suarum prohibituri occurrissent, certamen durum circa flumen Olcha inter se committunt, et Ruthenis diffugientibus cessit barbaris victoria, qua obtenta barbari vastationem terrae Russiae, quo longius possunt, extendunt, et in singulas regiones, oppida atque villas

subvertunt

libera caede atq; spoliatione debacchantur, non existimantes Ruthenos et Duces eorum, animos et pugnam contra se de cetero resumpturos. Dum autem bini Duces Zaslaus Kyoviensis, et Vusevoldus Peraslaviensis in Kyow, Suantoslaus vero in ducatum suum Czyrniowiensem clade apud Olcham accepta fugientes devenissent, nobiles et milites Russiae celebrato apud Kyowiam conventu, duces suos Zaslaum et Vusevoldum quatenus illis equos et arma subministrent, conveniunt, offerentes se cum Barbaris qui post victoriam per agros passim vagantur, et discurrunt, felicioribus auspicijs et cum spe certae victoriae, ad detergendum dedecus acceptum, pugnaturos. Zaslao vero et Vusevoldo, militari petitioni, ne nova clade reliquias Ruthenorum deleret, non acquiescentibus, rursum milites Russiae flagitare coeperunt, quatenus Vuseslaus Dux Polocensis, et duo filij anno superiori in dolo capti et in eam diem vinculis alligati solverentur. quod dum impetrare non possent, in seditionem vertuntur, qua Duces Zaslaus et Vusevoldus perculsi, et veriti ne militaris furor grave aliquid in eos consisteret, ex castro diffugiunt. Milites vero ex ergastulo derupto Vuseslaum Polocensem ducem et filios eius solvunt, universam vero castri Kyowiensis substantiam et suppelectilem diripiunt. Zaslaus vero Dux Kyowiensis ad extrema pervenientum ratus, in Russia consistere non audens, se et sua salvaturus in Poloniam ad Boleslaum Polonorum Regem fratrem suum amicitiam germanum effugit, a quo benigne et humane acceptus, et habitus est. Polowczij interim dum universas regiones spolijs et caedibus in gyrum affecissent, contra Czyrnyowiam pergunt, quibus Suantoslaus Dux Czyrniowiensis nihil superiori clade deterritus, habens tantummodo iam ex militibus quam agrestibus tria millia virorum, obviam processit, et cum duodecim millibus hostium circa Snowsko prima die Novembris pugnam committit, in qua multitudo paucitati victa succumbit, et Ruthenis animose pugnantibus, sternuntur, vincunturque Polowczij. Sed et Dux eorum cum primoribus vivus in potestatem Suantoslai Ducis devenit, et omnis praeda, quam in Russiae terris quaesierant, excussa. Suantoslaus vero cum magna gloria et militari favore in sedem suam Czyrnyowiam multis hostium spolijs decoratus rediit. Zaslao autem Kyowiensi Duce cum filijs Msczislao, Swantopelkone, uxore, et aliquibus militibus in Poloniam ad Polonorum Regem

Boleslaum effugerunt. Vuseslaus Polocensis Dux militari favore a captivitate solutus, ducatum et castrum Kyowiense occupat, et illic sedem suam ponit. Intuens autem miraculum Dei usus est verbis: O crux sanctissima et fidelis, qui in te sperant, non confunduntur, qui te reverentur, periclitari non possunt, maxima est virtus tua, tu enim fortissimos quosque tuos violatores, contemptoresque debellas, sternis, et debilitas, tui vero numinis devotos et observatores, protegis, liberas, et glorificas.

Quinta decima Maij Aaron Cracoviensis Archiepiscopus annis duodecim in episcopatu Cracoviensi expletis rebus humanis eximitur, et in Cracoviensi Ecclesia sepelitur, vacavitque Cracoviensis aliquanto tempore quousque pastor desideratus eligeretur.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEXAGESIMVS

Tranquillitate solida in Ungariae regno consistente, ex parvo ut fit momento grandis commotio et tempestas exorta est. Andreas siquidem Ungariae rex diuturna [illegible] dein Regni turbatione, et ex morte Petri Regis, et ex pace cum Henrico Imperatore, occasionem Petri Regis ulciscendum composita, periculis sublatam videns, induxit in animum Salomonem filium suum impuberem et nondum septimum annum transgressum, cui filiam Imperatoris Henrici Zophiam desponsaverat, dum viveret coronare, veritus ne se absumpto ad Belam fratrem pro egregio ingenio et charitate Ungarorum sibi iamdudum suspecto, Diadema Pannoniae transferrent. Exequuturus autem propositum diem constituit, et fratrem Belam ad illum invitans praelatos et Barones Regni coronationem et unctionem filio Salomoni impensuros venire iussit. Dum autem iuxta ordinationem Andreae Regis filius suus Salomon in alba Regali coronationis et unctionis accepisset insignia, et ad passum illum per consecrationem ventum esset, iste dominus frater eorum Bela Dux qui sanguinolentus coronationem nepotis, nunquam antea visam, in singulis ponderabat ceremoniis, graviter ingemiscens, et coronationem nepotis tam immaturam in suam contumeliam atque probrum confectam dolens, et vultu et lingua maerorem dissimulare non voluit, sed quaerelam ad Barones astantes ingeminans, coronationem nepotis non tam immaturam, quam ignominiosam sibi astruxit. Veritus autem ne frater suus Rex Andreas aliquid gravius in eum consuleret, compresso et dissimulato dolore cum tribus filijs uxore familia fortunis et omni supellectili, in Poloniam ad Regem Boleslaum affinem suum, quanta potuit celeritate, descivit, et quantam qualemque iniuriam et confusionem a fratre suo Andrea excepisset, coram Boleslao Poloniae Rege praelatis et consiliarijs suis deduxit, petens ut suam et filiorum suorum iniuriam, qui ei propinquo foedere sanguinis iuncti forent esse multam. Rex autem Boleslaus Poloniae magna humanitate et honore et Belam Ducem et matronam suam Ducissam, fratresque suos, filios eorum excipiens, et omnibus necessarijs illos munifice et liberaliter tractans, bono animo esse iussit, offerens se et praesentem eorum necessitati et cuilibet expost ingruenti fato potiore pro viribus consulturum

Opera Boleslai Poloniae Regis et nonnullarum personarum Ecclesiasticarum dissidio, quod in electione et substitutione Cracoviensis Pontificis exortum erat, et biennio prope integro durarat, sublato, Lampertus vocatus Zula, in sedem Archiepiscopalem Cracoviensem eo quod vir doctus et liberalis esset, per Nicolaum, vel ut alij asserunt, per Alexandrum Papam secundum, promotus est. Nescio tamen quo casu desidiae petere Archiepiscopalia insignia neglexit, et Cracoviensem Ecclesiam extunc Metropolitico iure et honore privavit, et in Episcopalem atque suffraganeam redegit nec ab eo tempore dignitatis suae fulgorem, licet plerisque Pontificibus suis adnitentibus, resumere valuit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEXAGESIMVS PRIMVS

Annum sextum in Ducatu Bohemiae Spitigneus agens et saevitia et crudelitate et in fratres germanos et in Ecclesiasticas saecularesque personas saeviens, quinto Calendas Februarij Pragae moritur, Bohemis decessum suum gaudio cum plausibus innuendo, qui cum orbus et sine haerede absumptus esset. Vratislaus frater suus qui in Ungaria exulabat, inde revocatus, favore omnium Bohemorum Dux principalis constituitur. Is modestum se erga fratres et subditos gerens, duobus fratribus Ottoni videlicet et Conrado Moraviam dimisit, perpetua haereditate possidendam, Cognito autem Jaromirus frater eorum, Spitignei morte, cuius

instigatu

mitus illum in literis et studio continebat, deserto studio in Bohemiam remeavit, arbitratus se largitione fratris sui Vratislai aliquam portionem dominij ad instar aliorum fratrum accepturum. Castigatum autem Dux Vratislaus et salubri consilio admonitum, ne statu clericali abiecto in militiam varijs gravitatibus refertam abiret, inducit, partimque terret et impellit invitum, quatenus ad sacra conscendens virum Ecclesiasticum se ordinari pateretur, Pragensem Episcopatum morti Severi Episcopi, quae propter maturum senium eius longe abesse non posset, secuturum, habiturus. Hac illi spe et eo favore pellectus usque ad Diaconij gradum se consecrari siverat, sed mox animum poenitentia subiuit, nonnullorum Bohemorum proposito suo faventium persuasionibus seductus, in Apostasiam versus, habitu et tonsura clericali abiectis, laicum induit, et militiam saecularem de integro in statu saeculari assumere repetijt. Veritus autem ne per Ducem Vratislaum in eum aliqua fieret ob desertam professionem animadversio, in Poloniam ad Boleslaum Poloniae Regem plerisque Bohemis eum comitantibus aufugit, a quo benigne susceptus et omnibus sumptibus et necessarijs abunde tractatus adeo favore benevolentiaque Boleslai Poloniae Regis mulcebatur, ut integrum in Polonia continuando mansionem suam exageret sexennium. Felicem tunc Poloniam quis asserere dubitabat, quae Pannonorum et Bohemorum et Ruthenorum tres insignes exules excepit, tractavit et confovit, et quod his amplius est, statum eorum dubium et prostratum, suis auxilijs ut in sequentibus narrabimus, sustentavit et erexit, ne felicitatem illi tribuere congruit, quantum clementiam et charitatem, quibus, omnium iniuriarum hostilium obliterata memoria, exules Duces in suum sinum suscepit, et liberalibus sumptibus absque fastidio et nausea ministravit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEXAGESIMVS SECVNDVS

Fugam Jaromiri fratris sui in Poloniam Vratislaus Bohemiae Dux irato et molesto animo ferens, cum sugillationis et ignominiae haberet plurimum, et suspicionis non parum, verebatur enim Vratislaus Bohemiae Dux ne Poloniae Regis Boleslai et Polonorum suffragijs Jaromirus frater suus stipatus

Bohemiam invasurus adveniret, et Bohemorum gentem ad de-
fectionem inclinaret. Et quoniam a Jaromiro poenas clandestini
discessus exigere non poterat, omnes iras, quas pro fuga huius
modi conceperat, in regem Poloniae Boleslaum, et Polonos qui Ja-
romirum iure et honore hospitij exceperant, vertit, Quapro-
pter cum omnibus suarum gentium agminibus ulturus fugiti-
ui fratris receptionem, Poloniam invadens, eam flammis et spo-
lijs affligere coepit, nulla hostilitatis diffidatione praemissa, a
Sylvis quoque Hercinijs, quae Poloniam a Bohemia determinant,
incipiens, oram omnem, quae nunc Silesia appellatur, vasta-
uerat; Hoc ubi Boleslaus Poloniae Rex a suis nunciata intel-
lexit, correptis armis tumultuaria potius quam iusta acie,
maiori qua poterat celeritate Vratislao obviam processit, flam-
mantis patriae ignis sanguinis profluvio restincturus. In qua-
dam autem Sylva Vratislaum et Bohemos in ulteriora Poloniae
dominia transitum facientes consequutus, statiua facit, militesque
corpora curare iubet, deliciolis adiuvent, resumpto post conti-
nuam fatigam vigore, cum hoste certamen inituris. Interim per
peditem, cuius multitudine abundabat, Sylvam iubet in gyrum
arborum detruncatione, ne hostis inclusus evadat circumsepiri,
qua arte eadem hostem debellari posse credebat. Bohemus inte-
rim dolo usurus, cum moram sibi periculosam videret, et inde abi-
re ac fallere Regem vellet, missis sub occasum solis caduce-
atoribus petit in crastinum colloquendi facultatem, multisque
sermonibus se magis amicum repromittit futurum quam hostem.
Boleslaus autem Rex Poloniae colloquendi potestate ut erat
rogatus negata, se in crastinum cum eo conventurum, et non ver-
bis, sed armis pro accepta iniuria [illegible] certaturum. Qui-
bus agnitis Vratislaus Dux Bohemiae pluribus ignibus in
speciem remanentium latius extructis, Sylvam secundis vigi-
lijs hostem frustratus, ~~tam~~ tam silenti et composito agmine egre-
ditur, ut etiam Polonos qui Sylvam obsederant falleret. Omni-
bus autem impedimentis et sarcinis magis vilibus abiectis,
concito cursu festinus Bohemiam refugit. Rex illucescente
altera die abisse hostem et pugnam detrectasse cum sensisset, delu-
sum se et praedam insignem ex cassibus suis excussam esse dolens,
et fortunam suam increpans, fugientes Bohemos pluribus diebus
est prosequutus, pluresque ex eis praesertim qui aut languore aliquo
correpti, aut necessitate distracti, agmen sequi destiterant, comprehendit.
In hostilem quoque terram Moraviam Bohemis qui Jaromirum co-
mitabantur ducatum praebentibus perveniens, magnam eius partem igni
conflagravit, et captivorum magnum numerum, spoliaque plurima Poloniam reduxit.

Hieronimus Vuratyslaviensis Episcopus cum annis undecim Ecclesiam Vratyslaviensem rexisset, infirmatus Vuratyslaviae moritur, et in Ecclesia Vratyslaviensi sepelitur. Hic cum genere nobilis et Romanus esset, pluribus reliquijs et ossibus Sanctorum Ecclesiam Vuratyslaviensem in suis clenodijs et suppellectilibus tenuem et inopem reddidit insignem. Substitutus autem est in locum Hieronimi Joannes Canonicus Vuratyslaviensis. Qui cum fuisset a maiori parte Capituli Vuratyslaviensis electus, Boleslao Poloniae Rege electionem suam acceptante approbanteque, ab Alexandro Secundo Papa Romano electio sua fuit confirmata, et ipse anno insequenti in Episcopum Vuratyslaviensem ordinatus, et a Petro primo Gnesnensi Archiepiscopo in Gnesnensi Ecclesia Boleslao Rege Poloniae praesente consecratus, genere Sas Polonus nobilis de domo accipitrum, et qui primus ex Polonis, abrogatis Italis, Pontificale Petalum in Vuratyslaviensi Ecclesia gessit

Nicolaus Secundus postquam annis tribus, mensibus sex, diebus viginti sex sedisset, moritur, et Alexander Secundus Mediolanensis natione Anselmus ante vocatus, Episcopus Lucanus a Cardinalibus concorditer electus est, Contra quem Candolus Parmensis Episcopus, a Lombardiae Episcopis asserentibus ius Papam eligendi ad se tantummodo pertinere, favente et suggerente Henrico quarto Romanorum Rege eligitur, qui cum bis Romam cum magno exercitu, quem Henricus Imperator per suas gentes augebat, accessisset, bis a Mathilda comitissa, et Gotsfredo Duce Spoletano, qui pro Alexandro stabant conflictus et confusus redire Lombardiam compulsus esset, tandem operante Henrico Imperatore, Papa Alexandro in Lombardiam descendente; et Candulo suum reatum cognoscente, pax Ecclesiae reddita est. Candulo cum suis Episcopis qui eum tunc elegerant in gratiam ab Alexandro Papa suscepto, Hic miro modo Lucanam civitatem diligens Episcopum eius pallio et cruce ita ut ante illum deferatur crux insignivit et Lucanos plumbea bulla uti concessit, et praefato Candulo Parmensi Episcopo virilem resistentiam opponens, Romanae Ecclesiae dudum ancillatae suum decus suamque libertati restituit. Hic statuit ut nullus audiat missam presbyteri, quem scit habere concubinam, sub poena excommunicationis

ANNUS DÑI MILLESIMUS SEXAGESIMUS TERCIUS

Exulceratum et iusta ira gravidatum Boleslaus Poloniae Rex animum contra Vuratislaum Bohemiae Ducem ob iniuriam superiori anno exceptam, gestans, frequentes copias parare, et in Bohemiam expeditionem militibus indicere coepit quaerens se graviter offensum quod pro humanitate Duci profugo et pene exulati Jaromiro praestita, hostilitatem et Regni sui vastationem, a germano exulati, pertuleret, a quo se gratiam sperabat relaturum. Vuratislaus autem Dux Bohemiae ut erat vir insimul providus et oculatus, bellum contra se et rumore et pluribus argumentis intelligens agitari, per amicos communes coepit agere de reconciliatione et de pace; neque enim tutum putabat et cum vicino regno hostile gerere bellum, neque suis satis fidebat, ne eo deserto pro eo Conradum vel Ottonem surrogarent, vel ad Jaromirum deficerent. Variis itaque tractatibus interpositis, pax aeque Jaromiro et suis infectionem cavebant aequis conditionibus, per quas damna illata compensabantur, et captivi relaxabantur, composita est. quae ut solidior atque diuturna consisteret, violatorem enim illius Ducis Jaromir in Poloniae regno praesentiā portendebat, affinitate firmata est. Absumpta enim erat superiori anno Duci Vuratislao Bohemiae iam altera uxor Adelheydis, Regis Andreae Ungariae filia, duos filios Bretislaum et Vuratislaum, totidemque filias Ludmillam et Juditham, ex Vuratislao susceptas relinquens. Agentibus itaque et procurantibus pacis compositoribus apud Boleslaū Poloniae Regem, virgo insignis Swantoslawa, Casimiri filia, et Boleslai soror Regum Poloniae Duci Vuratislao Bohemiae datur in consortem. Nuptiaeque Cracoviae magna munificentia et solemnitate celebratae sunt, Tunc insuper Dux Bohemiae Vuratislaus personali notitia et amicitia cum Boleslao Poloniae Rege contracta, dotalibus muneribus, liberalitate Boleslai Regis, plusquam conventum erat, praestitis, cum nova sponsa sua, quam annalia Bohemica Swatawam vocant in Bohemiam alacer rediit. quae ei tempore processu quatuor filios videlicet Bretislaum, Borzywoy, Wladyslaū et Sobeslaū peperit

Czaslaus Kyoviensis, Swantoslaus Czyrnoviensis, Vsehywoldus de Pereaslaw Duces fratres germani, invidiae stimulati livore, exercitibus coadunatis, vadunt contra Vseslaū Ducem de Polocsko fratris sui patruelis Brzetislai filium, volentes illum et principatū suum sibi subiicere. Et conveniunt omnium triū Ducū copiae circa Minsko, et abinde aciebus ordinatis vadunt versus Poloczko, quibus Vsseslaus Dux Polocensis circa flumen Niemeza occurrens confligit cum eis, et cadentibus hinc inde plurimis, Vsseslaus victus effugit. Et miserunt post illum Duces nuntios in dolo persuadentes, ut convenire secum illis faedusque iungeret, pollicentes iuramento non se illi aliquid hostilitatis illaturos, qui huiusmodi sponsione certificatus, cum legatis per flumen Dniepr advenit. Sed Duces contra ius gentium iuramento temerato, illum capiunt, et concludit eum Zaslaus Dux Kyouiensis cum duobus filijs in carcere Kyouiensi.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEXAGESIMVS QVARTVS

Bohemicum parem Pruthenorum bellum mox excepit, Barbari enim rebellare, et tributa hactenus pendere denegare non contenti, excursiones crebras in regiones Polonorum faciebant, Fabricato autem castro quod a Polonis Grodek vocabatur, validoque ei praesidio imposito, ad inferenda Polonis damna, et spolia latius liberiusque vagabantur. Ea iniuria Boleslaus Poloniae Rex ut par erat commotus, Grodek obsidione vallat, expugnationi autem illius longo tempore insistens, cum et natura et arte locus satis munitus esset, Pruthenique egregie illum tuerentur, coeptam oppugnationem irritam reliquit, Creverunt illico Barbaris animi et Regi Boleslao abscedente, magnam Pomeraniae partem deditam sibi et tributariam effecerant. Ad ulteriora quoque, quoties Regem in longinquiores oras regni sui abisse didicerant, gradum promovebant, omnemque fere Pomeraniam in ius suum et proprietatem pertraxerant. Affligebant itaque magnae audaciae magnique spiritus Regem, Pomerania adempta, et ignominia apud Grodek accepta, quapropter quo ordine, quave via Pruthenos qui pugnae copiam non faciebant, clandestinis et furtivis excursionibus contenti, in praelium eliceret, agitabat. Itaque cum expeditis militibus Pomeraniam ingressus Pruthenorum adventum, nihil minus quam suum tunc ingressum suspicantium, operiebatur. Nec eum opinio fefellit, exploratoris enim denunciatione certificatur, barbaros in frequentibus copijs venisse, et statim ultra flumen Ossa tunc aquis inflatum posuisse, altero die vadato fluvio in Poloniae confinia ad inferendum vastitatem et spolia transituros. Rex morae impatiens, veritus ne hostes eius adventu cognito, in condensa nemorum et stagnorum cubilia

refugerent

re fugerent, copias illico suas ad hostem ducit, cumque amnis profunditas ardorem militum moraretur, primos ordines ut erant armati aquas obstantes Rex tranare, et ceteris metum adimere iubet. Verum cum plures pondere armorum ab aquis etiam suffocarentur, ceteri mortem vitaturi, armis in ripa relictis fluvio superato, silenti agmine ad hostes Rege cunctisque exhortante perveniunt, parvoque negotio hostes ~~supe~~soporatos et inermes, tam magna strage fuderunt, trucidaruntque, ut pauci qui inter tumultum fuga evaserunt, et ab occupata Pomerania excederent, et solita tributa Regi de cetero penderent

In Cisalpina Gallia Parmensis Episcopus in Pontificem Romanum fuit electus qui bis contra Alexandrum Romam usque profectus est, armata manu. Tandem Imperatore Henrico intercedente concilium Mantuae indicitur, in quo Schismate composito Alexander confirmatur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEXAGESIMVS QVINTVS

Sextum iam Bela Dux Vngariae cum uxore et filijs in Polonia apud affinem suum Boleslaum Poloniae Regem agebat annum, dum illum ardor redeundi in Vngariam pervasit, neque id solum naturali ferebatur affectu, sed Baronum et nobilium Vngariae dietim ad eum in Poloniam confluentium movebatur rogatu, nonnullorum vero clandestinis legationibus sollicitabatur. Multis autem et varijs difficultatibus periculisque reversionem suam septam advertens, cum et germanus suus Andreas Rex universum regnum in ditione sua possideret, et in Vngaris fluxam fidem habentibus, parum spei reponendum estimaret, terrebat insuper eum tam Imperatoris Henrici quarti quam Vratislai Bohemiae Ducis affinitas, cum alterius filiam filio Salomoni desponsasset, alteri suam dedisset, intelligens tam socerum quam generum Andreae Regi, quod et eventus rei postmodum monstravit, auxilia laturos, His cogitationibus distentus Boleslaum Poloniae Regem aggreditur, orat, precatur, sollicitat, et per communionem sanguinis ostendens tres filios ex matertera susceptos, obsecrat ut fidelis amici et affinis sibi morem gerat, copijsque et gentibus suis paternam haereditatem primum Vngariae regnum restituat, ne eum cum filijs in exilio consenescere contingat. Rex autem etsi rem arduam a se exigi per

Belam affinem suum videret, maximo tamen animo et liberalitate; quorum vtroque naturali praeeminentia pollebat, motus, Belle omni sua militia spondet auxiliaturum, praesertim cum Bohemis pacificatis et Prutenis compressis, feriatum annum illum videret. Itaque in expeditionem Vngaricam iturus ex omnibus terris Regni sui delectum agit, et tribus agminibus quibus Vsboborius princeps militiae praeerat, Belam ducem reducendo, in Vngariam ingreditur, vxore sua, et tribus filiis in Polonia relictis. Rex autem Andreas Vngariae bellum a Poloniae Rege sibi tam ex rumore quam ex Vngarorum avisamento sciens inferendum, filium suum Salomonem, ad Henricum quartum Imperatorem, notabili Vngarorum stipatum caterva per Arcebaldum comitem transmittit, rogans vt si illi adversa fortuna accideret, curam eius velut generis sui agat, sibique solatia in gentibus distinet. Iisdem precibus apud Vratislaum Bohemiae Ducem vsus, tam Alemanorum, quam Bohemorum duos insignes exercitus ab Imperatore Henrico, et Vratislao Duce Bohemiae transmissos, accipit, tertium ipse his duobus numerosiorem ex Vngaris conficit. Et Alemanis quidem duo Duces videlicet Vuilhelmus et Boto praeerat, Bohemis Dux Conradus, Moraviae germanus Vratislai Ducis Bohemiae regebat. Tot et tantis solatiis Rex Vngariae Andreas stipatus, magis de victoriae praemiis quam de pugna cogitabat. In altera parte rarior erat militum numerus ex Polonia duntaxat in agmine triplici aggregatus, spem tamen victoriae augebat exercitatus, nam et in ordine sive, et pedem quoties necessitas exposceret, referre, stare quoque et ire ad iussum Regis didicerat, Vngarorum, qui partes Belle sequebantur haud contemnenda erat multitudo, et ex his Boleslaus Poloniae Rex quartum agmen constituerat. nam etsi in singulis ordinibus praefecti ordinati essent, summa tamen belli Boleslaus Rex, tanta indoles viro iam tunc inerat, praesidebat, suoque arbitrio cuncta gerebantur. Ad flumen itaque Tissae vterque exercitus convenit, et quamvis exercitus Andreae, in quo et ipse Dux et exhortator aderat, tam numero, quam robore, multis partibus exercitum Boleslai Poloniae Regis et Belae Ducis excederet, nihil tamen vterque eius multitudine territus, ad capessendum pugnam agmina deducit, magnis viribus, sed animis maioribus ab vtroque praelium coeptum, et horis aliquot tam acriter pugnatum est, vt et in ambiguo esset, cui populo funestus Mars victoriam decerneret. Utrisq autem magna vi pro triumpho adnitentibus, deteriori loco pars Andreae Regis esse coepit, nam et magna pars Almanorum et Bohemorum, iam aut prostrata aut obtrita erat, ordinesq eorum, principalioribus cadentibus, defluxerant. Poterat adhuc pugna restitui, sed Ungari qui in exercitu Andreae Regis erant, inclinatam suam videntes partem, veriti, ne sequuta victoria Bela in eos quicquam gravius consuleret, relictis ordinibus, desertoq Andrea Rege et auxiliarijs suis ad Belam diffugiunt. Ex hoc facile Belae plena cessit victoria multis mortalibus ex Almanis et Bohemis occisis. Rex Andreas ne vivus in manus Belae fratris veniret, fugere in Almaniam contendens, in fuga ad portas Mosonij captus, et in sylva Bolny crudelius quam aetati suae conveniebat tractatus exspiravit, in monasterio Sancti Aniani, quod ipse construxerat, sepultus, cum annis paulo amplius quam quindecim regnasset. Almaniae et Bohemiae Ducibus cum nonnullis militibus captis, Boleslao Poloniae Rege moderante victoriam, et honos servatus, et plena libertas donata, quamvis Bohemiae Dux Ungarorum decreto tetrae et miserabili poenae privatione videlicet oculorum fuisset destinatus. Ex hoc certamine Boleslaus Poloniae Rex Belam Ducem Albam Regalem ducens eum in Regem Ungariae coronari ordinavit, rebusq Ungaricis feliciter compositis pluribus donis tam ipse quam exercitus suus a Rege Bela honoratus, in Poloniam rediit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS SEXAGESIMUS SEXTUS

Pannonica victoria ex Andrea Rege Ungariae et Almanis atq Bohemis solatia tunc sibi ferentibus relata, Polonicus exercitus plurimum ditatus, Rex quoq Poloniae Boleslaus apud vicinas nationes glorificatus est, adeo, ut provincijs vicinis esset probitas sua in admirationem et terrorem. Casus autem adversus eo anno sequutus non mediocrem illi intulit molestiam, et prosperitatis successus maeroris caligine obduxit. Germanus enim suus Dux Mislaus, quem tenerrimo diligebat affectu, in lectum aegritudinis decidens vita excessit, nullo sui seminis, celibem enim egerat vitam, superstite relicto. De cuius morte Boleslaus Rex multi doloris ostendit insignia, ultra quam viro et Regi conveniebat

illum

mum visus est luxasse

HUNGARICUS insuper populus ea tempestate secundam visus est in apostasiam facere a fide discessionem, Rege enim Bela apud Albam regalem agente conventum, tanta illuc colonorum et servitiorum confluxit multitudo, ut tam Rex quam Episcopi et Barones trucidationem veriti, in civitate se recluderent, erant autem per eos praefecti, capitanei et praepositi, seorsum ista seditionis et belli civilis effecerant. Horum legati venere ad Belam Regem postulantes, ut Episcopis et Presbyteris exterminatis, Ecclesiis et campanis comminutis, liceret eis ritu vetusto et gentili vivere, absque decimarum, quarum eis onerosam dicebant solutionem, redditione. Consternatus hac legatione Bela Rex post triduum se responsurum spopondit. Interim praepositis et praefectis rusticorum fidem et religionem Christianam blasphemantibus, detestantibusque, gentiles vero ritus efferentibus, universa plebs eis assensa, ritum priscum et barbarum se de caetero servaturam, magna cum gratulatione pollicebatur. Rex in tam periculoso discrimine, et religionem orthodoxam, et statum suum ac regnum videns versari, nihil amplius cunctandum, ne seditio valesceret in immensum, ratus, tertia die quo daturus erat responsum, submissis armatis militibus, praepositos et praefectos caeterosque illius factionis principales iussit comprehendi, et vario mortis genere excruciatos, in conspectu caeterorum necari, Quo viso caetera multitudo pavore concepto extemplo diffugit, in hunc modum orta apostasia et seditio Belae Regis prudentia et industria oppressa et extincta est

COMETES stella in occidentem facem dirigens apparuit, plura mala quibus et Almania et Britanica regiones afflictae fuerunt designans, quoniam et in Britania, quae nunc Anglia dicitur, Heraldus Rex occiditur, et in Almania principes variis caedibus in se debacchabantur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS

Crebris consiliariorum Ecclesiasticorum et saecularium Boleslaus secundus Poloniae Rex superiori tempore persuasionibus, quatenus aliquam Illustrem virginem sibi connubio sociare pateretur, sollicitatus, tum quoque non sollicitari solum, sed urgeri coepit, ut legittimo thoro initiaretur, ne stirps regia ad duos tantummodo redacta absumeretur, Decessus quoque alterius fratris ducis Mieczslaw anno transacto sequutus, et residui Ducis Wladislai in eam diem caelebs vita, aetas et quietis tempus in quo singula in recenti bello oppressa erant, allegabantur. Rex Boleslaus etsi nondum in eam aetatem pertigisse, quae thedas maritales magnopere expeteret, satis quoque temporis ad onerandum se coniugali iugo restare, vereri insuper ne charitas futurae sponsae illum ardorem, et ad bella gerenda, inferenda aut repellenda ferocem animum, efficeret languidum et remissum responderet, ad extremum tamen consiliis suorum cedens, consensit se matrimonii munus accepturum. Investigantibus deinde Consiliarijs quae foemina tanto Regi digna esset, Principis Russiae filia, et patris sui unica, cui magna pars Russiae ex successione paterna debebatur, in considerationem accessit. Hanc Boleslaus Rex, caeteris quae tunc per Consiliarios exterorum Regum et Principum filiabus nominabantur, reiectis, se ducturam consensit, quod et pulchritudine dotibusque animi et corporis caeteris praestabat, et quod Russiam iustius subiugaret, de qua invadenda, subijcienda, dudum animum, et virtutis avitas aequare posset, intenderat. Missis itaque solennibus Procis, praefatam virginem accipit in uxorem, nuptias quoque Cracoviae pro more regio sponsa adducta celebrat, et per dies plures ludis militaribus, et hastarum instauratis solennitatem peragit nuptiarum.

Obeunte Pascali Plocensi Episcopo, ex intestinorum dolore frequenti tacto, et regimine Plocensis Ecclesiae sex et viginti exactis annis, Marcus natione Lucanus ab Alexandro secundo Papa provisus, Boleslao secundo Poloniae Rege petente successit.

Tertio Idus Aprilis Boleslaus Poloniae Rex apud suam regiam civitatem Plocensem agens, et sub praesentia Pascalis alias Alexandri Plocensis Episcopi, multiplicia divinae propitiationis beneficia sibi in multifarijs bellis atque victorijs praestita recognitans, in coenobio suo regali [illegible]

Tinecensis

Gnesnensis Diecesis Monasterium ordinis S. Benedicti, (in hunc enim quod pater suus Cazimirus Poloniae Rex in eo apud Cluniacum militaverat, propensiori ferebatur affectu) fundat, locum dote munifica atque ampla insigniens, cui et introitus regales infrascriptos, videlicet nonum denarium, nonum forum, nonum potum, nonum pellitium, nonum piscem ex castris oppidis et curiis suis regiis Grudzyarz, Kalivorum, Szyrosck, et medietatem theolonii fluvij Bug, Ryppin, Sticin, Sepesk, nova Radzim, Oszielsk, Zuyendzicz, Czechonow, Stolpsko, Drobizo, Nasielsko, Vuiszegrad, Plocsk, Dobrzyn, Vulodyslaw, Przypusth, Plonsk, In Lanszin vero decem marcas, in Sburzmir septem marcas, in Vnyborz quatuor marcas, in Zanwien duas et dimidiam marcas, in Rospoza septem marcas quotannis percipiendas largitus est, contulit, et oppidum Mogilno fundum et locum monasterij cum villis infrascriptis videlicet Czirnersk, Chrenowo, Bolmo, Vurbinek, Cossowo, Cremnow, Golunbino et plures alias villas contulit, et servos ascriptitios ex nomine designatos. Donationes insuper per milites suos Sbilutum, Dobrogostium, Paulum Zemam, Odolan, et Andream de villis Bogusino, Padniewo, Liszcz, Rasinck, Sarolowo, et Gorzniowo factas confirmavit. Ad praedictum autem Mogilnense monasterium fratres et Monachos ex Monasterio Tinecensi Diecesis Cracoviensis sumptos introduxit. Cuius primus rector et Abbas fuit Mengosius vir religiosus, natione Gallicus. et secundus Rudgerus fuit de Cluniacensi Monasterio cum fratribus receptus.

Pontificatu Posnaniensi annis decem et septem Marcellus primus administrato, senium incurrens, omnibus Sacramentis devote perfunctus moritur, et in Ecclesia Posnaniensi sepelitur, Cui petente Boleslao secundo Poloniae Rege a Nicolao secundo Papa provisus, Theodoricus genere Italus, succedit.

Fabricavit autem Boleslaus Poloniae Rex in Mogilno Ecclesiam Monasterij et monasterium, illamque beato Joanni Evangelistae dedicari procurat, et murat in [illegible] unam cryptam inferiorem, alteram superiorem

Henricus quartus Romanorum Rex Bertam Dominis privati Italiae Otthonis filiam, sibi in uxorem accipiens, nuptias etiam iuxta decentiam imperialem celebrat apud Tiburias.

OBEUNTE sub hoc tempore Severo Pragensi Episcopo, qui sub omni vita sua exaequo foedam et perniciosam rem in spolium Ecclesiae Gnesnensis consentiendo egerat, variis probris opprobriis contumeliis et quod referre pudet, carcere, et compede a Duce Vratislao lacessiri iusto remunerante Deo hanc ei poenam profecto per fratres inferente, non destitit, Conradus et Otto Duces Bohemiae, quibus Moravia Vratislao Duce principali Bohemiae et maiore natu concedente cesserat, mittunt in Poloniam ad germanum eorum Ducem Jaromir, laici potius quam sacerdotis in eam diem in gestu, habitu, et moribus personam praeferentes, quatenus relicta Polonia ad se in Moraviam rediret, consilio et auxilio eorum sedem Episcopalem Pragensem adepturus. Qui etsi omnium rerum largitione et abundantia a Rege Boleslao Poloniae procuratus, et magno honore et charitate habitus, perpetuus Poloniae civis in animo destinasset, cupiditate tamen honoris Pontificalis incensus, regi Poloniae Boleslao adito, et causa recessus patefacta, ut se aequo animo Bohemiam redire pateretur, facile impetravit non solum ei licentiam abeundi dedit, sed pecunias, vestes, equos, caeteraque supellectilem qua insigniter et non exulis in morem sed Ducis rediret munifice praestitit. Quo ad fratres Conradum et Otthonem in Moraviam perveniente, nunciatum est Ducem Bohemiae Vratislaum in Episcopum Pragensem curiae suae praesbiterum Lanzonem nomine Saxonem, genere, literis et industria pollentem substituisse, quare Jaromirus vehementer afflictus extemplo in Poloniam remeare disposuerat, nisi aegre a Conrado et Otthone fratribus substitutionem Lanzonis se rescindere promittentibus fuisset retentus.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS SEXAGESIMUS OCTAVUS

Tarita

Tacita forsan posset quispiam mortalium hac nostra scripta legentium ambiguitati pulsari, an Boleslaus Poloniae Rex in Jaromirum Bohemiae Ducem et saepenumero suum et regni sui infestum saltem in progenitoribus hostem, et calamitosum et exulem, et quod caetera superat sui ordinis apostatam et desertorem, potuerit esse tam beneficus et liberalis, ut praefatus Jaromir exilium Polonorum libertati Bohemicae anteponeret. Verum si Regis Boleslai Poloniae plurimorum literis prodita vulgataque attenderetur prodiga liberalitas, facile haec et quaecunque alia magis difficilis et ancipitis ambiguitas poterit absolvi. Ipse enim inter omnes Reges et Principes Poloniae ea gloria liberalitatis effulsit, ut neminem ad se civem vel extraneum venientem sine munere dimiserit, in honorandis tamen externis militibus qui ad vulgatam famam eius nominis militiae et visendi varios principatus et regna causa, dominia sua adibant, erat effusior, propterea quod multorum virorum et militum illustrium ad curiam suam affatim advenientium ferebat concursus, cui naturalis instinctus tam vastum et patentem ad largiendum animum formaverat, ut omnes voluptates fortunas felicitatisque, et virtutes suas in sola liberalitate numeraret, extremi ingenii et obscurae rusticanaeque et miserabilis sortis Principem esse appellans, quem hac virtute carere contigisset. Cuius et ipsa liberalitas fiat notior, unum ea tempestate eoque anno gestum memoriae causa subiicimus exemplum. Cum in Cracovia regia urbe Boleslaus Rex in aula sua consisteret, et variarum provinciarum quae suo parebant imperio praefecti, aut eorum legati iuxta tempus constitutum, tributorum et redituum regalium varias aeris et argenti pecunias, vasaque et clenodia ex his in usum et pompam regiam et in largitionem hospitum fabricata, item gemmas et lapides diversos praeferentes sermones, et immane aurum et argentum denariatum in Regis conspectu effunderent, [illegible]

gemina

Quidam familij sortis admirationis et curiositatis gratia aulam auro et argento gemmis et pecunia refertam ingressus, quantitatem opum regiarum et suae conditionis tenuem et vilem sortem tam frequenti submurmuratione et suspirijs ab imo pectoris emissis, coepit ingeminare, ut querelae quoque eius et murmur a Rege fuerit exauditus. In hunc quoque Rex liberalior quam utrique crederet esse volens, desine inquit fundere in nostri praesentia suspiria, desine ingeminare querelas, tristitia quoque seposita utere liberalitate nostra, et pecuniae quantumcunque ferre potes summam tolle, paupertatem tuam nostro dono exclusurus, qui mox e chlamide qua vestitus erat, diffuse sinuata, aliisque quam suis conveniebat verbis onus tollere aggressus tanta mole amictum ex humeris pendentem de metallo impleuit, ut mole ipsa pressus paululum spatij conficeret, et nec ponderis cupiditate doni incensus remittens, fracta ceruice exspirauit, plures ferens impellente avaritia metalli, quam suis viribus potuisset moderari, congerens, Cumque morte regi Boleslao nunciata neque pecuniam in regium aerarium inferri, neque cadaver clerici inter caetera fidelium corpora humari permisit, sed utraque in profundo Vislae fluminis gurgite demergi, indignum decernens et eam pecuniam usui humano fore, quae hominem peremisset, et eum hominem caeterorum cineribus iungi, qui pecuniae ardore periculum mortis ipse sibi consciuisset, hominis miseri ambitum etiam post fata puniens, quatenus cadaver illius pessumversa fieret, et metallum cuius occasione mortem sibi clericus consciuerat, ab hominum usu perpetuo interiret.

DVX VVRATISLAUS BOHEMIAE, et duorum suorum germanorum Conradi et Ottonis et omnium fere Baronum Bohemiae, crebris expugnatus monitis et precibus variare de Lucz com sententiam, et Jaromirum fratrem, ni consensisset in Poloniam redditum, in Pragen. Episcopum promouere coactus est, qui ab Henrico Imperatore de Pragensi Ecclesia inuestitus, a Gebhardo Maguntinensi Archiepiscopo et consecrationem et nominis mutationem quem cum Gebhardus sui nominis agnomine vocari voluit, in Maguntia accepit

Henricus Romanorum Rex adolescentiam suam per licentiam campos vagari permittens, lusibus, venationibus et alijs tantummodo operam dabat, propter quod res imperij plurimum fluctuare coeperunt et Henricus ipse multos sibi hostes et insidiatores conflaverat

ANNUS DOMINI MILLESIMUS SEXAGESIMUS NONUS

Universis Polonorum gentibus et primis Regni de suorum principum orbitate sterilitateque sollicitis, Wiscezslawa Regina Poloniae Boleslai Regis coniunx uterum nunciatur implevisse, qua novitate et Rex et proceres exhilarati, non sine animorum inter spem et metum colluctatione futuri partus eventum ambigui aperiebantur. Regina interim varijs votis, quatenus et virilem fetum et [illegible] illi videre contingeret, propiciationem divinam premuniens, conceptum maturato filium Cracoviae duodecima Aprilis effudit, qui in Ecclesia Cracoviensi a Zula seu Lamperto Cracoviensi Episcopo aqua baptismatis ablutus, Mietzlaus autem nomen, patre Boleslao Rege id ei nomen et in avitam et in paternam qui nuper excesserat memoriam adaptante, accepit, plures dies in ludis et solatijs ab his qui invitati confluxerant absumpti sunt Rex quoque Boleslaus novae prolis dono exultans effusius et ipse in quoslibet invitatos donorum suorum fecit distributiones, tam perfunctoriam opum regiarum quae diatim congerebantur ratus gloriam, ut praeter damni facultatem, nihil [illegible] aut doloris inesse asseveret

Excepit sub eodem tempore Regem Boleslaum molestus casus, affinis enim suus rex Ungariae Bela, dum ex omni parte pacificato regno securus et felix consisteret, et regnum Ungariae singulari prudentia et industria administraret, inopinato casu usque ad internecionem obrutus est. Dum siquidem in quodam villagio regali Kymil appellato moraretur, aedes quam inhabitabat a ventorum turbine concussa corruit, et Belam regem ruina sua lethaliter oppressit. Qui etsi imminens mortis periculum se evasurum credens ex Kymil ad rivulum Bynshwa quadam angaria regia expediturus se duci in lectica ordinasset, illuc tamen veniens fortius coepit a languore premi. Qui cum a medicis subveniri non posset, Rex dolore continuo ingravescente extinctus est, Corpus in locum qui dicitur Zehssard delatum, in Monasterio Sancti Salvatoris quod ipse vivus fabricaverat, Honore debito sepulchro traditum est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEPTVAGESIMVS

Affinis sui Belae Ungariae regis Boleslaus Polonorum Rex maeroribus acutis, ex obitu causatis eiusdem Regis, non diu debilitatus, animum tamen ad bellum Russiae Principibus inferendum, et ad recuperandum universam Russiam, armis quondam Boleslai primi Polonorum Regis proavi sui subactam, intendit, primoque aestatis tempore omnes milites in armis esse et in expeditionem Ruthenicam copias ex universo regno tam equitum quam peditum iubet convenire. Specie quidem fratrem Iaslaum Ducem Kijoviensem in principatum restituturus, revera vero Russiam sibi et reipublicae Poloniae subacturus. Omnia vero quae ad futurum belli apparatum noverat necessaria et per seipsum et per praefectos, praesertim tamen per Wschoborum principem militiae maxima providebat cura, magnam quantitatem pecuniae inter milites equestris et pedestris ordinis, quo alacrioribus promptioribusque animis in expeditionem irent, partitus. Aestuabat siquidem feroci pectore vir proavi sui Boleslai primi Polonorum Regis famam et gloriam in eam usque diem crebris hominum sermonibus celebratam, aut transcendere, aut si minus proveniret aequare, et Gades veteres per proavum suum in fluminibus Zolwina et Dnieper ferreis columnis constitutas regno suo addicere et innovare. Stimulabatur insuper, omnes terrarum Russiae tractus ad eum belli et materno iure devolutos, per Russiae principes possessos, et contra ius per suos patri suo

Casimiro rege, vel connivente vel dissimulante occupatos esse; de quorum restitutione crebro a Boleslao moniti, respondebant se nullatenus illos reddituros. Frequentibus itaque copiis ex omni regno ad Regem aggregatis, advocata militum multitudine, praesens, quos in hostilem agrum ducere pergeret, ita apud illos disseruit. Ea inquit maiorum nostrorum virtus, ea probitas, is animus, ut quamplures vicinas provincias Regno Poloniae fecerint tributarias et subditas, fluminaque Szanna, Ossa, et Zolunna, fixis etiam gurgitibus eorum columnis terminos regni sui constituerint. Nunc ad quam angustam sedem ex collisione civili redacti simus videmus, cum et ipsa Russia et gentium iure, et belli, ditionis nostrae existens, cuius in materno et avito titulo amplior contigit portio, imperium nostrum detrectat, cuius itaque rebellionem oppressurus, et arma ipse indui et vos in armis esse iussi. Magno itaque praesentes capessite bellum animo, non minus coniuges et liberos, ipsamque quam nunc linquimus patriam nostram communem, quam Russia subacta fuerit, defensuri.

Haec Regis oratio cum ingenti militum alacritate et assensu excepta esset, altero die triplici agmine Russiam, habens in comitatu suo Zaslaum Kyouien Ducem, et filios eius, ingressus est, et pluribus quidem diebus ordinatis aciebus praecedebat, gradum minuendo, et cohibendo milites a populatione castris continuit, existimans Russiae Principes iusta acie secum congressuros. Praeerat autem summae rerum in Polonorum exercitu Vsceboronis comes dudum a Boleslao Rege princeps militiae constitutus, in quem Rex Boleslaus velut militaris disciplinae peritum magnam partem curarum et cogitationum suarum reiecerat

Congesserat autem Vuszeslaus Polozen Dux, et qui Zaslaum ex Kyow depulerat, sane valde immensum ex Ruthenis, Pieczenedzis et Vuaredis exercitum, cum Boleslao Polonorum Rege decertaturus. Verum dum Boleslao Regi prohibiturus suum ad interiora Russiae ingressum circa Bialogrod occurrisset, visa Boleslai Polonorum Regis potentia, concidit cor eius, et non ausus confligere cum Boleslao et Polonorum exercitu

Videbat enim se multo viribus inferiorē, ignorantibus suis, deserto exercitu, paucis conscijs et se sequentibus diffugit in Polocsko, Sed et exercitus suus fuga Ducis consternatus et perculsus, in varia loca abijt. Ab exploratoribus autem Boleslaus Polonorum Rex certior factus Ruthenos et ceteros hostes ad terminas munitiones dilapsos esse, gradum in ulteriora promovebat. Interim miserunt Ruthenorum primores, Kyovienses ad Suantoslaū et Vseuolodū duces in Czyrnyow legatos dicentes: etsi iniuste egerimus pellendo Ducem nostrum Zaslaum ex Kyovia, vos tamen venite et defendite castrum Kyow a Polonis, et Rege eorū Boleslao, quoniam exercitus suus multus est, et fortis nimis, et cui nos resistere non poterimus quod si facere contemnetis, castrum Kyow antequam in Polonorum ditionem concedat, igne comburemus. Soli vero cum fortunis, pignoribus et familijs nostris trans mare in Graeciam migrabimus, iugulum irato hosti subducturi. Accipiunt autem Kyovienses a Ducibus Suantoslao et Vseuolodo responsum benignum, nuncios se ad Zaslaum Ducem missuros, rogaturosq, ut se et Polonorū exercitum ab hostilitate contineat, pacificeq ad illos sua omnia restituturus introeat, quod si nolit spondent se cum potentijs suis illi occursuros, prohibiturosq; ne principalis eorum et antiqua Kyoviensis arx et populus occupetur a Polonis et Rege eorum. Quibus verbis Kyovienses confirmati, voluntate deserendae patriae omissa subsistunt. Nuncij vero extemplo ad Zaslaum Ducem expediuntur, qui cum illum haud longe a Kyow offendissent, verba apud illum et Boleslaum Poloniae Regem in hunc modum Ducum Suantoslai et Vsseuolodi nominibus faciunt. In cassum inquiunt tam fortissimū exercitum in tam remota terrarum spacia produxisti, frustra durissimos impendis conatus, cum videas Vseslaū Polocensē Ducē hostem tuū, et omnes tuos adversarios contabuisse. Omissis itaq; Polonis quietus sedem tuam Kyoviensē, non est enim qui adversetur tibi, repete, et Polonorum gentem a nostra et Russiae terrarū vexatione averte, Qui si te aliquis furor ad ulciscendam acceptam a Kyoviensibus iniuriam exagitat, discernet potius ultionem et in Kyoviū et in arcam

sine ferro

sive ferro, sive igne libet, dummodo Poloni in nos, et gentem nostram non debacchentur, exerce. Qua legatione accepta, Boleslaus Poloniae Rex cum Zaslao Duce et expeditionibus militibus, parte copiarum cum impedimentis relicta, sed tamen subsequi iussa versus Kyoviam celeriori gradu procedunt, Dolum autem et fraudem in verbis legatorum veritus, Msczislaum filium Zaslai in Kyoviam cum nonnullis Poloniae et Russiae militibus praemittit, an quietae res apud Kyoviam essent, et ne insidijs et fraudibus Kyovienses agi possent exploraturus, atque praeventurus. Qui illuc pertingens seditionis authores et capita numero septuaginta partim necat, partim truncat, et saevam ultionem diluens etiam eos qui habebantur insontes exercet, Renunciant autem Msczislao Duci omnia firma et quieta apud Kyoviam esse, Boleslaus Polonorum Rex cum Zaslao Duce advenit, et a Kyoviensibus obviam illi ad septimum lapidem primum occursum, deinde amplissimis muneribus exceptus est. Secunda autem Maij die Boleslaus Polonorum Rex Kyoviam ingressus, omnem aestatis, autumni et hyemis tempus illic cum universo exercitu suo deduxit, Hybernabant autem Polonorum milites in oppidis et villis Zaslao Duce singulis tam vestimenta quam victualia impendente. Ivit autem Zaslaus Kyoviensis Dux cum Polonis tum et Ruthenorum militibus, Boleslao Polonorum Rege in Kyovia remanente, contra Vseseslaum Ducem in Polocziko qui potentiam suam et Polonorum veritus diffugit. Zaslaus vero arce Polocensi et regione in suam ditionem redacta, locat illic filium suum Msczislaum, qui dum infra dies paucos absumptus esset, alterum filium Swentopelkonem in locum eius substituens, Kyoviam regreditur

Salomon Ungarorum Rex patrui sui Regis Belae audita morte magnis studijs et precibus avunculum suum Imperatorem Henricum deprecatur, quatenus eum in Ungariae Regnum, Bela Rege orbatum et vacuum restitueret. Imperator autem et generi et filiae volens efficere profectum, eoque anno, cum iam e vicino hyems adventaret, ferre illi solatia distulit, futura autem aestate se cum eo personaliter iturum, et regnum Ungariae restituturum promisit. Quapropter suae dictionis militibus expeditionem Hungaricam insinuans arma illos expedire et primo veris tempore in Ungariam secum proficisci mandavit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS

Hibernali tempore in hyeme exacto Boleslaus Poloniae Rex maturius expeditionis festinat egredi, cum iam tempus aspiceret quo geri res possent. Maximis autem et amplissimis muneribus tam ipse, quam milites sui, a Zaslao honorati versus Premisliam pergunt, et quasdam municiones et oppida citra San fluvium consistentia, partim voluntate partim metu aut vi recepit. Certior deinde factus Premisliam oppidum, multorum Ruthenorum receptaculum esse; qui illuc res et fortunas suas ex munitionibus et rure, velut in locum tutiorem, et presidio valido munitum contulerant, omnibus id copiis aggredi constituit. Erat eo tempore ~~urbs~~ urbs valida et multitudine civium advenarumque, et omni bellico apparatu instructa, fossis quoque profundis et aggeribus in altum porrectis, amne quoque San qui urbem a parte Septentrionali praeterfluit munita. Admovere copias ad urbem Boleslao Regi paranti, amnis ipse San imbribus plus solito auctus intumescens aliquanto tempore obstitit, quo tandem decrescente omnes copias per fluvium Ruthenis nequicquam ripas defendentibus traduxit, castraque non plus mille passibus ab urbe posuit. Inde per occasionem nunc hac parte nunc altera, milites in hostium agros emittebat, praecipiens ut quam longissime a castris procederent, inopinatosque hostes opprimerent, qua re et hostes undique territi in silvas paludesque et invia loca diffugiebant, plerique nec iam egredi extra munimenta castellorum et municionum ad lacessendum alia castra audebant. Pecoris praeterea et frumenti aliorumque commeatuum magna vis exposita, et intra castra regia deducta magnam omnium victualium abundantiam in regio exercitu effecerat. Levia deinde praelia sine ullo satis certo eventu per dies plures inter obsidentes et obsessos commissa, uno tantum die erumpentibus maiori caterva ex urbe Ruthenis et usque ad stativa regia discurrentibus prope iusta pugna fuit, adeoque fugatis in urbem refugiebant direxit, et in tergis eorum plerique Poloni haeserunt, nonnullosque ceperunt, aut armis exuerunt, Excursionibus hostilibus coercitis castra Rex propius urbem admovit, et oppidum circumdari a tribus partibus, a quarta enim parte arce tutabatur, disposuit. Tribus deinde diebus urbem sine intermissione oppugnat, in plerisque locis hostes exstantibus per tela et sagittas summovit, et exturbat, partemque urbis ad plana camporum spectantem defensoribus nudatam, in suam redigit potestatem, quarto die Ruthenis in arcem confugientibus urbe potitur, cuius omnis praeda militi concessa est. Spatio deinde quietis militi concesso sub quo et saucij ad moenia expugnatae urbis curari possent, arcem vallari et corona cingi iubet, quam cum enixius Rutheni tuerentur, oppugnationem tamen illius quamvis sibi difficilem, cum et natura loci et turribus frequentibus egregie munita fuerit, non remisit, universumque aestatis tempus in arcis praedictae obsidione absumpsit, ratus, quod evenit, Ruthenos ad deditionem posse famis taedio compelli; magna siquidem multitudo Ruthenorum cum coniugibus et pignoribus urbe deserta in arcem confugiens intolerabili fame, aquae praesertim penuria, dietim tabescens, cuius haustus moderatus aegre arcis defensores sustinebat, nullas enim arx in sublimi posita perennes tunc habebat aquas, tristi suis spectaculum cadentium indies multitudine afferebat. Huius quoque pestis contagionem, praesidiis arcis et milites Ruthenorum veriti ad se perventuram, crescente desperatione, caduceatorem ad Regem Boleslaum mittunt, et ut inde cum singulis equis et rebus abire liceret, paciscuntur, Boleslaoque Regi die qua inter eos convenerat, arcem tradunt. Boleslaus autem Rex arce potitus, moenia, turres, caeteraque loca praeexistentibus urbis, sua impugnatione debilitata aut diruta, ordinat fortius refici et instaurari, militibusque ad hibernandum in urbem deductis ipse cum primoribus procerum et Baronum in arcem se recepit

Henricus Imperator Romanorum promisso Salomoni Ungariae Regi genero suo satisfaciens, cum valido exercitu Italorum et Alemannorum, caeterarumque nationum Ungariam aggreditur, qua

Christianam

Austriam respicit, intravit, ducens secum praefatum Salomonem Hungariae Regem. Cuius adventu Hungari comperto, ut est gens in fide suorum Principum mutabilis et fluxa, Geissa Duce et fratribus suis Vladislao et Lamperto filijs Belae Regis, quibus in eum diem debitam obedientiam et subiectionem exhibuerant, desertis, certatim ad Salomonem deficiebant. Dux itaque Geissa Hungarorum defectum se ab Ungaris et opprimendum a potentia Imperatoris advertens, communicato cum fratribus consilio cedendum imminenti tempestati et meliori tempori se reservandum decrevit. Itaque duobus Germanis Vladislao et Lamperto et paucis fidelibus Ungaris, qui nullo pacto ab illius fide abstrahi poterant, assumptis, in Poloniam ad fratres suos Boleslaum Regem et Vladislaum Ducem Poloniae, tutum illic non dubitans sibi et suis fore in rebus suis dubijs receptaculum, divertit. A Duce autem Vladyslao et genitrice eorum Regina Dobrogniewa benigne excepti et affecti, cum tunc Boleslaus Rex bello Ruthenico occupatus esset, omnibus debitis victui necessarijs abunde tractabantur. Imperator itaque Henricus Duces Ungariae intelligens effugisse, ad Albam regalem Salomonem perduxit. Apud Ungarorum quoque Pontifices et Baronum ceterorumque multitudinem, quae illic confluxerat, coronatus, captans iam fidem Ungarorum, Salomonem Ungaris, et Ungaros Salomoni, iurisiurandi interposita pactione conciliavit. Ne quoque prior sua coronatio in dubium revocari posset, ipsum iterum Regem in sua praesentia coronari ordinavit. Ab indeque pluribus donis a Salomone honoratus, in Alemaniam redijt. Dux autem Geissa aliquandiu Cracoviae moratus, dum persensisset Boleslaum Regem Poloniae non facile in Poloniam reversurum, ad eum se contulit, et ipsum in Przemysli hibernantem offendens, ut sibi et fratribus suis armis et potentia Henrici Imperatoris ex Ungaria pulsis, opem ferre non differat, precatur et orat, quo Rex bonum animum habere iusso, cum apud se aliquanto tempore favorabili honoratum et tractatum, deliberaturus an Ruthenico bello insistendum esset, an eo dilato Ungaricis Ducibus auxilium ferendum, detinuit.

Lampertus alias Zula Cracoviensium antistes cum decennio Cracoviensem Ecclesiam rexisset, vicesima quinta die Novembris mortuus, in Ecclesia Cracoviensi accepit sepulturam. Huic ad devotam petitionem Nicolai de

Micholawu

Mikolaum filij Vszeblicze, cornu pro armis Stanislai et Bogufalij de Zemborze, caput asininum, Petri et Iacobi de Sbilutowicze clipeum in clipeo Asczugij et Ioannis de Ianussowicze babatum cum cruce pro insigni deferentium, Ecclesiam parochialem in minori Kalimirza reperio fundasse, et certas decimas manipulares illi adiunxisse. In fundationis quoque privilegio anno Domini millesimo sexagesimo tertio in Dzierzaszna scripto et confecto, cuius memini me legisse tenorem Beatum Stanislaum tunc Cracoviensem Canonicum pro primo et principali cum alijs Cracoviensibus et Vratislaviensibus Canonicis testem scripsisse. Iste Zula fuit vir facetus et literatus complexionis sanguinee, et pro vite sue integritate meruit apud clerum et populum Regni Polonie et celebrem memoriam, et ad gradum pontificalis dignitatis, per canonicam electionem, ascensum.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEPTVAGESIMVS SECVNDVS

Bellis duobus Ruthenico videlicet et Pannonico elato et inferendo Boleslaum Polonie Regem distinentibus, quid horum mallet, ad quodque sese verteret, tacitus secum, deinde et in frequenti suorum consilio disserebat. Nam neque bellum Ruthenicum et Zaslai Ducis Kyouien. in sedem suam restitutionem, secundis auspicijs hactenus inchoatum, et gestum volebat omittere; neque fratribus suis Geysse, Vuladislao et Lamperto omnes spes suas in suo suffragio reponentibus deesse. Et quamvis omnium Consiliariorum Polonie sententia, Ruthenicum bellum prosequendum, a Pannonico interim abstinendi, propriasque res potius curandas quam alienas assererent, Boleslaus tamen turpe ratus fratres suos Duces Vngarie in tam periculoso discrimine deserere, Ruthenica expeditione omissa, valido presidio arci et civitati Przemisliensi imposito, ad inferendum bellum Salomoni Vngarie Regi, tam Ducibus Geysse Vuladislao et Lamperto, quam proprijs militibus pronunciat se laturum. Delecta itaque expeditorum militum manu, novisque militibus, in horum quos in Premisliensi presidio reliquerat supplementum ex Polonia accersitis, fratres suos Geyssam Wladislaum et Lampertum in

Vngariam

Ungariam reducet, quaeque extrema pro illis tam cum Salomone, quam alio quolibet eorum hoste experturus. Neque deerant Ungarorum proceres, quorum iam dominationis Salomonis pertaesum erat, qui Salomone relicto, ad Geissam, Uladislaum, et Lampertum transfugerent. Salomon itaque externis Almanorum solarijs destitutus, cum Ungarorum fidem sibi illucque labantem prope nosset, veritus ne a Polonico agmine et fratribus interceptus invaderetur, praesertim cum eum illuc stativa de prope Budam locasse sentiret, ex Buda fugiens, in castrum Musuvarte et natura munitissimum, se recepit. Dein Rex Boleslaus et Duces quid agendum satius esset, ventilabant, cum et conquisitio castri ad quod se Salomon Rex abduxerat esset periculosa, et difficilis, et agrorum, agrestiumque, qui nihil deliquerant, vastatio plusquam tristis. Interim pontifices Ungariae quibus bellum civile formidolosum et detestabile videbatur, ad castra Regis et Ducum, pacem inter Salomonem Regem, et Geyssam, Uladislaum, et Lampertum Duces aequis conditionibus compositure, supervenerunt, quibus in consilium admissis, multis instantijs Geyssam et fratres suos deprecantur, ne communem patriam, in qua maiores eorum regnaverant, in qua quoque et ipsi essent regnaturi, mutuis collisionibus subijcerent vastitati et ruinae; occupandamque Barbaris praeberent. Orant et Boleslaum Poloniae Regem et fratres suos Duces ad capessendas aequas pacis conditiones perliciat. Et cum a Rege et Ducibus responsum esset, pro pace communi nullas se conditiones honestas recusaturos, sed in pontificum potestate futuros, Rex enim Poloniae videre ad bellum Ruthenicum magnopere satagens, Ungaricum bellum aut sufferencijs suspendi, aut pace componi aestuabat. Itum extemplo in Musur est, et sub his conditionibus pax ab utraque parte conventa, ut Salomon quamvis natu iunior Regio fungeretur Diadematis titulo et honore et duas partes Pannoniae Regni in sualitatem habeat, Geyssa, Uladislaus, et Lampertus ducalem honorem, et tertiam Regni partem possideant, Boleslaus Poloniae Rex et suus exercitus de communi utrorumque aerario numeratus abscedat. In hunc modum pace composita, in qua componenda aestas integra exacta est, Boleslaus cum magna gloria, et utriusque partis favore, neque enim eo abeunte pax componi potuisset, in Przemysliam redijt, illicque hibernavit. Geysa, Vladislaus et Lampertus in quinque Ecclesijs coram magna Ungarorum multitudine Salomoni imposuerunt Diadema

Ioannes Vratislaviensis Episcopus cum annis decem Cathedrae praesedisset, a calculo correptus, mortuus est, et in Vratislaviensi Ecclesia sepultus. Petrum habent successorem, Scholasticum Vratislaviensem et electio sua quemadmodum uniformis erat, et in quem Boleslaus Secundus Poloniae Rex consenserat, quoniam et illi praesens aderat, a Petro Gnesnensi Archiepiscopo fuit confirmata, et consecrationis munus fuit illi ab eodem Petro Archiepiscopo in Gnesnensi Ecclesia impensum, nobilis de domo Vulpium

Levi ex causa inter Swantoslaum et Vschevolodum Duces Czyrnioviensium ab una, et Zaslaum Ducem Kyoviensem partibus ab altera, pro finibus terrarum et spolijs utrinque segnitis, contentione exorta, etiam inter illos arma exeunt. Congregatis itaque exercitibus Swantoslaus et Vschewolodus Czyrnioviensium Duces vadunt contra Zaslaum Kyoviensium Ducem. Verum Zaslaus fluxam et fragilem suorum militum in se fidem perpendens, veritus ne vivus in manus veniret hostiles, ex Kyow discedit. Swantoslaus vero et Vschewolodus Duces vigesima secunda die Martij Kyoviam ingressi occupant principatum, et sedent in Kyow, paterna prohibitione temerata, qui singulos filios constrinxerat, ne alter alterius usurparet principatum. Zaslaus vero Kyoviensium Dux cum uxore et filijs et plerisque militibus in Poloniam ad Boleslaum Polonorum Regem effugit, ducens secum aurum argentum vasaque concupiscibilia et omnem mobilem et preciosam supellectilem, quae omnia aut Boleslao Polonorum Regi donavit, aut in Polonorum milites distribuit, suppliciter se in sedem suam Kyoviensem per Boleslaum Polonorum Regem deposcens reponi

Vicesima prima Decembris Swantoslaus Czyrnioviensium Dux qui Kyoviensem sedem occupaverat, in Kyow moritur, et in Czyrniow relatus in Ecclesia S. Salvatoris sepelitur. Cui Vschewolodus frater suus in principatu Kyoviensi succedit. Relinquit autem unicum filium Hleb, qui paternum Ducatum videlicet Nowogrodensem Swantoslao obeunte possedit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEPTVAGESIMVS TERCIVS

Ex Przemyslia validis illic praesidiis et popularibus in fide continerentur, relictis Boleslaus Polonorum Rex, agminibus suorum exercituum eductis, in ulteriores Russiae partes, Zaslaum Ducem restituturus, in sedem suam, ire pergit, et itinere quo versus Kyoviam processisse credebatur, omisso, in terras Chelmenses et Vuolinenses, quae prius Vuladimiriensis vocabatur, nunc utroque nomine abrogato Lucensis appellatur, divertit. Regio erat in eam diem dives et opulenta, frequentes habens vicos et oppida, pauca erant munita, facilem sui expugnationem hosti praebentia. Plura itaque voluntarie in deditionem venere, castra in quibus praesidia Ruthenorum erant parvo negocio expugnata. Castra regionis erant principalia tria, Vuolin, Vuladimir, et Chelm, singula tamen ex ligno et trabibus fabrifacta, et in collibus natura ipsa editioribus sita, Haec magna Ruthenorum militum manus tuebatur. Primum itaque Boleslaus Polonorum Rex praedas agere et nonnullos vicos et villas incendi iubet. Devastata praedataque regione, cum plurimum pecoris de spoliis aggregatum esset congestum, dedit illud militibus per servos in Poloniam Rex permittit. Ad castrum deinde Vuolyn copias admovit, et illud omnibus viribus nocte et interdiu expugnare non destitit. Verum dum a Ruthenis castrum defendentibus egregie resisteretur, spes potiundi castri recidebat, saepius in irritum. Dum insuper plerique Polonorum militis obsidionem deserendam eisdem persuaderent, nullo pacto persuasioni acquievit, veritus ne castro inexpugnato dimisso, animi Ruthenorum ad faciundum ampliorem resistentiam erigantur. Sex mensibus in obsidione pertinaciter perseveranti, Ruthenorum, qui castrum tuebantur, animi, partim metu, partim spe ex liberalitate quam noverant Boleslao inesse franguntur, missisque caduceatoribus de castro dedendo apud Regem sermonem faciunt, conditionesque proponunt. Ut singuli quibus liberet cum omnibus quae dictionis suae essent, discederet, qui remanere elegissent aequo iure cum Polonis in castris Regiis militarent. Rex insuper illis duo marcarum millia largiretur. Sub his conditionibus dum pax convenisset, castrum Vuolyn Regi deditum. Boleslao autem Polonorum Rege in terra Vuolinensi agente, Vuosievoldus dux decernere cu

piens

suis, Ruthenorum copias illuc adduxerat. Sed Polonorum copijs ad liquidum lustratis, manifestum periculum se tentare, et fortunam incertam se videns retrorsum abijt

Jaromirus alias Gebhardus Pragensis Episcopus moleste ferens Episcopatum suum in Olomuczensem dismembratum esse, pro reintegrando eo plures conatus impendit. Quos cum obstante Vratislao Bohemiae Duce, qui eiusdem mutilationis et praefati Olomucensis Episcopatus fundationis primarius fuerat institutor et author, contumelijs et tandem verberibus in irritum recideret, Joannem Olomucensem Episcopum clandestine aggressus, plurimis contumelijs et tandem verberibus per seipsum et familiares mulctavit. De qua novitate Bohemiae Dux Vratislaus plurimum consternatus querelam ad auditorium summi Pontificis contra Jaromirum Episcopum Pragensem, dum primi nuntij urbem missi Jaromiri mandato mutilati et caesi in itinere fuissent, deduxit. Sceleris magnitudine Papa Alexander secundus motus Rodolphum Cardinalem ad coercendam enormitatem transgressionis transmisit. Cui cum Jaromirus obedire et coram eo citatus parere contumaciter recusaret, privatum Pontificio, etiam Clerum Pragensem Ecclesiastico subijcit interdicto, placandus tamen, expost, ne maiora scandala suborirentur, agens, et ipso Jaromiro officium pontificale restituit, et interdictum a Clero Pragensi tollet, terminos tamen ad comparendum coram Papa Alexandro, utrique Episcopo designat. Quo cum ambo pervenissent, Papa privationem Jaromiri ratam esse decrevit, precibus tandem multifarijs comitissae Mathildis virginis filiae Bonifacij Ducis Lucani in Tuscia, quae universum patrimonium suum Sancto Petro perpetuo contulerat, et Ecclesiam Romanam ab hostibus strenue defendebat expugnatus, omne facinus in se et Joannem Episcopum Olomucensem admissum indulget, et Jaromirum pristinae dignitati restituit, ita tamen quod Ecclesiae Olomuczensis fundatio de caetero firma et perpetua perseveret

ANNUS DOMINI MILLESIMUS SEPTUAGESIMUS QUARTUS

Primo aestatis tempore agmina suorum exercituum Boleslao Polonorum Regi ex Vuolhin ad conquirendum castra duo residua, Vuladimiriam, et Chelm educere parenti, principes Vuladimiriae ditione Gregorij, cuius castra ipsa pro ea tempestate erant, nuntij adveniunt. Hi ad consilium Regis introducti, petunt, ut ex terris eorum copias suas deducat, terrasque illas vastari et castra expugnari non admittat, principem suum Gregorium in potestate Regis una cum castris et terris futuros, et deditionem facturos, imperandaque expleturos asseverant. Rex Boleslaus ut in ulteriora Russiae liberius celeriusque penetraret, oblatas pacis conditiones accepturum se, si obsides darentur, respondit. Quo accepto, et inducijs interim firmatis, ad principem suum reversi, responsum exponunt. Grave inprimis et indignum videbatur dare obsides, molestius tamen et gravius teneri et vexari. Itaque princeps ipse Gregorius, et sui, personaliter ad Regem Bolislaum veniunt, deditioneque facta, obsides tradunt. Boleslaus Gregorium non solum benigne appellatum sed etiam liberaliter muneratum domus remittens, agmine citato, ad caput et Metropolim totius Russiae Kiyow ire pergit, non aliter se bellum Ruthenicum nisi Kiyovia conquisita ratus consumaturum. Dux Vuszewoldus tunc inter Ruthenorum principes potior et terrarum amplitudine et militum frequentia habebatur, is quoque tunc et terram et civitatem Kiyoviensem ceterasque vicinas provincias sub sua ditione continebat. Qui ut ab exploratoribus et ipso rumore accepit, bellum sibi a Boleslao Polonorum Rege inferri, et in regionem suam belli sedem transferri, omnes ditionis suae homines iubet arma sumere, expedire; ceterorumque vicinorum principum plurima contraxit conquiritque solatia. Multi insuper voluntarij Ruthenorum proceres et milites qui ex Premisliensi, Vuolhiniensi, et Chelmensi terris per Boleslaum aut expugnatis, aut in fidem receptis diffugerant, se sibi coniungentes, exercitum haud sane contemnendum effecerant. Quorum multitudine et continua acclamatione, ut extemplo ad hostem ducerentur, Dux Vuszewoldus laetior factus, aciebus ordinatis, ad castra Boleslai novis stativis cursu celerrime profectus pervenit, altera quoque die suos ad pugnam educit. Boleslaus praefectis tribunis centurionibus et qui ducebant ordines, singulisque militibus convocatis, Decernendo, inquit, cum hoste, quod frequentibus votis optastis nunc nobis oblata est facultas, virtutem, quam sermonibus iactabatis, nunc dextris monstrate; hostis quidem et numero et robore superior est, omnis spes in praesidio coelesti et virtute reponenda. Saepe enim hostis ipse a patribus nostris leni negotio victus fususque est, et subactus, quem et hodierna die magno animo firmati, vos fusuros, maxima praemia victoriae, urbem opulentissimam Kijoviam, cum finium, quos patres nostri possiderunt, pulcherrima recuperatione, habituri. Hac cohortatione monitos et in aciem deductos, pugnam conserere. Magna vi ab utraque parte concursum est, ancipitique Marte aliquandiu pugnatum. A dextra parte aegre Polonus restabat, clamoribusque dissoni ad incertos suorum eventus fugere hostis proclamantium, a praesenti certamine avertebant animos, turbatisque ordinibus superiores Rutheni esse coeperant, ni Boleslaus novam cohortem laboranti alae et prope fugienti prospiciens submisisset. Itaque pugna restituta, aequis viribus et prope pari spe pugna gerebatur. Tandem Boleslao Rege fortiorem hostium cuneum prorumpente, fuga extemplo Ruthenorum secuta est, effusosque Ruthenos, victores sequuti, magnum illorum numerum ad castra reduxerat. Dux Vusevuoldus fuga salvatus. Multi tunc ex Ruthenis cecidere, sed et ex Polonis prope mille desiderati, in quadrigas impositis et his qui ceciderant sepultis, in Poloniam spolia plurima Ruthenica referens cum victore exercitu redijt

COMMISSUM adulterij et rapinae facinus STANISLAUS Cracoviensis Episcopus, quod Boleslaus Poloniae Rex in Cristina foemina militis Msczyslavi consorte patraverat non ferens, dum Regem paternis monitis corripuisset, et exinde in Regem monita salutaria negligentem, censurarum rigorem decrevisset, Boleslaus Rex magna percitus ira, pluribus contumelijs et opprobrijs Episcopum insectabatur, verum insectari ferrum contentus ad inferendum Episcopo quaslibet aggravationes et iniurias animum intendit.

NON FACILE autem occasionem qua viro Dei nocere posset Rex, longa licet indagine cunctis rimatus poterat reperire. Vita enim viri sancti sincere et innocenter traducta, quamlibet calumniam etiam verisimiliter criminantium demum excludebat. Ad oppressionem tandem viri Dei indefesso studio Regi anhelanti, modus opportunus oblatus est. Coemerat

vir Sanctus Stanislaus pro sui Episcopatus Cracoviensis
amplitudine villam in sua Dioecesi ad fluvium Visla in terra
Lublinensi sitam, Piotrawin appellatam, apud Petrum qui Pio
trek dum viveret nominabatur, nobilem armigerum, pro cer
ta pecuniae quantitate, venditionique huiusmodi fratres et nepo
tes pluresque testes vendentis et ementis adhibuerant, quo solidior
duraret venditionis contractus. Is foro confecto, et pecunia
ad plenum a Beato Episcopo percepta, triennio, priusquam
haec, quae narranda suscepimus gererentur, Stanislao Episco
po in pacifica possessione villae Piotrawin notabili parte exi
stente, e vita excedens in Ecclesia Parochiali Sancti Tho
mae Apostoli in praefata villa Piotrawin consistente exti
terat tumulatus. Huius nepotes et propinqui Boleslao
Rege mandante, et suam illis assistentiam promittente, coe
perunt Stanislaum Episcopum impetere pro villa praedi
cta Piotrawin spectante, asserentes haereditatem ad se de
volutam Episcopum Stanislaum violenter occupasse, quam oc
cupationem violentam in regio iudicio urgente, et legiti
mam venditionem et emptionem pro villa huiusmodi in
ter se et Petrum mortuum coram testibus probatae fidei
celebratam, offerente, decreto iuris dictorio ex authori
tate Regis et Baronum prolato admittitur, Stanislaus
Episcopus velut actor, et dominus villae pro qua lis pen
debat possessor ad probandum per testes qui contractui
adfuerant, legitimam villae emptionem. Verum dum te
stes per Episcopum conscripti et nominati pro die constituta
latum testimonium, timore Boleslai Regis constricti, veni
re expavissent, sententia quoque peremptoria contra Episco
pum, ut de villa Piotrawin testibus deficientibus exci
deret, instaret ferenda, magna fide Stanislaus Episcopus,
inspiratione etiam flatus domini sentiens se perfusum, video,
inquit, veritatis et iustitiae meae causam terreno consilio
et imperio depravatam obnubilatamque et per veritatem
caelesti suffragio illustrari et reparari oportere. Et proinde
testibus veritati et iustitiae meae ferre testimonium detrec
tantibus, principalem meum venditorem Petrum staturum
polliceor. Deliramenta Regi Boleslao et Baronibus secu
laribus praesidentibus, quae Sanctus Dei pro relevanda
causa sua edixisset, primum visa, facilius tamen oblatio
sua, quod Regi et Baronibus impossibilior credebatur.

dum vir Dei

dum vir Dei infra quatriduum eam expleturum firmaret, accepta et dimissa est.

Iudicium non illud tantummodo Episcopalis causae, sed terrestre et generale, quod apud Polonos colloquii vel magnorum terminorum nomine, quadam usurpatione nuncupatur, in pratis, quae inter Solecz et Piotravinum, in bassis et paludinosis locis, sylvis etiam obsitis, sita erant, gerebatur. Mos siquidem antiquorum Regum et Ducum, in multis aetatis observatus erat, generalia iudicia in planitiebus et campestribus pratis et agris, quo facilior cuilibet in medium, quod non diebus solum sed aliquot hebdomadis agebatur, praeberetur pabulatio, celebrandi. Is tamen dudum abrogatus est, iudiciaque ipsa in castris aut urbibus, non in papilionibus ut olim expediuntur, Polonis cultiores quam tunc eorum maiores habebant, mores et ingenia sortitis.

Stanislaus Episcopus oblationis suae decreto accepto, in villam suam Piotravinum, quae duodecim passibus a loco iudicii vix aberat, secedens, omnibus Clericis qui aderant, et quos festinatio rei accersiverat, permittebat, triduanum ieiunium indixit, vacareque singulos Missis, obsecrationibus, et orationibus, praecipiens, non hac modo quae rogandum assumpserat, sed his maiora si fidem instar grani sinapis habuerint, facile apud clementiam divinam impetraturos profitebatur, ipse in Oratorio Ecclesiae, non diebus non noctibus illis cessans lachrimis et fletibus intermixtis incubabat. Quarto deinde die decantato Oratorium ingressus, Sepulchrum Petri militis mortui sabulo amoto iubet aperire, et cadaver triennio putrescens detegi, et Clericorum plebisque astante multitudine, rigato primum vultu lachrimarum imbre, procumbens supplex ad terram, orationem ad Deum fundens ait. Clementissime omnium Deus, qui propitiatione tua immensa, perdito humano generi consulturus, assumpta humanitatis nostrae sarcina descendens ad terras quatriduanum Lazarum foetentem, Archisinagogi filiam, et filium viduae de Naim revocasti in vitam, credentibus quoque, et credituris in te, horumque quae ipse gesseras, maiora te praestiturum verbo nunquam transmutabili promisisti, respice de excelso solio gloriae tuae ad preces fletus et gemitus supplicum tuorum, et multifaria largitate benignitatis tuae, quam etiam indignis praestare soles, concede ut Petrus miles causa Ecclesiae tuae quam in tuo nomine confisus defendendam suscepi laturus testimonium, ab inferis defraudantibus a veritate filiis hominum, consurgat, et potentia virtutis tuae in vitam revocatus causam Ecclesiae tuae caligine iniquitatis humanae infectam illustret, et promissa tua verificentur in cunctis nationibus, et nomen tuum magnum et gloriosum clarificetur in saecula. Cumque ab universo clericorum et populorum coetu responsum esset, Amen, ad tumulum accedens, baculo pastorali cadaver Petri militis tangens dixit, In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Petre surge de pulvere, et exurge a mortuis, testimonium veritati perhibiturus, et augeatur fides credentium, et castigetur corripiaturque improba temeritas impugnantium et opprimentium iustitiam et veritatem. Ad haec protinus verba Petrus miles consurgens stetit, primusque apud nos Stanislai sanctitatis et virtutum, vel materia vel testimonium fuit. Cui vir Dei Stanislaus manum porrigens, et stupente universa multitudine, et magna vociferatione clementiam Dei laudante de sepulchro, et deinde ad Boleslaum Poloniae Regem in coepto iudicio cum Baronibus perseverantem, deducens, ait. En inquit iuxta pollicitationem meam pridem coram consilio vestro factam, Petrum militem sisto, et pro villa Piotrawin, pro qua iniusti convenior, hunc principalem non mea sed divina virtute ab inferis suscitatum, et testem perpetuae venditionis et autorem cuiuslibet impedimenti pono. Persona sua singulis fere vobis nota est, ante triennium vobiscum conversata, non putetis hunc phantasma esse, qui carnem et ossa, si quis dubitans palpare voluerit, convincetur resumpsisse. Regi Boleslao et universo Baronum et militum coetu novitate miraculi non obstupescente solum, sed pene exanimato, nec quicquam loqui aut interrogare auso, Petrus miles a Beato viro suscitatus rupto silentio ait. Ego inquit virtute divina et precibus huius viri Beati Stanislai Cracoviensis Episcopi a morte suscitatus, profiteor, et clara apertaque voce coram tuo tribunali Rex profiteor, paternam quondam nostram haereditatem Piotrawin, beato viro Stanislao Episcopo et suae Cracoviensi Ecclesiae, me perpetua et irrevocabili venditione vendidisse, et precium de quo inter me et Beatum virum convenerat, effectualiter tulisse, nepotesque consanguineos meos nihil iuris aut devolutionis in ea habentis, virum Dei Stanislaum inique et calumniose pro illius proprietate molestasse. Et conversus ad nepotes et consanguineos qui Episcopum impetebant, et eos qui testari timuerant, Quis, inquit, ausus, hanc vobis dementiam ingessit, ut vos et calumniando, et veritatem reticendo, gravi vos contaminaretis scelere, pro quo me denuntiante, nisi paenitentiam condignam egeritis, dira vos supplicia tormentorum non dubitetis subituros. Silentio hinc his atque illis confitentibus, Stanislaus Episcopus regia et omnium Baronum definitiva decisione versus adversarios, et villam Petrovin caelesti non terrestri testimonio ditionis suae et Ecclesiasticae fuisse et fore comprobatus, in perpetuam, quam et in hunc diem Cracoviensis retinet Ecclesia, reportatus est possessionem. Monstratur in hunc diem Sancti iudicij locus, oratoriumque in eo superaedificato singulari devotione a populis frequentatur. Ab hoc primum tempore Beati viri Stanislai nomen magis virtutibus apud Polonos esse et celebrari coepit, ut qui Sanctus ab omnibus habebatur, potens etiam et vere Apostolicus haberetur. Cuius sanctissima ante et in pontificatu religio, maiestas, veneratione singulari plena, admonitio modesta et dulcis, increpatio terribilis, morum venustas, laudabilis conversatio, grata et facilis, gestus gravis, et pontifice dignus.

Testimonij officio quod ad implendum suscitatus erat, Petrus miles perfunctus, vir Sacerrimus Stanislaus Cracoviensis Episcopus, illum ad Ecclesiam Sancti Thomae in Petrovin, comitante se omni fere, quae ad iudicia expedienda convenerat, multitudine, ita ut et hi qui Episcopum Beatum pro villae proprietate vexaverant, ex accusatoribus et adversarijs veneratores facti, sequerentur, et Rex paene solus in tentorio desertus remaneret, reduxit. Quem, antequam in sepulchrum reintraret, Beatus Stanislaus hoc convenerat sermone: Vis, inquit, Petre, spatium vitae in aliquot annos protelandae, aut aliquid gratum tibi a Domino meo Jesu Christo, precibus meis conferri, Cui miles, Non hanc, inquit, vitam, quae morti magis, quam vitae similis esse perhibetur, Pater Sancte, sed eam in qua beati sempiterno aevo, felices visione beatae Trinitatis, fruuntur, mihi optare convenit, quam mihi adepturum,

purgatorio

purgationis tempore, de quo parum adhuc supererat, expleto, certissime creditur, quod et pietate divina, tua intercessione ad plenum rescindi, etiam nunc antequam expleatur, possit, merito tuo quaeso et prece efficias. Qui sepulchrum reintranti, et animam corpore locato exhalanti: Beatus Stanislaus, psalmis, traditione Catholica, cum clero suo, super commendatione animae devotissime peractis, tumulum ex more iacto sabulo composuit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEPTVAGESIMVS QVINTVS

Integra hyeme, et parte veris Boleslaus Polonorum Rex in propriis penatibus absumpta, maiori quam ante exercitu ex equite peditique comparato in Russiam celeri itinere contendit, et ad Kijouiam Metropolim Russiae accedens ipsam obsidione vallavit. Dum autem a Ruthenis urbem tuentibus crebrae fierent, in castra Regis, excursiones, certaminibusque levibus inter partes in manus crescentibus, saepe universus exercitus regius, suique qui a Ruthenis, interdum, sagittis eminus emissis, propellebantur, laterique auxilium, velut in iustam aciem consurgebat. Famem tamen civitas laborare coepit, rarescentibusque hostilibus excursionibus, castra propius urbem admovit, doctus quoque a transfugis famem et apud urbanos et apud milites invaluisse, itinera omnia obsideri, ne quid ad obsessos importari posset, summa cura et ipse providet, et milites illi negocio praefectos partim minis, partim promissionibus, ut cuiusvis quamlibet importationem prohiberent, oneravit. Ea enim vis animi ingeniique Regi inerat, ut non grandia solum sed etiam minima per se gereret, militibusque et praefectis munera belli et obsidionis demandans, pleraque ipse, priusquam a milite inchoarentur, perficeret, vigilias quoque per se adeundo, et segnes corripiendo, et multando, ne quid militis de solerti et continua diligentia, adventum regium semper suspectum habentis, remitterent, effecerat. Camporum insuper urbem corona cingentium vasta planicies, ita ut illam visua vitus in pelagi morem terminare non queat, et qualibet importatio interdiu procul poterat deprehendi, propositum Regis vehementer adiuvabat. Urbs praeterea Kijouiensis ea tempestate amplissima et in plures largosque vicos porrecta nullo satis certo murorum aut roborum robore subnixa, facili

captioni

castrensi militibus praesertim vacuam tutantibus, continuis vigiliis et diuturna obsidione fatigatis, fatiscebat, universas vias Polonis strenua custodia observantibus, importareque in eam cuiuslibet rei prohibentibus, famis horrenda urbem invaserat, multique mortales dietim fame cadebant, tabescebant. Cum accessit et pestilentiae malum, vis quoque morbi et in locupletum et in militum corpora pervaserat. Verentes ne in vim in Boleslai et Polonorum venirent manus, legatos de urbe dedenda ad Boleslaum mittunt. Rex, legatis nihil aliud quam ut se victis mansuetum victorem praestaret, et parceret famae et pesti afflictae civitati, rogantibus, moreque suo, cervice bassas inclinationes rogationi adiicientibus, benigne correptis, quod tam foeda in defendenda urbe passi essent, quae nec irati victores victos pati coegissent, propitium se et favorabilem singulis futurum respondit. Quo ad urbem relato, non alterius duci adventu expectato, cives urbem Regi dedit. Quam Boleslaus cum multitudine armatorum ingressurus, gladio vibrato conformem triumphum Protavi sui Boleslai Primi Polonorum Regis impleturus, in portam ferream impegit, geminamque ictus foramen verberata mucrone lamina in porta, in victoriae et deditionis signum reliquit. A civibus magno honore exceptus, modestissimum se prout spoponderat omnibus victorem praebuit, et ne cuius aedes, corpus, vel fortunae a quoquam suorum militum violarentur, plectendos violatores capitis decernens, effecerat.

Qua una re civium Kyoviensium pectora adeo sibi devinxerat, ut amplissima munera tam Regi quam exercitui sufficientia, sponte praesentarent, quae Rex paucis sibi retentis omnia fere in milites, eos praesertim, quorum virtus aut in dimicando, aut in expugnatione obsidionum et castrorum, aut in lacessendo hostis, fuerat conspectior, distribuit. Eo memorabili confecto, Kyoviaque in ditionem subacta, cum universa Russia parata esset, vectigalia magna instituit, generisque materni propinquum Principem Zaslaum summae rei praefecit, et Kyovienses ora illi attribuit gubernationem.

Magna ex singulis Russiae regionibus dietim afferebatur pecunia, magnae cumulabantur opes, in quibus aggregandis exigendisque, residuum quod restabat hiemis effluxit.

Suantoslai Ducis Czerniechoviensis filio Glebo, a suis neglecti occiso, et in Czyrniow in Ecclesia S. Salvatoris sepulto, Swantopelk filius Zaslai in Nowogrodiensem Ducatum successit. Vuladimirus vero alter filius Zaslai sedit in Smolensko, et Jaropelk tertius filius in Vuyschogrod

ANNUS DOMINI MILLESIMUS SEPTUAGESIMUS SEXTUS

Ex mora quae in civitate Kyoviensi hibernatum est, universi exercitus Polonici robur et disciplina elanguit, in eamque perniciem ex voluptatibus, comessationibus, ebrietatibus, et libidinibus tam Boleslaus Poloniae Rex quam milites sui paucis exceptis deducti sunt, ut plus nocuit vicisse quam victoria caruisse, victoriaque potiri, multo maius discriminis, quam commodi ingessit. Omnium siquidem victualium quae cuilibet gulae sufficerent, Kyovia ferax est, carne, melle, pisce, et frumento fertilissima, foeminas habens statura proceras, crine glaucas et speciosas, sed lascivas. Earum pulchritudine tam Rex quam Polonorum milites capti, felicitate insuper victoriarum elati, et rerum omnium abundantia locupletes, in omnium libidinum sentinam corruerunt. Ipse insuper Boleslaus Poloniae Rex plenam fortunam in victoriis et deditionibus civitatum, spoliis, divitiis et impositis honoribus videns sibi provenisse, tantum arrogantiae et lasciviae induerat, ut difficiles ad se petentibus faceret aditus, et plerumque responsa et mandata per internuntios daret. Nec simplici libidinum genere contentus, in spurcissimum Sodomiae scelus, Ruthenorum detestabiles mores, apud quos scelus illud in usu erat, imitatus, foedissime prolapsus est, quosque armis vicerat, vitiis eorum victus, universae potestati suae, sibi et regno suo, et genti suae grande et diuturnum dedecus, sola propitiatione divina abolendum, inussit. Quantum autem scelere huiusmodi Maiestas omnipotentis, quae illi tot victorias, tot felices successus praestiterat, offensa fuerit, eventus, qui in sequentibus narrabuntur, monstrabunt. Primum quidem Rex ipse Polonis propriis, deinde et Ruthenis, quamvis eorum lasciviam aemulatus esset, contemptui esse coepit, aestimatioque et charitas regia in pectoribus militum succisa magis quam diminuta. Nec Rex solum contemptui et odio a propriis et Ruthenis, sed et Polonis divino verbere obnoxii fuit obruti sunt, uxores siquidem, sorores, et filiae eorum praesertim quae immoderatius libidinibus Kiyoviae inservierat, de longa absentia virorum molestae, integro prope septennio, se orbas, et virorum solatio prolisque foecunditate destitutas, querebantur, quas neque facinus, neque iuventus, neque mulieribus conditio mitiora sentire permittebat. Diuturna itaque expectatione maritorum fessa, dum insuper rumor vulgasset, alios diem obiisse, alios in praeliis occisos esse, alios pellicibus se permiscuisse, ad servorum convolant nonnullae amplexus. Quaedam vi pertractae, caeterae blanditiis et falsis delusionibus et figmentis expugnatae. Haec prostitutio dum passim de omnibus Polonorum uxoribus ad castra Regia crebro rumore, crebrisque nuntiis, fama omnia in manus extollente alata fuisset, et super re ipsa ex metu et suspicione, plurima fingerentur, vulgarenturque opiniones, manaretque, et serperet in dies alio aliis tradente mali species contagio, tantus fremitus et indignatio in exercitu suborta est, ut compatriotarum mox unus ad alterius tabernaculum, suas iniurias et casus communicaturi, et quaestum, discurrerent. Tantus insuper nonnullos eorum invasit furor, ut Rege nequaquam permittente aut consulto, in Poloniam velociori quo possent cursu excurrerent, paucorum exemplum magna expost multitudo caeterorum militum suas iniurias de uxoribus et servis ulturi et iis bellum anhelantium sequuta est, quam neque regia castigatione neque blandis sermonibus poterat inhibere, cum quibuslibet fere diebus tam nocte quam interdiu ferociam Regis nonnulli iam experti erant, minus tutum erat passim Regi suo Boleslao in terra hostili deserto, effugiebant.

POLONORUM militiis ex castris in domos non flagitatum, ut olim Scythas, sed flagitiis uxorum reversos, novum et servile bellum, Deo sane Polonis iuste imminente pro libidinibus in Kiyovia admissis ultionem, excepit. Servi etenim qui eorum uxores temeraverant, poenarum acerbitatem pro scelere se a Dominis non ignari subituros, non suadentibus solum sed minantibus

fœminis

fœminæ, quas consentientes stupri servi devinxerat, arma corripiunt, et exclusis portis dominos intrare volentes excludunt, cum potentia ingressuris bellum gerunt, quos Domini aegre et cum suorum dispendio victos, variis et exquisitis cruciatibus una cum uxoribus adulteris, illis praecipue quae libidinem secutae, ultro se servis coniunxerant, interimunt, Ac sic de coniugibus et servis adulteris ulti, saciato iusto furore stupra exterminant.

Erat pro ea tempestate matrona quaedam nobilis Margarita uxor comitis Nicolai de Zamborzin villa, prope Ostrowiecze sita, nobilis de domo et armis Stroparum, quae nitorem conservatum absque cuiuslibet contagionis labe pudicitiae, quam alias fœminas viderat prostituisse, in Ecclesiam in Zamborzin latericiam, se cum duabus sororibus recludens, et per fenestram per omne tempus quo vir suus in Regiis militabat castris, victum sumens, custodita pudicitia usque in diem hanc celebratur commendatione

Regis interim Boleslai truculentior ira, non in fœminas solum quae pietate virorum, aut minorennitate scelerum servatae erant, sed in viros ipsos grassari coepit. In Poloniam siquidem ex Russia cum variis agminibus reversus, desertum se a militibus propriis quibus multa bona largitus erat, in medio hostilis regionis et hostium expositum discrimini, fremebundus et calens ira, deplangit, Militum desertione pene morte aut infami captivitati obrutum, divina benignitate servatum ingeminat. Correpti proinde milites, a quibus transfugiendi principium ortum est, iubet, et capitis poena, alios qui sequela peccaverant carcerali molestia, aut bonorum privatione mulctari, mulieribus, quibus mariti pepercerant, fœtu, quem ex servis susceperant, abiecto, catulos ad papillas in ultionem admissorum stuprorum applicari, indignas asserens esse prolem humanam seu caninam lactare, quae humanitatis oblitae, viris militiam agentibus, thoro violato, servis se miscuerant, exterminio et quolibet probro non vitam promeruisse. Et cor retinens

Saxeum

Saxenum et visera gestans ferrea, matronarum dira calamitate et angustia, suo imperio tamen pendentis ad ubera lactantium non movebatur. Calamitosus totus et foedus erat in Polonie Republica vultus, milites qui inter hostium agmina in ipsis diris conflictibus tuti erant, domum reversi variis incommodis uxorum suarum et servorum affecti, ab ipso quoque rege, severitatem, quam in hostibus vitaverant, et in se et in propinquos, et in ipsis coniugibus quas servandas dereliquerant, experirentur. Haec cum per se detestanda essent, omnibus tamen his detestabilius, quod Rex Boleslaus usurpatum in Russia lascivum et brutalem contra naturam usum, auxisse non remisisse videbatur. Sed neque in tanta virorum Ecclesiasticorum et saecularium, quos ambitus Regni Polonie continebat turba, aliquis repertus est, qui Regem et de detestando scelere, et de sua truculentia omnibus saevitiam eius pertimescentibus, ausus esset corripere. Propter quod Rex et in flagitium horrendum, et in qualibet alia, subditorum suorum gravissimam oppressionem et perniciem secum trahentia facinora, nullo monitore castigatus, licentiosius grassabatur. Unus Stanislaus Cracoviensis Episcopus visis et cognitis, plurimum indoluit, et velut indulgentissimus pontifex cura gregis sui cura regis anxie maerebatur.

Sub iisdem temporibus celeberrimus et insignis ordo Cartusiensis coepit, qui teste beato Bernardo, inter omnes Ecclesiasticos ordines et religiones primatum tenuit, non ratione temporis, sed rigorositatis. Unde ipse vocat ipsum Pulcherrimam columnam Ecclesie; verum quia propter nimiam abstinentiam paucis portabilis erat, et in eo diu pauci manserunt, postea ab Ecclesia moderatus fuit.

ratus fuit, nec unquam a sancto proposito recidit singulariter a Spiritu Sancto praeservatus usque in hodiernum. Capit autem primum in Dioecesi Gratianopolitana a Brunone magistro in Theologia natione Coloniensi, et ab aliis sex venerabilibus viris, Et Victor papa tertius vidit per somnium Deum suae dignationi in solitudine Carthusiae habitaculum construentem.

Grandimontensis ordo inchoatur hoc tempore per Sanctum virum Stephanum, nobilem Arvernorum stirpe progenitum.

Livor ingens inter Salomonem Ungariae Regem ab una, et Geyssam atque Vuladislaum Duces Ungariae partibus, primum ex levibus suspicionibus coortus, procedente vero tempore adeo alitus et grassatus, ut signis collatis inter se quater crudelissime decernerent. Et licet in prima pugna Salomon Rex superior fuerit, Geyssa vero Dux pro victo abscessisset, expost tamen Vuladislaus cum Othone Moraviae Duce ferente fratri Geyssae solatium, Salomon Rex victus in bello, in Posonium se recepit, et Geyssa in victoriae signum Ecclesiam Vaciensem Cathedralem, ubi enim pugnatum fuit, ante pugnam votam fundat, et favore Ungarorum in Regem Ungarorum coronatur. Cui etsi Henricus Imperator latinus velut genero auxilium venisset, nulla tamen re memorabili gesta, consiliariis suis a Geyssa pluribusque muneribus corruptis, discessionem persuadentibus, in Alemaniam caepto irrito redijt, quapropter Regni Ungariae ad Geyssam plena administratio plenumque regimen pervenit. Salomon vero tristis gemebundusque suae infelicitatis deplorabat angustias. Pontifices Ungariae quibus dissidium tale molestum visum est, etsi saepe tractassent concordiam, et Geyssam ad cedendum Regni fastigio induxissent, effectus tamen illius, eorum Baronum qui partes Geyssae sequebantur, impedienti studio, nunquam ad liquidum perduci poterat

Livore et maligno acti spiritu Borzyslaus et Oleg alias Alexius Duces Russiae, barbaros Polowczones ut terram Russiae hostiliter ingressi devastent, inducunt, quibus Vszewoloius Dux Czyrnihoviensis vigesima quinta Augusti in loco qui Zerzeze dicitur, occurrens, praelio inito ab illis profligatur et vincitur. In quo conflictu miles insignis

apud Ruthenos Kniazn Vroslawicz, item Lubiecz, item
Polocy adverso pectore concidunt, Triumpho obtento Borys
et Hleb, Polowczorum robore freti etiam castrum Czyrnihow
occuparunt, et plurima et execranda facinora, fundendo sangui
nem innoxium committunt. Vszewoldus itaque cum Vuladi
miro filio suo et clade et sedis sua principalis perditione
angustiati et pressi, ad fratrem suum Zaslaum Ducem Kyoui
ensem divertunt, gemituque et planctu ingenti edito, suasque illi
et gentis suae calamitates et aerumnas exponunt, qui illos
benigne consolans bono animo esse iubet, Ego inquit vobis
in documentum sum, qui omnibus spoliatus et exutus in
terris alienis, stipe et favore Polonorum aliquanto tempore vixi,
quorum suffragio singula ex post recuperavi. Nec verbis so
lum, sed et rebus suis illos confirmans, pollicetur se illis sola
tia contra hostes Borysch et Olech laturum coadunata
Itaque militia vadit Zaslaus Dux Kyouien cum Jaropolko
filio suo, et Vszewoldus Dux Czyrnihouien cum filio suo
Vuladimiro contra Czyrnihow, in quo se Borys et Alexius
Duces receperant. Abnuebat autem Alexius, sed et Borys
Duci persuadebat ne in ultima dimicationis venirent di
scrimen, dicens illi, non pugnemus contra quatuor Duces
patruos et fratres nostros, quoniam fortiores nobis sunt,
sed missis caduceatoribus petamus aequis conditionibus
pacem, Et non acquievit Borys sed in superbiam elatus
respondit, non te aliqua de victoria sollicitudo teneat,
sed tantummodo hilaris et spe plenus belli eventum
praestolare. Et congressu facto interficitur Borys filius
Czeslai, qui pacem abnuebat, et multi hominum ceci
derunt interfecti. Sed et Dux Zaslaus Kyouien dum
iam in praelio confecto inter pedites securus consisteret, ab
uno militum Alexii qui se proprium fingens peditibus in
gesserat, inter scapulas percussus et transfossus occiditur,
Et Alexandro ac exercitu eius fugiente castrum Czyr
nihow Vszewoldus recuperavit, Corpus autem Zaslai
Ducis in Kyouiam delatum est, a filio suo Jaropolko
planctum, in Ecclesia Beatae Mariae sepelitur, Fuit Za
slaus magnus cultor et administrator iustitiae et vir ex

cellentis

excellentis corporis atque staturae, et successit illi frater germanus Wszewoldus in Kyoviensem Principatum, velut natu maior. Filium unum Vladimirum locans in Czyrnyow, alterum Jarosolthum in Thurovia.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEPTVAGESIMVS SEPTIMVS

Gravem et intolerabilem Boleslai Polonorum Regis continue exuberantem saevitiam, et in scelere abominando profundiorem demersionem, Stanislaus Cracoviensis Pontifex ulterius non ferens, dum Metropolitanum Gnesnensem Petrum, cui correctionis et increpationis primarius honos, officium, et meritum debebatur, dissimulantem suam in Regem ad deteriora quaelibet in dies proclivium, agere censuram conspexisset, ad se id officium, suum honorem, et meritum, suam palaestram et palmam, pia credulitate aestimans pertinere, sibique et non alteri favore divino servatum officium et sedes ipsa Cracoviensis negligentia sui immediati praedecessoris Zulae alias Lamperti Archiepiscopali dignitate recenter orbata, per nihil a Metropoli Gnesnensi differret in his praesertim, quae limam correptionis, et horum, quibus universa Respublica atteritur et tabescit, resectionem, desiderant, magno animo, neque sibi consulto conveniens Boleslaum Regem Poloniae, omnibus arbitris exclusis, blandis primo, et pietate paterna, manantibus etiam ultro lacrimis, quas magnitudo compassionis et verba effunderant, interrumpentibus, monet, corripit, et obsecrat, ne dignitatem regalem et genus nobilissimum foeda peccati contra naturam contagione inquinet, ne ut iumentum in suo stercore putrescens, se Deo et hominibus odibilem et invisum faciat, ne gloriam suam et victoriarum variarum ab optimo Deo largitarum titulos ignominia sempiterna sibi et suae domui inurenda prostituat et commutet, sed si permissa voluptate carnali uti libet, cum uxore potius procreandorum filiorum causa illam exerceat, et saevire in militis et feminas canina ferina et beluina truculentia desistat, et si iniquitati detineantur notoria

libera iustitia

libram iustitiae adhibeat, utque primum provideat, ne plus iracundia quam iustitia in eos usus videatur, et subditis in exigendis exactionibus, quae in Polonia Podwoda appellantur, in exigendis stationibus, et imponendis exactionibus et vectigalibus non sit onerosus, cum subditorum clamor, immoderate haec a se exigi vociferantium, usque ad thronum divinum ultionem expetens non dubitetur ascensurus. Facile Deum si quaerent, si ex toto corde ad Deum conversus in corde humiliato et contrito poenitentiam egerit, omnibus suis sordibus et praevaricationibus quantumcumque enormibus ignoscetur. Dum hos monitus Regem Boleslaum caelestis vir Stanislaus Cracoviensis Episcopus vidit velut stipulam contempsisse, Baronibus aliquot assumptis, divinus Regem ut vitam suam corrigeret, et flagitium turpe a se penitus abdicaret, et provincialibus et subditis noxas et gravamina non inferret, admonuit, pietatem divinam scelere suo laesam, et laedendum sordes suas, propter quas quaeque regna perpetuo exterminio agunt supergredientibus, quod non credi solum verbis neque auditu hauriri, sed visu quoque, si quis desideret, posset percipi, ob haec scelus delevisse, nullatenus toleraturam, et tam ipsum quam semen suum exterminaturam, stirpe quoque sua regium decus et gloriam adempturam infallibilibus indiciis. Edicens se insuper velut pontificem et speculatorem verae Dei positum, non quieturum, sed apostolica virga, quorum esset divina propitiatione successor, et censura Ecclesiastica, suas praevaricationes et vitia pro viribus coerciturum. Non movit Boleslaum Poloniae Regem salubris et medicinalis Stanislai Cracoviensis praesulis ex sincerissimoque charitate, et zelo optimo redundanti pectore denuncianti correctio, quinimo in vehementem iram contra beatum virum, periculum sibi et suo semini denuncianter, incapabilem accendit, ut et pontificem sanctum, aula, in qua haec gerebantur, excedentem, probris et contumeliis lacesseret. Tantamque eius in se admissam dementiam et temeritatem minari vultu et sermone ingeminans pro posse ulturum, Baronibus nequicquam Praesulem, ne gravius aliquid in illos Rex consuleret, a regia iniuria defendentibus, et continuis conatibus ad opprimendum virum sanctum recta sibi suadentem animum intenderat.

Alexander Papa secundus cum annis undecim mensibus sex diebus viginti quinque sedisset, Romae moritur. In cuius locum Hildebrandus natione Tuscus, patria Senensis, propter eius laudabilem vitam a Cardinalibus electus successit, Vocatusque est Gregorius septimus. Hunc cum Cencius praefecti filius in natali Domini ad Mariam maiorem cepisset celebrantem, et in turrim retrusisset, Romani rupta turri, eum liberarunt, eademque nocte et Cencium extra urbem eiecerunt. Ordinante deinde Henrico Imperatore quem Gregorius pro investituris Episcoporum excommunicabat, Gibertus Ravennatis Archiepiscopus ab Episcopis Lombardiae in Papam eligitur, et Clemens appellatur, quem Henricus Romam deductum in sede Petri locat, Gregorio cum Cardinalibus capto, et in castro Sancti Angeli recluso. Sed Robertus Guiscardi Romam veniens Henricum Imperatorem secedere cogit, et Gregorium et Cardinales liberat, fautoresque Imperatoris proscribit, aut necat. Et Henricus Imperator a Gregorio deponitur de imperio, et Rodolphus Burgundiae Dux ab Imperij Electoribus Gregorio Papa procurante eligitur. Cui a Papa Gregorio corona missa cum hac inscriptione Petra dedit Petro Petrus Diadema Rodolpho. Hunc Sigefridus Archiepiscopus Maguntinus benedixit Moguntiae in Regem, et facta a Moguntinis seditione contra eos, Rodolphus cum Archiepiscopo nocte aufugit, et in Ratisponam se recepit, a qua iterum ab Henrico Imperatore pulsus est

Sub huius Henrici regimine imperium gravissime scissum est, parteque Principum et procerum illi rebellante tota pene regni latitudo, ferro, flamma, caedibus, et spolijs involuta est. Hunc Gregorius septimus anathemati ferit, qui hanc novitatem amarissime ferens, Episcoporum et Principum ex Italia, Gallia, et Germania, apud Brixinam, quae nunc Brescia Bavariae civitatem conventum congregat, ubi a coetu Clericorum et Episcoporum sibi iampridem infensorum in favorem Imperatoris deponitur, et Guibertus Ravennen. Archiepiscopus eligitur et Clemens vel potius demens appellatur. Imperator deinde copioso milite collecto ad urbem usque progressus Romani populi favore adiutus, Gregorio pulso Guibertum sedi

Romana

Romanae praefuerit, a quo benedictionem imperialem Romae suscepit.

Romanus Russiae Dux conductis in sui solatium Polonicis venit hostiliter contra Vszewoldum Kyoviensem Ducem principatum Kyoviensem occupaturus. Et licet Vszewoldus Kyoviensis Dux occurrisset, illi cum suis copiis circa Perasslaw, communibus tamen Baronibus mediantibus pacificantur. Secunda die Augusti duces, quod Polonici molesti ferentes seditione in castris exorta Romanum interficiunt, quod ipsis inconsultis pacem consummasset.

Gregorius Papa septimus persecutionem Imperatoris Henrici fugiens, in Tusciam venit, et a Matilda comitissa benigne susceptus, sententias maiores contra Imperatorem innovat, et plerosque principes Almaniae in eum concitat. Rodolphum insuper Ducem Suevorum Romanorum Regem designans ipsum regio diademate insignit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS SEPTVAGESIMVS OCTAVVS

Terruerat paulisper Boleslaum Poloniae Regem in Petri militis resuscitatione, a Beato Pontifice Stanislao editum et per Regem visum miraculum, motusque suos pravos et actiones paululum restrinxerat. Posthac etiam maiora sceleribus adiiciens, militibus et subditis plus solito gravem et infestum, viduisque et orphanis caeterisque oppressis magis infestum se gerere coepit, sed quod his omnibus detestabilius obscoeniusque, in caeno foeditatis infamis vitii Sodomitici, non sine plurimorum scandalo et execratione. Rex sceleratissimus salutaria Beati Stanislai contemnens monita volutabatur. Videns itaque Stanislaus Cracoviensis Episcopus Boleslaum Poloniae Regem profunditate scelerum demersum, et contemptum et pertinaciam induisse, nihil de caetero cunctandum aut dissimulandum ratus, communicato virorum spiritualium timoratorum consilio censuram Ecclesiasticam salvare illum cupiens non perire, in ipsum extendit, et cum per se Pontificalibus indutus caeteris omnibus metu tyranni et munere huiusmodi se subtrahentibus monuit et requirit, quatenus vitium foedissimae Sodomiae a se penitus releget et abducat, ab exactione censuum quae Podymne nominantur se contineat. militum bona quae tyrannide illicite occupaverat, reddat, a militibus, civibus, et rusticis stationes non exigat, et in caeteris rebus actionibusque Catholicorum Regum et principum moribus se conformet. Continuit eo Bolislaus Rex, sed in praecipitem iram quasi in quandam rabiem versus, mentitur se Episcopum, et nisi monitis pareret excommunicationis sententiam fulminantem, multis probris et contumelijs aspersit. Nec procul abfuit, ut mitissime replicanti Episcopo et benignitate suavissima eum reprehendenti, manus contineret. Monitionibus salubribus dictis, nihil regijs minis, et per se ipsum auditis, et per necessarios crebrius in sui augmentum ad se perlatis, deterritus, Bolislaum Regem publice in Ecclesia Cracoviensi denunciavit excommunicatum esse, et a fidelium communione et grege praecisum quem in singulis Ecclesijs publice excommunicari, et ab universis statibus hominum suae Dioecesis mandavit arctius evitari. Tum demum Rex Bolislaus non stomachari solum sed fremere contra virum Dei Stanislaum coepit, iuramento se obstringens, quamprimum illum si ubilibet compertum occisurum, milites insuper sicarios et largitionibus et promissis oneratos in eius perlicit et subornat necem. Vir autem Dei Stanislaus non ut imminens mortis declinaret discrimen, tali enim se munere beandum dignificandumque lachrymosis suspirijs et supplicibus obsecrationibus continue precabatur, sed ne sponsam suam venerandam Cracoviensem Ecclesiam tyrannidi Regis et morsibus exponeret, luporum, quantum sciret et posset a Regio contubernio et communione subtrahens, et in secretis abditisque locis se recondens, in quibus fletibus innumeris, et Missarum sacrificijs assiduus pro Regis conversione, et eius tyrannidis mitigatione, vacans, Regis et eorum qui Regio hortamine in eius se necem devoverant, anno plusquam integro sollicitos conatus, dextra Dei protectus, elusit.

Septimo Calend. Maij Geyssa Ungariae Rex moritur, et sepelitur in Ecclesia Vaciensi, quam ipse fundavit. In eius locum Vladislaus germanus suus substitutus est, et in Regem Ungariae coronatus, licet Geyssa esset liberis, et Salomon Rex nondum e vita excessisset. Virtuti tamen mira excellentia in Duce Valadislao iam tunc radians, omnium Ungarorum mentes adeo in se converterat, ut omnes illum venientem Regem suscipere, Diadema caeteris omnibus neglectis, certatim imprecarentur. Unctione et coronatione apud Albam suscepta, modestissime se erga fratrem patruelem Salomonem Regem gessit, idque sibi primum curae fuit, ut Salomoni ipsi nihil praeter appellationem regiam deesset

Praelium atrox inter Henricum Romanorum Regem et Rudolphum Ducem Saxoniae qui regnum invaserat, fuit, in quo praefatus Rudolphus succumbens, et plures de suis amisit, incolumis tamen evadens ad instaurandum novum exercitum animum intendit

Jaropolkus dux filius Zaslai olim Kiouiensis Ducis, ad suam gravem iniuriam referens, Vsewolodum Ducem patruum suum, in Kiouiensi principatu patre suo Zaslao obeunte successisse, comparat exercitum, per quem Vsewolodum bello impetat, et de sede Kiouiensi depellat, Quod dum Vsewolodus praesensisset, frequenti consilio advocato, quid facto opus sit consultat. Consulit autem illi unus e numero Consiliariorum differens in hunc modum, Comparato exercitu mitte filium tuum Valadimirum contra Jaropolkum, et me ante illum praemitte, ego enim fallam Jaropolcum, et sine armis debellabo illum, Quo consilium huiusmodi probante, venit fallax consultor ad Jaropolcum, et dixit ei Non confidas de Consiliariis et militibus tuis, omnes enim cum hoste tuo Vsewolodo sentiunt, et spoponderunt te illi prodituros. Ausculta itaque fideli consilio meo et fuge ad Boleslaum Polonorum Regem qui quondam patrem tuum Zaslaum pulsum restituit, solatia illius postulaturus, Credidit Jaropolcus sermoni doloso et fallaci, et deserta Russia fugit in Poloniam, habens omnes Consiliarios suos et milites suspectos, Locat autem matrem, uxorem, filios, et familias, in castro Luczko praecipiens eis, ut quam fortissime possent, quousque cum Polonorum exercitu rediret, hostibus resisterent, Quo in Polonis desidente venit Vladimirus filius Vsewolodi cum exercitu ad Luczko, cui protinus nulla facta resistentia castrum traditum est, in quo matrem, uxorem, filios, et familias Jaropolci repertos, in Kyouiam captos pertrahit, et familias venundat. Boleslaus autem Polonorum Rex non valens Jaropolco personale ferre solatium, propter scisma inter illum et militares exortum, copias tamen de gentibus suis Polonis mittet, cum illo, quorum robore stipatus primum Luczko assiliat. Et Valadimirus filius Vszewoldi non audens illi et suae potentiae resistere, missis nuntijs pacificat illi, et non solum Luczko, et alia castra Jaropolkonis quae receperat, sed et omnia quae pertinebant ad Jaropolcum, aut tunc restituit, aut se restituturum spopondit. Pace autem confecta Valadimirus sedem suam Czyrnieiow repetijt. Jaropolk vero exercitu Polonorum remunerato in Poloniam remisso, dum ex Valadimiria in Szwinigrod vehiculo veheretur, a familiari suo Neradzecz vicesima secunda die Novembris quiescens obtruncatur, et fugit Neradzecz ad Ducem Rurik, corpus vero Jaropolci in Kyouiam deductum est, cui obviam a Vszewoldo et duobus filijs suis Valadimiro et Rosczislao, item Joanne Metropolita et Boiarijs Kyouiensibus, universisque ordinibus itum est, planctu autem magno super necem sua edito, in Ecclesia Sancti Demetrij sepelitur, qui vivens crebrius gerebat in votis, ut pari morte, quemadmodum protavi sui Borys et Hleb quos Ruthenorum Ecclesia Sanctos colit, excedere illi e vita contingeret, vir mansuetus, et fratrum amator, solvens decimas de omnibus frumentis, pecoribus, armentis et de omni substantia sua omnibus annis vitae suae

ANNUS DOMINI MILLESIMꝰ SEPTUAGESIMꝰ NONUS

Grassanti Boleslao Polonorum Regi in omne scelus, nephasque et ad quaelibet deteriora prolabenti, dum censuras, quibus a Beato Viro Stanislao Cracoviensi Episcopo, feriebatur, rigorem irridens, divina, suo in Ecclesiam ingressu, prophanaret mysteria, et sanctionem authoritatemque Ecclesiae irrisioni et contemptui deputaret, Vir Dei Stanislaus zelo coelesti et alter Phinees incensus, pro lege Dei sui et pro grege sibi commisso animam positurus, regem ipsum anathematizat, et Ecclesiam suam Cracoviensem ingressuro occurrit curret, prohibens authoritate omnipotentis Dei et sua, ne Ecclesiam anatematizatus introeat, aliâs cum sua factioni ipso nomine denunciat se a divinis cessaturum. Quam contra prohibitionem viri Dei, Rege cum militibus suam temeritatem mulcentibus irrumpente, illico Episcopo Stanislao mandante, clerus venturissimus, coeptum officium intermisit. Cum vero Pontifex sanctissimus Stanislaus ad Regem accedens, his eum verbis convenit. Qua ingenti fronte, qua audacia, in altissimi conspectum, et intra templum, spurcissimo facinore Sodomittico inquinatus, et a me anathematizatus, manus habens sanguine innocentum pollutas, ingredi non exhorruisti, faciunt te forsitan Dei et meae humilitatis respectus, te ad maiorem pertinaciam inducunt, sed crede mihi lentum hunc ultionis in te progressum, poenae inferendae gravitate divinitatem compensaturam. Proinde si sapis, si nondum omnem a te rationis sensum abiecisti, antequam suspensa in te vindictae tendatur arcus, acquiesce paternis consilijs et monitis meis, et sceleribus tuis depravatisque actionibus renuncians, te altissimo, a quo et potestatem eminentiamque regalem, sed et amplissima in pluribus nationibus trophaea, multaque alia gratuita dona accepisti reconcilia, facile omnium praevaricationum tuarum in Deum et Ecclesiam si tantummodo quaesieris et poenitentiam egeris relaxationem percepturus. Tam paternae et misericordi Boleslaus Rex nequicquam respondens admonitioni, de Ecclesia, verba sapienter increpantes non sustinens, ore et manu viro Dei minitans, et totus furore et indignatione fremens se eiicit et in castrum regium templo vicinum se recipiens, ad necem viro Dei inferendam, animum et singulos conatus intendit et dissuadentibus plurimis Ecclesiasticis et saecularibus proceribus, malo animo fixam sententiam exequi ire peregit. Cumque etsi nota foret tyrannides, nemo tamen credere poterat quod usque ad parricidium prolaberetur, eo audaciae et temeritatis praesumptione progressus et impulsus, ut vertice desperationis absorpto, animi sui plusquam barbari et feralem motum sequeretur.

Tertio Idus Maij in quintam tunc cadens feriam, illuxerat dies, cum debitum et solebat Stanislaus Episcopus Cracoviensis, satagens exhibere Christo sacrificium, ad Ecclesiam de rupella Sancti Michaelis et omnium Angelorum nomini dicatam, missarum solennia celebraturus, et pro regis et populi peccatis intercessurus, veritus ea per ingressum Regis Boleslai ipsius in maiori Ecclesia interdicti impediri, comitantibus eum clericis, descendit. Ea tunc in campestribus et pratorum planicie; in editiore tamen rupe et in coronae modum, sicut et in praesentiarum cernimus, communita, patentem habens a singulis partibus prospectum, facile Beatum virum Stanislaum ad eam progressum, Regi Boleslao per crebros nuntios ubinam locorum Stanislaus Episcopus esset explorante, et tyrannidem suam eo die in ipso explere cupienti, prodidit. Correpto raptim gladio, militibus quoque frequentiori agmine quam solitus erat, se sequi iussis, illuc ire obtruncaturus virum Dei pergit, Nondum pontifex Stanislaus Rege locum contingente, missarum solennia expleverat, quae res Regem Boleslaum continuit, ne praeceps Ecclesiam irrumperet, dum tamen omnis illa mora molesta et prolixa nimis videretur, mittit milites qui Episcopum Stanislaum etiam sacrificantem interimant. Affuit illico virtus divina quae quantum esset caelestis sua potentia terrena superior, monstravit, Carnifices siquidem virum Beatum praecepto Regis necaturi in Ecclesiam ingressi, dum strictis mucronibus virum Dei nituntur contingere, concidunt retrorsum in terram, et statuarum more ex Ecclesia evoluti, a Boleslao Rege, quod vacui redissent, castigati, resumpto ferro facinus etiam resumpturi Ecclesiam reintrant, manus sacrilegas pontifici mollientes iniicere. Sed ut prius caelo verberati in terram resupini ruunt, quos ab Ecclesia casso irrito reversos Rex Boleslaus velut meticulosos corripit, imperatque atroci verborum virtute duplici ingressu neglectam necem maturare. Mirum in modum imperata Regis implentur, Ecclesia repetita, vehementiori casu quam ante prosternuntur, nec virum beatum contingentes pavore nimio correpti, de Ecclesia victum prodeunt, et imbelles dexteras suas ad irrogandum necem beato Episcopo, seque divina virtute tertio prostratos et repulsos, tyranno demonstrarent. Indignum, ut arbitror, Dei providentia iudicante, ut Christus Domini, futuro dignificandus martyrio, a quoquam priusquam a Rege qui et ipse Christus Domini erat, deberet contingi. Nihil secus quam a militibus referebantur Boleslaus Rex deterritus, et putans vos ea quae de casibus suis tertio retulerant, pavore consternatos confinxisse, vehementius illis iratus, obiurgat eos dicens, O degeneres et ignavi, non milites, foeminae non viri, territa pusillanimitate et pavore vos perculsos intueor, ut unum presbyterum de Ecclesia trahere et meas graves in eo iniurias ulcisci non audeatis. Armat itaque exerto, sibi et cuilibet alteri Regi et praecellenti, non ad irrogandas sed ad propulsandas iniurias et neces innoxias a superna potestate attributo, furibundus et aestum ultionis in virum Dei spumans ~~et~~ fremens et evomens in Ecclesiam quam ab aliis in coronationi suae tutandam iureiurando se astrinxerat, insilit, et non loco non tempore non pontificali ordini deterritus, non divinam, non sanctorum potestatem veritus, maiestatem, Pontifici Sancto missarum solennia consummanti ense vibrato sanctum verticem disrupit, et pontificalem cruorem recentibus sacrificiis permiscens, Sanctum Dei Stanislaum Episcopum rex impius et scelestus, veniam sibi et suis caeteris persecutoribus et satellitibus deprecantem, prosternit et interimit, sponsum in gremio sponsae, pastorem in suo ovili, patrem in filiae amplexibus et filium in matris penes uberibus perimens, et obtruncans, et omnes laudes suas transactas ex virtute Heroica comparatas, in opprobrium, gloriam in ignominiam, et famam in infamiam, uno illo parricidii facinore commutans, et non tam sibi quam stirpi suae et regno notam perpetui dedecoris inurens.

Sed neque milites de tribus domibus et familiis, videlicet Babatum cum cruce, Item Strepe, Item flumen Srzeniawa cum cruce, et qua ipsi scissi sunt, simplicem flumen sine cruce qui se Druszina appellant pro insigni deferentes, quorum proge-

nies

genus et successio in hanc diem in Polonia perdurat, qui ad peragendum scelus cum Rege advenerant, quamvis divinam virtutem vice triplici ex parte abstinendum sibi a contagium patrati iam a rege parricidij censuerunt, quin imo quasi propriam pusillanimitatem a Rege eis exprobratam detersuri, corpus viri Sancti in terram a regiis ictibus crebro cruore diffluens, certatim mucronibus et pugionibus invadunt, et qui ei vivum potentia superna prohibiti non poterant, in corpus exanime unus alterum praeveniendo et impediendo creberrimos edunt ictus, ut Regi scelus tantum inspectanti is in suo favore haberetur potior, qui crudelius in Sanctum impegisset, unde factum est ut cadaver Sanctum minutatim in mille petias concideretur, ut a membro quolibet singularem se exigere poenam voluisse decerneret, et tot mortibus quot concisionibus virum Dei plectendum censuisset. Hac Boleslaus Rex rabie solita deserviens, neque crudeli nece, neque crudeliori carnificio se satiatum declarans, in varia etiam remotiora porrecta loca spargi, et ut a bestiis, feris, canibus, vulturibus, corvis et caeteris alitibus sanguinipetibus devorarentur, memoriam nominis eius deleturus de terra, qui eius vitam deleverat, iubet exponi, moxque milites rege spectatore iussa perficiunt, et corporis Sancti partes per circuitum dispergunt, et velut quoddam Heroicum decus peregissent, sanguine Martyris aspersi in Regiam cum Boleslao Rege revertuntur. Anima vero Sanctissima Stanislai Cracoviensis Episcopi, tot ictibus et tormentis carnificum a carne exclusa, benedictae trinitatis speculum pro sui martyrij singulari merito profundissima acie visura, et inter primos Martyrum ordines locum perceptura, ministerio Angelico adventum eius Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, virginibus et universis animabus, quae eam sempiterno aevo fruuntur, sive occursu honorantibus, sub Gregorio Papa septimo invecta est in aethereas et sempiternas mansiones. Ad obitum autem viri Beatissimi Stanislai ferro impij Regis consummatum Martyrium, ingentibus et manifestis prodigijs Sanctum

Dei illustrantibus, probantibusque, extunc coepit vulgari, et clarescere; nulla arte ad ingenio oblitterandum

Cum altera post occisionem viri Beati Stanislai illuxisset dies, Boleslaus Polonorum Rex suique milites et in scelere in Pontificem Sanctum patrato consortes, caeterique qui eorum assentabantur furori, corpus beatum et a se concisum, et dispersum, credidissent a feris alitibus, et bestijs consumptum et devoratum, e quatuor mundi partibus quatuor variae coloris, rarae magnitudinis, visae sunt advolasse aquilae, quae passionis et artuum dispersionis beati, circumgirando sublimius et singulari curiositate loca vultures corvos caeterasque bestias et alites a venatu corporis sacri abigebant. Visa insuper a quibusdam viris timoratis et devotis nocte occisionem martyris insequente, mira rutilantia caelestis radij in universas corporis sacri partes descendisse, et fulgorem suum usque in diei subsequentis diluculum continuasse, totque in singulis locis superna fulserunt lampades, quot sacri corporis dispersae sunt partes. Evidenti signo demonstrante altissimo tot militem suum Stanislaum coronasse aureolis, quot illum mortibus tyranni truculentia quantum in se fuerat, destinasset. Biduo itaque haec prodigia non rumore solum sed publica assertione vulgata, ac in admirationem et religionem versa, nonnullis devotis patribus Ecclesiae Cracoviensis praelatis et Canonicis iniverunt curam, dederuntque ausum, ut partes sacri corporis colligerent, et honesta manderent sepultura. Nihil itaque deterriti atrocitate Regis, quem noverant Pontificis Sancti Stanislai corpori de sepultura non cavisse, et ne seminari posset per artuum dissectionem providisse, ad loca passionis accedentes, partes corporis varijs locis dispersas, et usque in eorum adventum ab aquilis scrupulose custoditas accurati recolligunt, et diligenti providentia membra laniata, et in rosae liliorumque morem candentia et rubentia, apto et congruenti ordine pereas iungentes, ei, a quo excisa credebatur pectus, corpus lacerum componunt, stupendum dictu sed superno artifici et suorum athletarum

remuneratore.

remuneratori sacellum, vix dum ab artuum compositione cessaverant, subito corpus sacrum caelesti medicamine in singulis partibus solidissime sine omni cicatricis nota reintegratum conspexerunt. Cuius rei tam benigno spectaculo exhilarati, minus cunctanter corpus sacrum ad Ecclesiam Sancti Michaelis de Rupella, in qua Sanctus martirium pertulerat, veriti ne in cathedralem urbis Cracoviensis Ecclesiam Regis Boleslai edictum illum vetaret inferri, cum debito honore et summa omni qua decuit officio adesse meruerat alacritate, deferunt, et ante fores Ecclesiae in propatulo et sub divo ne ex Ecclesia, Regis nondum quietatae tyrannide, illum mandaret eici, in tumba aromatibus referta recondunt, et quam reintegrationem in Sancto corpore oculis perspexerant, reversi cunctis stupentibus enarrant.

Varios Sanctos variis legimus a prospera divinitate miraculis et virtutibus pro suis actionibus et meritis fuisse illustratos. Huius autem viri Sanctissimi Stanislai Cracoviensis Episcopi et in vita et in morte sanctitas, et meritum, tot prodigiis et miraculis declarata et illustrata est, ut fidem humanam credulitatem excedant. Quis enim non miratur virum beatum Petrum militem post triennalis cineres suscitasse, et Boleslai Regis milites ad mactandum virum Sanctum ter destinatos, ter retrorsum abeuntes corruisse, cum et Lazarus a Christo domino resuscitatus tantummodo quatriduanus servatur fuisse et Judas Scarioth cum Judaeis dominum nostrum Jesum Christum captivaturus semel tantummodo retrorsum caderet ceciderit? Quis insuper non stupeat Martyris Sancti Stanislai corpus scissum in milenas partes non aquilarum sed angelorum ministerio a qualibet ferarum contactu nocte et interdiu custoditas, supernis luminaribus irradiatas ~~fuisse~~ fulsisse, et sanctum corpus tam numerosis concisionibus distractum perfectam reintegrationem etiam sine nota cicatricum resumpsisse? Quapropter pia credulitate observari convenit quod martyr Sanctissimus Stanislaus in omni vita sua vir vitae Angelicae extitit, et tam mente quam corpore integram virginitatem gerens, virgo usque ad consumationem martirii permanens, et pro Deo et Ecclesia et populi immunitate

cathry

ceteris Episcopis provinciae Poloniae dissimulantibus omni-
um aliorum vicem et negligentiam suppleturus, in aciem
discriminosam se ex adverso ponens, et usque ad mortem
pro veritate et iustitia agonizans, tam sublimibus ab omni-
potente Deo meruit mirificari prodigijs, unde non modo certo
universa Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa
in ipsius amplissimam decantet laudem, veri solis radius,
medicus caelestis, invictorum martyres autor est et testis,
in splendore corporis castitatem signans, quod integrum red-
didit animum designans

Trabea autem carnis tam inclito martyrio peracto athle-
ta Dei invictissimus Stanislaus solutus, et angelicis manibus
usque ad thronum altissimi perductus, poterat unigenitum
filium Dei, supernorum civium spectanti et admiranti
agmine de rebus a se in mundo gestis disserendo, sic
verbis convenisse: Vides inquit qualia patiuntur, o verbum Dei,
reprehensores criminum nefandorum. Cum enim Boleslaus
Poloniae Rex increpationem meam non ferens, Petri mili-
tis ab inferis post triennium revocationem, et casu trino suo-
rum militum in occursu suo ipso venientium, tua insuper
maiestatis praesentia nequaquam deterritus, non loco,
non tempori, non ordini, non dignitati suae, et meae deferens,
sed ausu sacrilego me ad aram pro sua et populi ignorantia
immolantem, dextris suorum militum tua virtute prostra-
tis corripiens, sanguinem meum tuis sacrificijs miscuit,
et caput meum truculenter amputans, corpus etiam in
septuaginta duo frusta a feris devorandum dispersit.

Accepit autem Regis aeterni cui militaverat tale respon-
sum, Vidi certamen, vidi agonem tuum, nec spectator so-
lum aderam, sed adiutor, et quoniam pro meo nomine et
veritate non exhorruisti praelium, victorem et martyrem
gloriosum universo orbi, Poloniis vero protomartyrem
et patronum magnificum te decerno, Corpus tuum no-
vis radijs et luminaribus caelestibus illustratum, absque
cicatricum nota reintegro, Angelorum illi deputo custo-
diam, geminata laureola te adorno, virginis corporis
referentem ex hoste triumphum

Tam lugubri et crudeli in Sanctum Dei per Boleslaũ Poloniae Regem deprompta occisione, ad notitiam summi Pontificis Gregorij septimi varijs literis perlata, summus ipse Pontifex Gregorius, et universorum suorum tunc Cardinalium coetus in flebilem lamentationem versus, et qua rigiditate Boleslai Regis et militum Poloniae tam insolens patricidium plectendum esset, matura deliberatione tempus terens, tandem Petro Gnesnensi Archiepiscopo et omnibus Poloniae Ecclesiae Episcopis per specialia scripta dedit in mandatis, quatenus in patrati per Regem Boleslaũ et suos militis facinoris, execrationem et poenam, generale interdictum in universa Gnesnensi provincia observarent. Regem insuper Boleslaum, et Poloniae Regnum omni honore dignitate et excellentia regali privavit, et omnes principes, Barones, Vasallos, et subditos ab eius ditione absolvens, obedientiam et subiectionem solitam sibi exhiberi vetuit, Filijs insuper et nepotibus eorum militum qui Boleslao Regi auxiliũ, consiliũ, et assensum, in facinus peractum, praestiterant, ascendendi ad qualibet Ecclesiastica officia, beneficia, dignitates, et honores usq in quartam generationem interdixit et beneficijs privavit habitis et habendis. Inhibens eidem Gnesnensi Archiepiscopo et suis Episcopis ne aliquem cuiuscunq gradus praeminentiae aut status in Poloniae Regem coronare et inungere auderent, Sede Apostolica inconsulta. Archiepiscopus autem Gnesnensis Petrus, et omnes Poloniae Ecclesiae Episcopi, mandatis Apostolicis exceptis, etsi grandia et ardua videbantur, praevaricari tamen summi Pontificis mandatũ non ausi, interdictum Apostolicum publicant, et Ecclesijs singulis obseratis, laudum divinarum organa, non sine luctu et gravi populi eiulatu suspendunt

Revelatum praeterea fuit nonnullis devotis et religiosis viris divino oraculo pro patrato in virum Dei Stanislaum per Boleslaum Regem et suos milites scelere, Poloniae regnum et provincias ei subiectas in tot divisionũ membra scindendum fore, quod Boleslaus Rex per se et milites corpus sacrum Pontificis dismembrasset, et post aliquot saecula per Polonorũ humiliationem et contritionem, placato et propitiato Deo, in morem corporis Praesulis Sancti, omni cuiuslibet cicatricis notamine vacui redintegrandum. Cuius qui dem oraculi denunciationem, tunc notitiae humanae praestitam, et verificatam, succedens aetas vidit, nostraque nunc vidit, et futura praestante Christo Domino est visura.

Novo et diro certamine Henricus et Rodolphus pro Romanorum regno in loco qui dicitur Sfladeheim confligunt, et multis hinc inde caesis victoria Henrico cessit, Rodolpho cadente; qui nihil secunda clade perterritus, arma rursus in tertiam expediebat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS OCTVAGESIMVS

Licet autem Boleslaus Polonorum Rex Summi Pontificis Gregorij septimi authoritate et decreto, omni dignitate et honore Regio Poloniae pro scelere in Sanctum commisso, fuisset privatus, et subiectio obedientiaque subditorum eodem Apostolico decreto fuisset illi adempta, regem tamen se gessit, et singulos suis imperijs parere coegit, querens se et regnum suum iniusto decreto proculcatum, neque pro excessu unius Episcopi dementis et temerarij culpa sua vacati, tot poenis mulctandum. Aspergebat quoque is una cum militibus sceleris sui consortibus, et proposito suo faventibus, in Sanctum Dei convicia, frequentique usurpatione sermonum crimen commissum apud idiotas et simplices extenuaturus, praesulis sancti famam lacerare non puduit, pontificem illum aiens fuisse non pontificem, pistorem non pastorem, oppressorem non praesulem, opiscopum et opibus deditum et non Episcopum, speculatorem non speculatorem, non videntem, sed quod dictu quoque impium est, rerum scrutatorem, et pro sua tegenda nequitia aliorum libidinibus frena laxavisse. His et alijs criminationibus licet Sanctum Dei Rex insectatus fuisset, nullam tamen sanctitati sui obducere poterat, eorum praesertim pectoribus, qui vitam et conversationem Sancti noverant, caliginem, cum et luminaria superna ad sepulchrum viri saepissime a fidelibus deprehendere visa, variaque aegritudines et morbi ad sui nominis invocationem delapsi, ab huiusmodi probris et contumelijs Sanctum Dei efficacissime vindicabant. Sed et ipse Boleslaus crebro rumore de luminaribus supernis ad tumbam viri descendentibus ad se delato perterritus, et an verus confutatusque esset experturus, in specula turris Cracoviensis conscendens, luminaria superne descendere, et corpori sancto venerationem impendere claro visu dispiciendo, et sanctum probris lacessere destitit, et sibi vehementer pro admisso in eum parricidio, molem sui facinoris tum primum recognoscens, timere coepit, praesertim cum et contemptus indies glisceret suorum, cum affligeret militum, et execratio non ignota exterorum. Qui etsi in primordiis regiminis sui solidi et stabilis visus sit, in defendenda propagandaque patria, in liberalitate exercenda, qua sola tantum valuit, ut solus inter Poloniae Reges largus anthonomasice nuncuparetur, virtutis iecisse fundamentum, vitiorum tamen mole singula sua opera confundens, quod strenuitatis in illo fuit, profunditate flagitii spurcissimi extinxit, quod liberalitatis, alterius parricidii facinore delevit, et quaerens maiorum suorum aequare vel transgredi gloriam, adeptus est turpem sibi et posteritati suae ignominiam. Et satagens regni sui propagare terminos, iusto Dei permittente iudicio perdidit propagatos, et crasso tenebrarum fuscatus atramento, gloriam domus suae amisit, diruitque, et nomen regni evacuavit

Tertiam pugnam Rodolphus cum Henrico Romanorum Rege iuxta fluvium Elistram conserens, usque ad internecionem multis Saxoniae principibus et militibus interfectis, confligitur et manus illi amputatur, in Merzburgk delatus moritur, ex vulneribus, non tamen res imperii pacificantur, eo absumpto. Hermannus enim Lotharingiae Dux sibi suffectus, decernere et ipse nova militia parabat, sed a nonnullis Henrici fautoribus occiso finem guerrae fecit. Rodolphi sepulchrum cum aliquando Henricus Imperator adiisset, et dicente sibi quodam milite: cur eum qui Rex non fuerat tam decoro sepulchro fungi permitteret, utinam inquit omnes hostes mei tam honorifice conderentur Mausolo

ANNUS DOMINI MILLESIMUS OCTUAGESIMUS PRIMUS

Filiorum

Fidorum et virorum suum et Regni Poloniae statum Boleslaus Poloniae Rex ad magni opprobrij et imperij discrimen videns propter Sancti Stanislai necem venisse, cum et pleraeque provinciae, Ruthenicales praesertim ab eo subiugatae, iugo subiectionis abiecto, tributa illi et vectigalia consueta negarent, a proprijs Baronibus dietim sibi crescere odium et contemptus, ad eam insuper pannositatem et egestatem magnitudo quondam excellentiae suae defluxerat, tamen miserabilisque, sorte divinitatis illum prodimentis suis ferente; pessundatus erat, ut primores Regni in suam et eorum qui criminis in Sanctum Dei commissi participes extiterant, necem aut captivitatem coniurarent; non aliter sibi regij Diadematis decus et divinorum relaxationem, praeterquam eo necato aut capto habituros. Verum dum quod proposuerant, pigre et cunctanter agunt, coniuratione detecta Boleslaus Rex cum militibus sui sceleris participibus, quorum mors iuxta ac Regis quaerebatur, in Vngariam divertens secum unicū filium Mieslaum, iam annum duodecimum ingressum, veritus ne se absente indignata Baronum querimonia in illum gravius consuleret, celerrimo cursu comprehendi a coniuratis metuens effugit, et ad Vladislaum affinem et alumnū suum iam in Vngaria regnantem, plerisque Poloniae militibus illum comitantibus, et his praesertim qui necis in Sanctum Dei commissi conscij fuerant, divertit, a quo condigno honore exceptus est, et aliquanto tempore et sanguinis et hospitij praestitit, et praestandi et necessitudinis, Boleslaum omni potentijs et impensis si in paternam haereditatem profitebatur restituturum, iure iusto favore tractatus fuisset, multa et varia Sancto Dei Stanislao impingens facinora, et necem illi a se iussam allegans, in Regis Vngariae et suorum audientia extenuando magnitudinem sceleris deducebat. Tandem suam excellentiam regiam in Regis Vladislai et Vngarorum aestimatione, plerisque quod exul et parricida, clandestina submurmuratione in suas interdum aures penetranti; non ferens diminutam, filio Mieslao et militibus qui secum transmigraverant apud Regem Vladislaum Vngariae relictis, in Carinthiam vno tantummodo servo comitatus, et clamide abiecta ne prodi posset, discessit, et in quibusdam Monasterijs a suis proavis fabricatis et fundatis et singulariter in Monasterio

Vailtsma

Vaultsnia prope Iszbruk in provincia seu regione Athesi latente in arcta poenitentia coquinae squaloribus se mancipando omnibus suam conditionem et stirpem ignorantibus delituit, et scelus quod in Sanctum Dei Stanislaum admiserat, sacco poenitentiae expiavit. A nonnullis vero asseritur dum in Ungaria apud Beatum Regem Vladislaum consisteret, in amentiam versus, tandem cruciatus et molestias dementiae, dominicam duodecimo Calendas Aprilis ex Salarii, per bulisse, a canibusque propriis in sylvis Pannonicis devoratum esse, et provocatam peccatis poenam tam miserabilem a superno ultore inflictam pependisse. Exulatione autem sua et tandem morte sequuta, fulgor et decor regni Poloniae sensim pessumdari et extingui coepit, culmine quoque regio, qui in quatuor tantummodo duravit regibus abrogato, Polonia a iure regni, quod illi virtus et probitas Boleslai Chabri primi Polonorum Regis quaesiverat, scelere tetro in praesulem Dei Stanislaum admisso, quod patrator eius Boleslaus defendere et extenuare maluit, quam expiare in curia Ducum detrusa est multo disparem sortem sub Ducibus quam sub regibus habitura.

Non immerito autem Boleslaus Poloniae Rex in suis actionibus et successibus a se diversus, admirationem quandam mihi percellit, ut in ea parte qua iure laudatur neminem post protavum suum Boleslaum primum Polonorum Regem aequalem habeat, in ea vero qua reprehendi meretur, nemo facilius, nemo scelestius inter Poloniae Reges Deum lacessisse, et Rempublicam pessundasse convincitur. Dum enim Russiam, Ungariamque trophaeis suis implet, dum fines patriae propagat, dum in omnes liberalitatem depromit, Boleslaum Chabri exprimit, dum vero in abominandum Sodomiticum lapsus tyrannidem in feminas et in milites agit, dum reprehendi atque corrigi dedignatur, in Sanctum Dei saevit, eoque truculentius scelus defendere pergit, alterum se Popielum Polonis ostendit, et quicquid per transactos Reges et principes nobilitatis et decoris Poloniae quaesitum fuerat confundit.

Salomon Ungariae Rex pristinam Regni potestatem et gloriam recuperaturus, in necem Vladislai Regis Ungariae moliri coepit, quo deprehenso, in carcerem in Vysschograd coniectus, et exinde pietate Vladislai Regis Ungariae solutus, ad Cunos tunc Ungaris infestos confugit. Praeerat tunc Cunis Kustek Dux, hunc sibi ferre suffragium Salomon perlexit, pactus et suam filiam ducturum, et Transilvanensem regionem iuris sui effecturum. His promissionibus barbarus incensus, Ungariam invadit, sed a Wladislao Rege Ungariae certamine inito, amissis plerisque, ad extremum et Salomon Rex et Dux Cunorum Kustek fugatus subinde est. Quo malo perculsus in Bulgaros concessit, ubi dum cum suis qui eum sequebantur rapto indies vivens provincialibus molestus esset, a Bulgaris et Graecis pene omnibus suis trucidatis fugatus est. In qua angustiate positus dum in quandam sylvam fugiens venisset, comitibus se operiri in loco iussis, in interiora abiens de caetero nusquam comparuit, sed residuum omne tempus vitae in peregrinatione et vita religiosa deduxit. Ad Polam deinde Istriae civitatem in littore maris Adriatici sitam, in habitu peregrino delatus, illic mortuus requiescit. Nullum ipse Salomon sed nec frater suus David haeredem femoris sui relinquit, iusto Deo Andreae Ungarorum Regi, qui pro consequendo Regno, et ritus gentiles et profanos innovari, et sacerdotes ministrosque Dei trucidari, Hungaris petentibus consenserat, Sanc ~~orbi~~ orbitatem iusto iudicio suo semini inferente.

Wasilko Roscislawowicz Russiae Dux pro comperto habens Boleslaum Polonorum Regem ex Polonia profugisse, et Regnum Poloniae magna vacatione pessundatum esse, inducit in animum ad vastandum illud, et conductis mercenariis militibus tam ex Polowczys quam ex alijs nationibus Regnum Poloniae ingressus, torrenter et festine vastat illud, et aliquibus munitionibus conquisitis, et exustis, cum praeda et spolijs Russiam reversus est.

Annus hic apud Polonos et Ungaros insignis duorum regum videlicet Boleslai et Salomonis fuga, fervoreque Solis ingenti, quo multae silvae incensae et plura loca paludinosa a caumate caelesti siccata arsere.

Andreas Crussuicensis Episcopus annis quinque et viginti Crusuicensi Ecclesia administrata, senio grandaevus confectus moritur, et corpori praedecessoris sui Venantij additus, in Ecclesia Parochiali in Parhanie sepelitur. Cui Baptista primus natione Romanus per Gregorium Papam Septimum

electus

electione Capitularium Vuladyslaviensium, et suffragio Vuladysla. Hermani Poloniae Regis Ducis et Monarchae Zferens surrogatur

Explicit liber tertius

Incipit liber quartus

Liber Quartus incipit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS OCTVAGESIMVS SECVNDVS.

Reflexuro mihi ad perscribendas Respublicas a Regibus in Duces, stylum tardum, suapte fatiscit et plus solito hebetius fieri incipit ingenium, molestia singulari deturbatum. Ab eo siquidem tempore, quo viri Beati Stanislai Cracoviensis Episcopi occisio per Boleslaum Poloniae Regem et suos milites patrata obvenerat, et honor regius Poloniae detractus est, et ipsa in plures Principatus multiplicata Ducum successione divisa, et corporis robusti et vniti idemptitatem amisit, et in conditionem depressam transijt et servilem. Boleslao etenim Polonorum Regi sive metu sive patrata in virum Dei necis conscientia agitato, in Vngariam recedenti, Praelatis et Baronibus ad formandum novum Reipublicae statum conversis, Wladislaus ex filijs Casimiri Regis residuus, et Boleslai Regis germanus cognomento Hermannus, consensione omnium concordi in Boleslai locum suffectus est. Qui etsi inprimis vt Rex habitus et cultus sit, titulum tamen sibi et decus Regium, sive quod maiorum more coronatus et vnctus non erat, pontificibus regiam illi benedictionem conferre, ne Apostolicum praevaricarentur mandatum detrectantibus, sive quod fratrem suum Boleslaum Regem aliquando sperabat rediturum, vsurpare ipse sibi, licet ab vniversis regio compellaretur et intitularetur nomine indignum duxit, Se tamen non Ducem tantummodo Poloniae, sed Regni Poloniae haeredem titulavit, tanquam fasces Regiae et decus Regium domini non provinciae tributa fuissent. Principatum autem Regni Poloniae vniversorum approbatione sortitus cum esset, vir spectatae devotionis et religionis, primum id agendum curat, vt interdictum Ecclesiasticum ob necem Beati pontificis Stanislai positum a Regno Poloniae et a Cracoviensi Ecclesia, qua in eam premebatur diem, nemine tam dignissimo patri Stanislao in tot rerum fluctuationibus, Sacerdotii cesso orbitas et viduitas tolleretur. Et quia interdicti censura ex Sedis Apostolicae authoritate provenerat, nuntios solennes Ecclesiasticos et saeculares Romam ad Gregorium Septimum mittit. Quorum summissis et sedulis precibus Gregorius Septimus motus, cum autem Boleslaum Regem, Sancti viri occisorem pro comperto accepisset de Poloniae regno in exilium abisse, et fratrem suum Vuladislaum Principem rarae devotionis successisse, et interdictum sacrorum in Polonica Ecclesia sustulit, et Lampertum Polonum natione, genere nobilem, de domo et familia Habdank, Canonicum Cracoviensem via Scrutinij a Capitularibus electum, virum sibi a pluribus annis cognitum, et in negocijs officijsque curiae Romanae sincere versatum, in Cracoviensem Episcopum praefecit, et ordinavit. Caepit insuper Vuladislaus Dux Regni Poloniae gubernationem in caeteris prudenter dirigere, stradas publicas pacificans, et pro imbecillibus defensionem suam contra potentiores opponens, nonnulla insuper Boleslai Regis Poloniae germani sui decreta retractans, et ad meliorem formam reducens.

Praelium eo anno inter Vuratislaum Bohemiae Ducem, fratresque suos Conradum, Otthonem, ab una, et Leupoldum Austriae Marchionem, partibus ab altera, ob iniurias ab Austrialibus, Moravicis, sub Conradi et Ottonis ditione consistentibus, illatas gestum in Moravia est. In quo ab utraque parte multis caesis et vulneratis, victoria tamen Vuratislao Duci Bohemiae, et fratribus suis Conrado et Otthoni, Marchione Leupoldo Austriae fuga salvato, obvenit, Vuratislaus spolijs omnibus domum revertens.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS OCTVAGESIMꝰ TERCIꝰ

Stirpe Regum Poloniae ad unum tantummodo Vuladislaum Ducem Poloniae redacta, universali Praelatorum et Baronum Poloniae requisitione, et prece, ne domus et prosapia vetus et illustris in totum deficeret, Vuladislaus Dux coniugales inire thoros compellitur. Qui in omnibus votis Consiliariorum deferens, virginem illustrem Judittam, non forma solum et genere ingenuam, sed moribus et virtutibus excellentem, et insignem, Vuratislai Bohemiae Ducis filiam, ex prima uxore Adleyda Regis Hungariae Andreae nata, susceptam, suadente et instigante germanum suum Vuladislaum Poloniae Ducem, Swatochna Ducissa Bohemiae Ducis Vuratislai in altero matrimonio consorte, quae probe, familiari experientia, Judithae virginis a se educatae morum honestatem noverat, desponsat in uxorem. Quae a patruis suis Conrado et Othone Moraviae Ducibus, et primis Bohemiae Baronibus, Cracoviam deducta, nuptiae in magna celebritate peractae sunt, Clara et in mariti Ducis Poloniae Vuladislai, et patris Vuratislai Bohemiae Ducis, honorem, virtutum excellentia et raritate, Reginam, sermone universali, et literis comperimus appellatam, quam adeo et Regnum et gentem Polonorum, memoria proditum est, dilexisse, et pro eius amplitudine atque instauratione intendisse, ut non in Bohemia, sed in ipsa Polonia nata atque educata crederetur

Peste saevissima apud Ruthenos et eorum regiones exorta plures mortales utriusque sexus deleti sunt, Absumitur etiam Epidemiae morbo Vusewolodus filius Jaroslai, et nepos Vuladimiri, Kyoviensis Dux, tertiadecima die mensis Aprilis, et in Ecclesia Sanctae Sophiae in Kyow per filios Vuladimirum et Rosczeslaum quos relinquebat sepelitur, amator pauperum et spiritualium, Cui pater Jaroslaus ob suam humilitatem benedixerat. Post mortem autem Vusewoldi Vuladimirus filius suus natu maior ea cogitatione agitabatur, Si accepero Kyoviensem Principatum sedem patris mei, restat mihi cum Swantopelkom filio Zaslau bellum, quoniam sedes patris sui fuit. Et dissensus harapere se, missis nuncijs Swantopelkum accersijt, et de sedi Kyoviensi excessit. Solus vero ivit in Czyrnyowum, et frater suus Rosczislaus in Peraslaum. Swantopelkus autem Dum in conductu Passha Kyoviam advenisset, a Kyoviensibus occursu, et muneribus exceptus est, et in solio patris et patrui extunc consedit.

Anno

ANNVS DOMINI MILLESIMVS OCTVAGESIMVS QVARTVS

Turpe sibi, turpe et domui familiaeque suae Vuladislaus Polonorum Dux ratus, nepotem suum Mieczslaum fratris sui Boleslai Polonorum Regis et Sancti Stanislai occisoris, in extremis terris exulem mori contemni, mittit in Vngariam ad Beatum virum Regem Vuladislaum nuncios, qui tam nepotem Mieczslaum, quam caeteros milites, secum exulantes in Poloniam reducant. Mieczslaus Dux enim apud affinem suum Beatum Regem Vuladislaum in Vngaria post patris discessionem integro biennio moratus, donis naturalibus, gratuitis et acquisitis eum sibi, in Vuladislai Beati Ducis et fratrum suorum Geissa et Lamperti conspectibus, favoris gradum extruxerat, ut in filii educaretur loco, gracilitati insuper et robori corporis adeo omnes non coaetaneos solum, sed altiores, quam fuerit, aetatis ipse dominus Polonos et Vngaros anteibat, ut omnium Vngarorum gratiam et admirationem quocunque ire pergeret in se inclinaret, et charissimo ab omnibus diligeretur venerareturque affectu. Omnes tamen hos et alios nodos, natura et charitas revisendi patriam potentur expugnant. Venientibus quoque patrui sui Vuladislai Poloniae Ducis ad repetendum et reducendum eum nunciis, illico Vngarorum contubernio derelicto, se illis iunxit, et ut cum favore et gratia remitteretur, nutricium et affinem suum Vuladislaum Regem Vngariae, cui a patre Boleslao Rege commendatus fuerat, quique sollicitam illius curam in eum diu egerat, flagitare coepit. Qui etsi adolescentem admirandae virtutis et indolis, privata et sanguinis necessitate sibi stricte coniunctum molestissime patiretur a se disiungi, ad extremum tamen ardori suo, quem cum provedendumque suos se videbat conspecto, equis, vestibus, armis, et clenodiis muneratum, ad patruum eius Ducem Poloniae Vuladislaum remisit. Rediit et cum eo Borzivoij filius, Lesti, Sbilutus, Dobrogostius, Paulus, Zima, Odolay et Andreas et Andreas, et caeteri omnes milites qui cum Boleslao Rege in Vngariam effugerant. Quibus Vladislaus Dux Poloniae omnia bona eorum immobilia universali decreto tamen Ducali propter necem Beato Stanislao intentatam, et propter transfugij crimen abstracta ad plenum restituit.

Henricus Romanorum Rex cum coniuge sua Bertha, in die Sancto Pascha, a Clemente Papa, quem ipsemet Henricus in Papam constituerat, imperialem accepit benedictionem, vero Papa Hildebrando renitente et exulanti, qui Clemens ante Guibertus Ravennas Archiepiscopus dicebatur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS OCTUAGESIMUS QUINTUS

Rebus publicis, quae ex Beati Stanislai Episcopi occisione, et Boleslai Regis discessione, turbine grandi involutae et inturbatae erant, Vladislaus Polonorum Dux ordine, quo poterat reintegrari, ~~et~~ refectis, sterilitatis detrimentis quam sat erat capit angi incommodo. Ducissam enim suam Iuditham, quia tanto pore uterum non porrexisse noverat, perpetua credebat sterilitati infaecundam, prosapiamque stirpis suae in se cruciabatur extinguendam. Ducissa itaque Iuditha infaecunditatis opprobrium evasura, in religione vergens in Ecclesias egenos pupillos viduas peregrinos singulasque miserabiles personas profusas erogando donationes, quotidianis insuper suspirijs, obsecrationibus, et fletibus, dari sibi fructum boni germinis et masculae prolis, a Deo optimo precabatur. Crebris eorum singultibus et anxietatibus Lampertus Cracoviensis Episcopus, cum natione Gallicus esset, remedium praestiturus, ita apud utrumque disseruit. Habet, inquit, Francia regnum, in provincia Provincia, contra Austrum iuxta Massiliam, ubi Rodanus influit Oceano, corpus precios. confessoris Beati Egidij in monasterio suo nomini specialiter dicato, in quo et devotorum Monachorum sub regula Beati Benedicti militantium habetur frequentia, tam praestanti virtute et merito apud altissimum refulgens, ut nemo salutare et insigne aliquid in suo nomine petens, repulsam visus est habuisse. Illum vobis repromitto, si ad eum fiducialem recursum habueritis, pro quo me et vadem pono, desideratam faecunditatem et prolem sua prece obtenturum. Hac resultatione aliquantulum ad spem depellendae sterilitatis erecti, et imaginem effigiem infantulum praeseferentem, calicem rarae magnitudinis de puro auri metallo industria artificum fabrefactam, item Beati Aegidij aurea et ponderosa effigies, item vasa sacrificij aurea et argentea, vestesque quoque aureis laminis et ostro intextas, et multa alia quae Lambertus Episcopus Cracoviensis suaserat, aggregata et per insignes nuntios ex statu Ecclesiastico et saeculari electos, quorum Petrus Canonicus Cracoviensis primus alio erat, in provinciam Provinciam ad honorandum Sanctum Dei Egidium Monasterio suo tradenda transmittunt. Qui cum incolumis ad locum destinatum pervenissent, et Monasterij Abbati, fratribusque, Ducis Vladislai Poloniae et Consortis Juditha oblatis cum omni devotione Sancto Egidio delatis muneribus, postulationes, vota et desideria [illegible] varij, mandata exposuissent, triduanum Monachis per Abbatem indicitur ieiunium, sub quo omnipotentis clementiam instantius obsecrari iussit, ut praeclara sui Confessoris Egidij merita, apud peregrinas et remotas nationes, pro sui nominis dilatando honore declarans, vota peregre fatigatorum impleret Polonorum, et virili prole sterilem Ducissam Juditham sua largissima benignitate compleret. Necdum triduo ad affligendum ieiunio animas instituto exacto, uni ex ceteris religione et vita merito Monacho praestanti revelatum est, Egidium beatum sua prece sterilitatem depulisse et faecunditatem Duci Vladislao et consorti suae Juditha impetrasse: proinde Poloniae legatis per Abbatem certissima spes facta, omnia pro quibus Sanctum Egidium precatum advenerant, divinitatem largitam esse. Alacres nuntij tam certo et optato responso

efficax et verax

efficax et verax fuisse denunciatum sibi per Abatem oraculum, Ducesque indictum ieiunium implevisse et gratiarum actionem in Dominū et Sanctum Egidium celebrari procurasse facta domum reversi comperiunt

Frequenti exercitu Polowczy barbari Ruthenorum hostes infestissimi congesto, ad vastandum terras Russiae animum intendunt, praesertim cum audissent Vszewoldo mortuo Swantopelkum Zaslai in principatū Kyowiensē successisse. Praemittunt tamen nuncios ad Swantopelkum qui moneant ut pacem cum illis patris more observent, et de tributis neglectis illis respondeat, Swantopelkus vero nuncios Polowczonum, legationem eorum molestiferens, captivat. Quod dum apud Polowczos percrebuisset, versi in furorem, terram Russiae crudelissime vastare coeperunt, Swantopelkus vero intelligens se nuntios Polowczonum captivando inique egisse, solutis ac remissis nuntijs pacē quam prius respuerat, a Polowczys sumere cupide decernit. Et dum parum sensati milites propositum animi sui offerrent, caeteri quibus altior inerat sensus damnabant, asserentes, si copijs eorum etiam octo millia pugnatorum accedat, non secure cum Polowczys signa collaturos, Suggerentibus autem militibus mittit Swantopelkus ad Wladimirum Czyrnowiensem, et Roszislaum Peraslaviensem Duces, petens sibi succurri. Qui coadunatis exercitibus veniunt in Kyow, Swantopelkumque Ducem acriter carpunt, quod contra ius gentium nuntios Polowczonū violasset, Consiliarijs vero suadentibus ut p~~rius~~ostquā Polowczi ~~P[illegible]~~ sine cessatione terram affligant, iurgijs aliud reservarent tempus, et de finibus terrarum potius curarent, Exercitum in campestria contra hostes educunt, et primo stativis ab Kiowopoli habitis ad flumen Stuhnya perveniunt, ubi militum animos, si decernere vellent, explorant, et sententiae diversitate Wlodomir Dux suadebat transito flumine, agere cum hostibus de pace. Quod cum multi probassent, Kyowiensibus sermo displicuit, qui negabant se cum Polowczys aliquam pacem inituros. Qua sen tentia ab omnibus accepta, flumine Stugnia tunc aquis inflato, transuadato, acies ordinatas dirigunt contra hostis, Roscislaus laeuum, Swantopelk dextrum, Vuladimir medium cornu, tenebant, et vicesima sexta die Maij pugnam committunt. Polowczij sagittarijs ante se praemissis Ruthenorum exercitus intra duo fossata consistentis inuadunt. In primis autem Swantopelkum et exercitum eius in cornu dextro confligunt, et militibus Swantopelkij in fugam versis et ipse Swantopelk fugientes secutus est. Feruentius deinde Polowczij in Vuladimirum et Roscislaum et confligunt eos, et fugit Vulodimirus et Roscislaus cum militibus qui superfuerant, periclitaturque Roscislaus in flumine Stugnya, aquarum verticibus eum prementibus. Cui laturus suffragium Vulodimir frater suus parum abfuit quin et ipse aquis suffocaretur. Et suffocato Roscislao et pluribus militibus Vulodimir cum paucis tranato flumine in altera ripa constitit, flens fratrem suum Roscislaum, et milites qui in praelio et vndis secum vna perierant. Exinde fugit Swantopelk in Othrupol, et ad vesperam vsque illic commoratus sub crepusculum noctis subsequentis peruenit in Kyow. Corpus Roscislai in aquis repertum Kiowiam delatum est, et in Ecclesia Sanctae Sophiae in paterno sepulchro sepultum. Polowczij victoria potiti populationem quanto longius possunt extendunt, castrumque Thorcz circumsedent, et premente obsessos fame, petebant sibi a Swantopelkone succurri, asserentes se diutius, ni succurreretur, famem non toleraturos. Et licet Swantopelk miserit victualia, non tamen poterant ad castrum importari, hostibus vndique obseruantibus vias. Quindecim autem diebus obsidione ad castrum Thorcz Polowczij continuata bipartito agmine consurgunt, vna pars vadit contra Kyow, altera in obsidione remanente. Exiuit autem Swantopelk Polowczijs obuiam, et commissa pugna, multis vtrinque cadentibus praeualent Polowczij et Swantopelk tantummodo duobus comitatus in Kyowiensem arcem, militibus suis occisis aut captis, refugit. Reuertuntur itaque Polowczij in Thorcz cum spolijs Ruthenorum

et captiuis

et captivus, et fit planctus magnus apud obsessos. Postquam ex ostentatione captivorum, Ducem suum Semantem peremptum intellexerunt succubuisse, et non valentes se ultra propter famem retinere, dum spes de subveniendo nulla foret, dedunt castrum Poloniis, quo Polonicij adepto, succendunt illud, magnumque Ruthenorum populum in captivitatem abducunt, in regiones suas, ubi plures numero hyemis austeritate extincti sunt, ceteri incedunt squalidi et seminudi. Factoque mutuo scrutinio de qua stirpe regione aut villa forent, captivitatem suam et servitutem ploratu ingenti et lamentis deplangunt, Sexta decima die Novembris Rosczislaus filius Msczislai, nepos Zaslai moritur et in Ecclesia Sanctae Mariae in Desetinnowe sepelitur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS OCTVAGESIMVS SEXTVS

Sub omni autem quo conceptam munere divino et Sancti Egidij meritis sobolem, tempore, Judith Ducissa Poloniae gestabat, ieiunijs, vigilijs, deprecationibus vacans, in Ecclesiasque et ministros eius, egenos, et pauperes, et quosque indigentes postulans, ut felicibus auspicijs partus perveniret, liberalitatis dexteram favore duplicato intenderat, Nec tam humilem et devotam Ducissae Judith supplicationem in cassum iri pertulit divinitas, vicesima namque Augusti die filium effundens, et oraculum a Monachis Beati Egidij editum implevit, et fructum suorum operum et largitionum excepit, Ad partum prodigiosum et optatum Praelatis et Baronibus confluentibus et corrogatis attavum nomine Boleslaus per Lambertum Cracoviensem Episcopum unda baptismatis regeneratus patre iubente accepit. Convivio insuper opipare habito et ludorum magnifice institutorum apparatu, convivas et invitatos pluribus diebus detinuit. Magna dehinc Sanctus Egidius caepit esse in Polonia veneratione coli et a matronis sterilis ceteros Sa bentibus pro fecunditate sobolis invocari, Hinc et in Cracoviensi urbe aedes illi certum Canonicorum habens dotatum numerum, a Duce Poloniae Vuladislao novam editorum gratificans filii primum condita est, deinde per universum Poloniae regnum, in oppidis, vicis, et villagiis, in Tarszech videlicet, Skawin, Cladawa, Lezina, Krobia, Czyrnitow, Beboltow et per Ducem Vuladislaum, et militis suos, templa, quae et hactenus extant, fundata. Ducissa posthac Judytha filium certum Bolislaum tenerrimo affectu educans, breviusculo tempore superveniens, in ipsa nativitatis dominicae nocte fatis intercepta, et in vitam sempiternam, ut pia et virtuosis suis operibus praesupponi potest, credulitate, translata, Cuius decessus et Vuladislaum Poloniae Ducem consortem suum, et Ecclesiam saecularisque ordinis viros, quibus admodum chara extitit, singularibus metus aculeis afflixit. In ambiguo quoque Dux Vuladislaus Poloniae versabatur orbusne consorte superstite esse mallet, an genitor tam chara et prudenti uxore amissa. Puerum autem natum ut teneriori educari ordinavit cura, quanto illum pretiosiori munere divino de sterili coniuge susceperat. Huius foemina benedicta intercessione et suffragio, Comitatus Chropy in Siradiensi terra, qui nunc Pabiyanicze appellatur, Canonicis Cracoviensis Ecclesiae perpetuo collatus est, et monasterio Tynecensi villa Xiaznicze inscripta et Ecclesiae Vuladislaviensi Cathedrali Castellania Lagoviensis cum suo districtu in terra Sendomiriensi perpetua donatione concessa, Surgere quidem fecerat providentia et miseratio divina Judith Polonorum reginam, quae divina auido visione non minus quam Salomonis austri regina hec preuenta caelestis divini muneris largitati astitit Ecclesiae Poloniae beneficiorum varietate. Illa enim exploratrix sapientiae Salomonis venit de longe videre industriam terrenae ordinationis, haec solers indagatrix caelestis contemplationis meruit videre et accipere dona salutiferae operationis, nam oblita domus paternae traditionis

ditionis, et acquiescens consilio Euangelicae admonitionis, quicquid rerum habuit ad decorem domus domini liberaliter erogauit, et loca diuinae habitationis multipliciter ditationibus insigniuit. Canonicis enim Ecclesiae Craccouiensis et praecipue contulit Castellaniam de Chropy cum omnibus ascriptitiis qui per triginta annos fuerunt in manuali possessione, vel qui astricti sunt glebae soli propria professione, et originariis qui ascriptitii nati in ipso solo glebae valuerunt, et cum seruitutibus eorum et tributis quae consistunt in frumento, melle, pellibus, asperollis et mardurinis. Obsequio igitur tam deuoto subsidii temporalis, praedicta Judith meruit adiuuari perpetuis suffragiis orationis, nam praedicti Canonici ipsius reginae astricti deuotione, horas gloriosae virginis Mariae peragunt, Monasterio vero Tinecensi eadem Judith contulit xiii Zniecze cum suis appendiciis, scilicet, cum villis super Visloam constitutis et cum hominibus easdem inhabitantibus, ascriptitiis et originariis, cum seruitutibus eorum et tributis, Episcopo vero Cracouiensi contulit Castellaniam de Lagow cum seruitutibus eiusdem.

His igitur et consimilibus in subsidia diuersarum in Polonia Ecclesiarum attributis, quicquid patrimonii vel dotalitii in auro gemmis argento, et caetera supellectilis possidebat ornatu, in pios usus et causas pauperum orphanorum et miserabilium personarum, affectu compassionis erogauit. Quae cum tot beneficiis charitatis thesauros immarcescibiles, in caelesti patria sibi cumulasset, ad epulas Christi meruit inuitari. Nono enim Calendas Januarii in vigilia festi natalis domini de ergastulo huius carnis soluta, et ad festum aeternae iucunditatis inuocata, feliciter migrauit, et diuinae fruitionis desiderio non fraudata, in pace felicius requiescens, aeternae beatitudinis praemiis expectat insigniri

Swantopelkus Pomeranensis Dux cladem geminato praelio acceptam, vtcunque integraturus, serius quam expediebat, cum Polonis foedus init. Pro cuius soliditate filiam Tsuborthani Ducis Polonorum accepit in consortium, impetrato a Polonis solatio. Olis Russiae Dux castrum Czyrnecow et eius regionem impugnat, et Vulodimiro Duce Czyrnewiensium maenia turri contentato, Olis monasteria, ecclesias, vicos, et rura in circuitu igne deuastat. Vulodimir autem videns se plurimum angustiatum, missis caduceatoribus pacem cum Olis concludit, et de castro Czyrnecow Olis excedens in Peraslaw se recepit. Nec tamen ob id Poloni Olis permittente, a vastanda Czyrnewiensi ora quieuerunt, in qua multi Ruthenorum occisi, multi capti, multi in seruitutem abducti. Locustae insuper in grandi multitudine in terras Russiae appulsae, omnia deuorant et consumunt gramina, regioque Ruthenica sine vastatione et clade barbarica, illa locustarum demolitione sub vno tempore vehementer afflicta est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS OCTVAGESIMVS SEPTIMVS

Polonorum regina Dobrogneuuna alias Maria, relicta olim Cazimiri primi Poloniae Regis, et Boleslai Poloniae Regis et Ducis Vuladislai genitrix, quae vsque in ea tempora vixerat, annis iam matura et aeuo, simulque de casu primum et ruina filij sui Boleslai Poloniae Regis ob necem Sancti Stanislai, deinde et exilio contabescens moritur, et in Ecclesia Cracouiensi Vuladislao Duce matris suae cohonestante exequias, legittimo honore tumulatur.

Posnaniensis Ecclesiae Episcopus Theodoricus primus, annis duobus et viginti Pontificatu Posnaniensi gesto, febrem tertianam lentam sed diuturnam perferens, moritur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Cui Dominicus primus Italicae nationis vir, sed linguae Graecae gnarus, ab Vrbano secundo Papa suffectus, et capitulo Posnaniensi et Vuladislao principe et Monarcha Poloniae multipliciter abnuentibus

tibus, quorum utriq; gestiebat prisco more abrogato, non Italum sed Polonum promoueri

Henrico tertio Imperatore Romanorum anno eodem solemnem curiam principum, Maguntiae per dies plures tenenti, Vuratyslaus Bohemiae Dux illum accessit, et magnae aestimationis atq; ponderis in auro, et argento, gemmis, vasis celatis, et oblatis muneribus, sibi in Bohemiae creari Regem et tempora sua Diademate ornari obtinuit. Mandante siquidem Imperatore Henrico praefato, Eugelbertus Trevirensis Archiepiscopus Pragam venit, et in Ecclesia Pragensi decimo septimo Calendas Iulij Vuratyslaum in Bohemiae primum Regem, consortem vero suam Suantoslauam filiam Casimiri Poloniae Regis in Reginam primam, coronis per Imperatorem Henricum decretis, solenniter astante Bohemorum magna multitudine, et de sua gentis prosperitate, varia et frequenti modulatione exultante, inunxit et coronauit. Itaq; semel sub vno et eodem tempore, et Bohemia regnum recepit, et Polonia regnum desijt, vtriusq; regni continuationem et progressum quasi natura in vna lingua inuidente.

Octaua Augusti Marco Plocensi Episcopo decem et nouem annis pontificatu functo, mortem ex scabie oppetente, Stephanus primus natione Polonus Praepositus Plocensis a Capitulo Italicis neglectis electus, a Victore Papa tertio, quamuis aliquanto tempore cunctante; et Italum potius quam Polonum promouere gestiente, Vuladislao Duce et Monarcha Regni Poloniae crebris literis instante sufficitur.

Sub eodem tempus Iaromirus Pragensis Episcopus Olomucensem Episcopatum cuius tunc ex obitu Ioannis Pontificis vacatio intercesserat, suo Episcopatui Pragensi reintegrari et reuniri, germano suo Vuratyslao vnionem ipsam in fraternum fauorem, quam tantummodo alias detestabatur, promouente, ab Henrico Imperatore impetrauit, quae res maioris illi insolentiae contulit fomentum, adeo vt praesenti Regi interesse diuinis contemneret

Andreas primus Crusuiciensis Episcopus annis prope septem exactis moritur, et in Ecclesia Crusuicien. sepultus, Baptistam Romanum a Gregorio Papa Septimo surrogatum habuit successorem, fuitque is annus Polonicae Ecclesiae pontificibus fatalis.

Cum multo tempore Gregorius Papa Septimus, cum Henrico quarto Imperatore ad inuicem certassent, et vnus alium concilio conuocato deponeret, vltimo Imperator suum facinus recognoscens ad obedientiam Gregorij rediit. Gilberto qui in Antipapam erexerat malam mortem cum suis obeunte. Veniens secundum Imperator Henricus in Italiam ad Papam Gregorium, nudis pedibus super niues et glacies pluribus diebus stetit, et sic veniam impetrat. Crucem quoque contra Saracenos, Ecclesiae, quam pertinaciter lacesserat, satisfacturus, assumpsit. Exactis autem Gregorius in Pontificatu annis decem moritur Salerni, et illic sepultus est, miraculis coruscando, Quo mortuo, Victor tertius Abbas Cassinensis, Desiderius ante vocatus, per electionem Canonicam succedit, et sub eius pontificatu ordo Cartusiensium sub Patre Brunone coepit. Alijs placet, et verius, Henricum quidem Imperatorem reconciliationem cum Gregorio Papa fecisse; sed cito post haec ad rebellionem rediisse, et suum Papam Gilbertum Romam deduxisse; quapropter Gregorius Septimus Salerni in exilio moriturus fertur dixisse, Dilexi iustitiam et odiui iniquitatem, propterea morior in exilio, Magnum deinde discrimen in Ecclesia Gregorio obeunte secutum est, Gilberto sedem Romanam per vim occupante.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS OCTUAGESIMUS OCTAUUS.

Chara vxore Juditha Vladislaus Polonorum Dux orbatus destitutusque solatio, alterum matrimonij foedus abhorrebat. Crebris tandem suorum Praelatorum et Baronum persuasionibus expugnatus, Beato Vladislao Pannoniorum Regi suo affine id quoque et sibi et Reipublicae expedire censenti,

Sophiam

Zophiam aliâs Zesisomam Vngariae reginam Salomonis Regis Vngariae relictam, et Henrici tertij Imperatoris filiam, et quarti Henrici tunc regnantis sororem, desponsat in uxorem. Haec in Vngaria Salomoni Regi post infelicem pugnam quam Cunorum adiutus suffragio duci Haskae gessit, in Bulgariam primum, deinde Istriam divertens morabatur, omnisque ei honos a Beato Vuladislao Rege servatus est, et donatio dotis nomine sibi de rebus et possessionibus per Salomonem facta, sincere et integre habita, et propter prosapiae excellentiam, et status regalis dignitatem, eoque beneficio beato Vuladislao Vngariae Regi obligata, minus cunctanter, ipso beato Rege summopere promovente matrimonium, Polonorum Duci Vuladislao nupsit, et in Poloniam frequenti et insigni comitiva deducta, haud contemnendam nobilium rerum et clenodiorum suppellectilem secum in Poloniam detulit, Et licet praedicta Zophia regina, uxor Vuladislai Ducis Polonorum vivente primo marito Salomone Rege sterilis semper fuerit, ex Vuladislao tamen Polonorum Duce faecunda effecta fuit, tresque filias temporis procedente edidit, Accepit et tunc Mieczslaus Princeps Boleslai Poloniae Regis filius, qui sedecennem aetatem parum iam transgressus, Suantopelki Kijouiensis Ducis sororem germanam Eudoxam nomine, Vuladislao patruo suo Polonorum Duce ordinante, uxorem, quae tunc Russiae regionis a patre suo habebatur, hac affinitate magis sincerae et devotae in fide persisterunt, Magnusque Cracoviae conventus Principum et Baronum habitus est, et Vuladislao et Mieczslao Ducibus Poloniae celebritatem singularem exercentibus, pro accepto matrimonio geminato.

Tercius Victor Pontifex Romanus, dum anno uno, mensibus quatuor, diebus septem sedisset, per a

mires

micus Henrici Imperatoris sibi in calice venenum propinatum sumens, ventris profluvio fatigatus dissolvitur. Cui Oddo primum Monachus Cluniacensis, post Cardinalis et Episcopus Hostiensis, Urbanus secundus nominatus succedit, qui in Franciam vadens, aliquot conciliis congregatis, Principes Franciae, Hispaniae, Angliae, Normaniae, Flandriae, ad recuperationem terrae sanctae a Saracenis occupatae, et plurimos Christi fideles crucem assumere induxit, et sub eius Pontificatu terra sancta feliciter recuperata est. Renovantur autem Urbano assumpto, inter ipsum et Henricum Imperatorem a Gregorio septimo depositum, et Gilbertum Antipapam scandala, uno alterum variis censuris et depositionibus percellente, gravisque turbatio Ecclesiam Dei tunc vexabat, et viri Ecclesiastici, et quod execrabilius est, Pontificali dignitate praediti, sic alter alterum collidentibus, ac per contentiones et zelos carnaliter sese aemulantibus, nullus nexus spiritualis concordiae in caeteris inferioribus Italiae praelatis poterat servari. Hic Urbanus secundus in concilio apud clarum montem celebrato statuit, ut hora beatae Mariae virginis quotidie, officium vero Sabato die solenniter impleretur, et dicitur quod hoc beata virgo fratribus in Chartusia revelaverit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS OCTVAGESIMVS NONVS

Decimus iam anni ex quo beatissimus Martir et pontifex Stanislaus Cracoviensium Antistes a Boleslao Polonorum Rege feri cruore damnatus erat, tempus agebatur, Hominum tamen tam Ecclesiasticorum, quam saecularium illius temporis incuria, qui et martirium suum coram viderant, sanctitatis sublimitatem noverant, miraculorum ab ipso in vita et post patratorum scientiam plenam habuerant, corpus tamen beatum anti fores Ecclesiae Sancti Michaelis de rupella, in eo cimiterio, quo primum humatum fuit, patiebatur delitescere, donec Sanctus Dei Stanislaus id sibi praestari inspiravit officium. Dum siquidem nobilis quaedam et religiosa matrona, ipsi

beato

ipsi Beato Stanislao pro excellentia meritorum plurimum devota, Swantislava nomine, saepe noctu intempesta pro suis et aliorum necessitatibus Sanctum Dei a quo iam in frequentibus suis observationibus postulatam impetrationem acceperat, interpellatura, ad sepulturae suae locum crebras agerat excubias, in unius noctis, quam illic in orationibus et precationibus totam pene absumpserat, diluculo, versa in extasim, Ecclesiam Beati Michaelis de rupella, multorum luminarium atque lampadarum fulgore refertam ingreditur, officiorum divinorum solemnia auditura. Venerandus et ille videbatur Stanislaus Pontifex, pontificali amictu indutus, venerabilium personarum munus ministerij secum una exequentium in corona modum cinctus frequentia, magnam quandam celebritatem expleturus advenerat, Cumque singula ritu solenni expleta essent, ea vox a Pontifice Sancto ad matronam insonuit, Indignum inquit, providentiae divinae videtur, et maiestati suae oculis ingratum, quod sanctis meis debitus honos impensus est, et ossa mea decennio fere iam exacto, veluti oblita vilescunt in pulvere; Consurge itaque filia Deo et mihi devota et intrepida, Lampertum Cracoviensem Episcopum successorem meum et Canonicos fratres meos adi; hisque omnium quae hic agi vidisti relatione fideli patefactis manda illis ut corpus meum in Ecclesiam maiorem non cunctentur transferre, Qua relatione Lampertus Cracoviensis Episcopus cum Canonicis audita, solemni processione omnibus urbis Ecclesijs indicta, corpus Sanctum in Ecclesiam Cathedralem Sancto Venceslao dicatam Cracoviensem intulit, et in Ecclesiae medio nobilem tumbam auro et gemmis adornatam, qua et cineres et ossa condita sunt, fabricavit, hosque versus capitalibus literis in auro inscripsit Tumba Stanislai cineres tegit ista beati, Regis Boleslai quia non favet impietati

Martyrio meritas caeli migravit ad aedes.
Felix cui deitas merces, cui sydera sedes

Omisit autem Vladislaus Regni Poloniae Dux studioseque distulit pro Sancti Viri Stanislai labore canonizatione, quam nisi viderit illum ministerio fulsisse, fulgereque prodigiis, silentii latibulo opera Sancti Viri contegens, suo et gentis suae, qui per canonizationem beati Stanislai illustrandus diligendusque fuerat, parsurus pudori, ignominiae, turpitudini et dedecori.

Exiisset post translationem Sancti paucis diebus e vita Dux Miecislaus filius Boleslai Polonorum Regis et Sancti Stanislai occisoris, nec aliquam prolem ex uxore, quam anno transacto acceperat, reliquit. In quo semen Boleslai Regis Poloniae parricidae, ac verbum Sancti viri Stanislai quo illi in scelere persistenti orbitatem et seminis sui perpetuam extinctionem praedixerat, impletum. Cuius vitae brevitas nihil habet memoria dignum aliud, nisi quod caligine subita et insperata mortis involutus, declaravit non plus certitudinis protelandae vitae habere florentissimum adolescentem, quam provectum et veteranum senem. Habet nonnullorum scriptorum assertio, factione certorum Poloniae Baronum, eorum praecipue, quorum authoritate et obiurgatione Boleslaum Poloniae Regem exulatum iri constabat, veneno Ducem praefatum Miecislaum sublatum fuisse, nam cum supra aetatem vegetior illi esset indoles, et tam liberalitatis munificentia, quam militaribus actibus, facundia, comitate, industria, plusquam illi conveniret aetati polleret, patrem expressurus videretur, praefatorum Baronum Poloniae improbitas, verentium ne paternas iniurias statutae aetatis maturitatis ultum iri pergeret, illam sibi veneni pestem asserunt procurasse, qua non ipse tantummodo sed et sui nonnulli domestici familiaresque infecti, aut exhalabant animam, aut diuturno correpti morbo, miseri languescebant. Suspectum etiam Regni nomine nonnulli ferebant Vladislao patruo, ob id, quod aequanimius mortem suam latum, quod certa cum ingentem totius Poloniae populi videret gratiam adolescere, et ob id

dubius

de his qui illi venenum subministraverant, neglexit inquirere. Obitum autem Ducis Miecslai tam miserandum quam miserabilem, quis iustus rerum aestimator sola Dei iustitia sequutum dubitabit accidisse, qui scelera patrum usque in quartam punivit generationem quod in patre ad integrum non punierat, in filio vindicavit, et non naturali aut casuali morte; sed violenta turpi et venefica, scelus in Sanctum Dei Stanislaum digna retributione compensans, illum occumbere promisit, vitaque immaturae aetatis subtractus est, cuius parens Pontifici beato maturam vitam iniuste ademerat, quod et ex temporum vicissitudine lucescere potest, cum pro eodem tempore Boleslai Regis vivi pignus occubuit, in quo martyris Dei Stanislai nomen et meritum, et translationis honore et ampliori veneratione a fidelibus coeptum est coli et celebrari. Immatura autem Ducis Miecslai mors in urbibus oppidis vicis et villis nunciata, omnes fere Polonos in luctum et lachrimas impulerat, magnumque iuvenis desiderium in pectoribus Polonorum accenderat. Dum enim parentis sui Boleslai Regis enumerarent victorias, dum subactas ab eo recenserent provincias, dum vultum instruentis aciem et milites educentis in praelium, et exhortantis ad pugnam, dum liberalitatem, celeritatem, fortitudinem, industriam, et alias dignas Rege virtutes, quas Miecslaum filium suum, plenius quam parentem innovaturum speraverant, certatim efferrent, non gemere, non anxiari, non vacare maerori, et luctui et fortunam suam non increpare; sibi et statui suo atque Poloniae Regno quod per virtutem Miecslai instaurandum falso crediderant, non timere, et casus suos in suo occasu non dolere non poterant. Quapropter ad funeras suas in Ecclesia Cracoviensi habitas, non militum modo, sed mechanicorum et agrestium operibus intermissis magna multitudo confluxerat, et quoad licuit feretrum in quo corpus exanime Miecslai portabatur sequuta incomptum emittebant flendo eiulatum / Miseram insuper Miecslai Ducis matrem et Boleslai Poloniae Regis consortem Visceslavam, continuatus adeo privatus et publicus dolor in funere nati quam maxime potius vexaverat, aerumnas suas et pro exilio gloriosi quondam mariti sui Boleslai Regis, et per occasum filii ingeminantem, ut velut exanimis et mortua de Ecclesia dum funus filij conduceretur, elata, sinibusque matronarum aliquanto tempore fota, vix tandem Pontificum Poloniae, qui et ipsi officio funeris aderant, aquas frigidas in ora reginae exanguis et supinae iacentium ministerio, compos mentis effecta est. Non exiguam enim Mieczslaus Dux solertis dederat spem magni iustique Regis indolem se subditis si vita foret extensior praebiturum, et regno Poloniae decus suum restituturum, et quo fuerat desiderabilior, eo et mors sua habebatur suspectior, ut perisse factione primorum insimularetur, eo respectu veneno sublatus, ne eor gravis fieret dominator, genitrix illius nullas consolationes, quae ingerebantur, admittens voces, maesta per omnem vitam et lugubris, iuxta ac in funere semel imposita lugubria, nunquam exuit. Geminato vexata malo, et mariti exilio, et filij fato non multo post quinto Idus Martij fato subtracta.

Vniversis fere Russiae Ducibus et regionibus Polowczij aut vastatis aut subactis, Vuladimirus de Perejaslaw Dux solus restabat. Hunc quoque et regionem eius Polowczij cum duobus Ducibus Kitano et Itlar inferunt bellum. Qui missis nuntijs antiquam principatus sui ab hostibus vastationem veritus, pacem etiam sub conditionibus iniquis acceptat, obligans se Polowczijs ad annui solutionem tributi, super quo et filium suum Swiantoslaum, nec enim aliter pax convenisset, dare coactus est in obsidem Polowczis. Suggeritur interim Vuladimiro Duci Perejaslawiensi, et a proprijs militibus et a Slawatha milite Kijoviensi, qui ad illum certa mandata perferens, a Swiantopelkone Duce Kijoviensi, nuncius venerat, ut Polowczos quietos et hinc inde dispersos opprimat et obtruncet. Qui diu cunctatus, asserens id suo honori et fidei non convenire, victus tandem argumentis, et Slawatha et alijs militibus negocium demandat, qui primum Swiantoslao filio Vuladimiri obside, negligentius enim a Polowczis asservabatur, furtim sublato, Kitanum unum ex Ducibus et omnes viros qui secum una morabantur, interficit, alterum quoque Polowczorum Ducem Itlar, apud unum ex Boiaris Russiae Ratibor nomine hospitatum, missis alijs militibus Vuladimir cum omni sua comitiva obtruncat. Ea caede expleta contrahunt Swiantopelk Kijoviensis et Vlodimer Perejaslawiensis Duces quantas maximas copias possunt, Ducem insuper Olg requirunt, ut illis laturus sua

contra Polowczos

contra Poloniczos solatia adiuvat. Quo pollicente, sed vafro ingenio in aliam divertente viam, Swantopelk et Wlodimir stationes Poloniczorum, nihil hostile verentes, invadunt, et pluribus qui resistere audebant, trucidatis, ceteram imbellem turbam, foeminarum, impuberum, parvulorum, pecorum, camellorum et equorum, captivant, et in Russiam deducunt. Indignati autem vehementer Duci Ols, quod promissa sua variando, ferre illis suffragia distulisset, mittunt nuntios, qui cum venissent, arguentesque, quod contra hostes communes et infestos, in commune repellendum periculum non venisset, deinde rogat, ut filium unius Poloniczorum Ducis Itslar apud se asservatum aut tradat illis, aut necet. Sed cum utrumque non se facturum respondisset, odium in se grave tam Ducum quam militum Russiae concitavit. Non quieverunt posthaec Poloniczij, sed novo exercitu comparato, castrum Vsrow Ducis Swantopelconis aestate integra circumsedent, fuissetque illi deditum, nisi Swantopelcus missis muneribus Poloniczos placatos discessionem effecisset. Succedunt Poloniczijs Pruthen, et vigesima octava Augusti terras Russiae in magna multitudine ingressi vastant illas. David Swantoslawicz Dux Novogrodensis ex Novogrod in Smolensko discedente, Msczislaus Wlodimirowicz petentibus Novogrodensibus venit ex Rostow et Novogrodensem occupat Ducatum.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS NONAGESIMUS.

Fluxam et dubiam fidem, post Boleslai Poloniae Regis in Ungariam discessionem, terrae Russiae, quae et Sacramento et belli iure sub regimine eiusdem Boleslai Regis in regni Poloniae ditionem concesserant, praeseferentibus, et propter regni Poloniae mutationem in rebellionem spectantibus, Ducis Mieczslai morte sequuta, et apud Ruthenos vulgata, cui terrae illae, et consortij nuper traditae et paterno maternoque iure debebantur, in rebellionem prodierunt apertam, solutosque se et iugo et foedere, quo vel Boleslao Regi, vel Mieczslao suo filio deditos ingenue fatebantur, in commune denuntiant, armisque correptis, capitaneos et praefectos Polonorum de castris et munitionibus Ruthenicis quae sine praesidio fidelium militum tenebantur, exturbant et depellunt, aliquos pecunia corruptos, alios fame maceratos, de castris et munitionibus excedere cogunt, qui vero dolo, fraudibus, aut largitione pervinci non poterant, longa obsidione Ruthenorum Wladislao Polonorum Duce vel dissimulante et negligente, vel alijs bellis et rebus publicis implicato, opem obsessis ferre, de dedendis castris et fortalicijs cum Ruthenis paciscuntur. Itaque sub unius anni tempore terrarum Russiae iniusta et continuata possessio, propter Principis desidiam, a Polonorum ditione subducta est, Ruthenis non tam ex iniusto et avaro regimine, quam ex ritus in fide disparitate Polonorum imperium quam maxime abhorrentibus

Inter Bohemiae Regem Vratislaum, et germanum suum Jaromirum alias Gebhardum Pragensem Episcopum, quibusdam simultatibus inter eos gliscentibus, quos assentatorum, quibus aures Principum continue pruriunt, promovebat assertio, etiam sopitum pro Ecclesia Olomucensi repullulavit incendium. Visus siquidem Vratislao Bohemiae Regi Jaromirus Pragensis Episcopus nimium suis votis et actionibus rebellis, adversus, arrogans, et insolens, Primum in illius opprobrium et contumeliam, Vischegradensis, nulli nisi Apostolicae autoritati immediate subijcienda, fundata Ecclesia, et Olomucensi Ecclesia in Pontificem, sola regis Vratislai voluntate dismembrata; Praesbiter camerae Regiae Vecels nomine praeficitur. Depulsionis et ignominiam et iniuriam Jaromirus Episcopus Pragensis Pontificem Romanum adire constituit, et in itinere ad virum beatum Vladislaum Ungariae Regem suis intercessionibus et suffragijs causam suam fulciturus, declinavit. Quem cum Strigonij offendisset, subito languore correptus, sub brevi tempore, dolore grassante, diem obijt, ex quo facilior Ecclesiarum Pragensis, et Olomucensis, Rege Vratislao procurante, sequestratio successit, et in unius Jaromiri Pragensis Episcopi locum bini Pontifices videlicet Andreas Olomucensis, et Cosmas Pragensis suffecti sunt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS NONAGESIMVS PRIMVS

Defectio Russiae, a Vladislao Polonorum Duce, cum iniuria tolerata, Pomeraniam, Prussiamque in similem defectionem pertraxit, obedientia subtracta, tributa solita camerae Ducali pendere interdixerunt, Eosque praefectos et Capitaneos qui una secum non sentirent, aut necant, aut contumelijs affectos depellunt, Non secus quam par erat, Vladislaus Polonorum Dux huiusmodi commotus iniuria, bellum contra Pomeraniam et Prussiam indixit, copiasque omnibus suorum principatuum pro festo Sancti Joannis Baptistae in Metes iubet convenire, Quibus iuxta edictum convenientibus, terram Pomeraniae ingreditur, et castra, munitionesque plerasque conquirens, agros eorum depopulatur, vicosque exurit. Pomerani cum Barbaris Pruthenis iuncti non placandum sibi dominum suum naturalem et haeredem, sed bello agrediendum decernunt, Congestoque valido exercitu Vuladislao Duci in festo assumptionis Sanctae Mariae circa Krzeczy occurrunt, ac ubique dispositis Ducis Vuladislai exercitum, propter diei celebritatem, eo die pugnam detrectantem, invadunt. Ea necessitate impulsus Vuladislaus Dux, suos et ipse arma, in grandi se versari conspiciens periculo, iubet capessere. Praelium atrox initur, Pomeranos enim et Pruthenos male praesumpta accendebat defectio, Polonos indigna rebellio, Iam praelium in maiorem diei partem, utraque parte enixius pro victoria incumbente, extractum erat, cum ordines Pomeranorum et Pruthenorum rarescere, pedem subinde referre, at post paululum in fugam agi coeperunt, Fugientes Polonus persequutus est, longissimo itinere, magnaque caedes in fugientes ab ira coepta, cum magna iocunditate residuum diei, a Duce Vuladislao et exercitu absumptum est. Omnisque tunc obtenta victoria Beatissimae Genitricis Dei suffragijs deputata. Hac pugna Pomerani et Pruthenі fracti, ad obedientiam reversi, se suaque omnia Vuladimiro Duci tradunt, veniam certatim deprecantes, quam ille facile eis concessit, existimans eos fideles futuros, Singulas tamen munitiones principales et castra ab eorum potestate et regimine auferens, suis ea probatis militibus regenda distribuit, nonnulla vero ea praesertim quae in finibus consistebant terrarum, quo maior adimeretur Pomeranis et Pruthenis rebellandi occasio dirui aut incendi iussit, omnibusque debito ordine compositis, ad sedes suas cum victori & incolumi exercitu redijt

Circa eadem tempora, tempore Caelestini tertij Papae per operam Meinardi Episcopi Livoniae Livonia ipsa ad fidem Christianam conversa est, Cui successit frater Bertoldus a Livonitis occisus, In cuius locum Albertus substitutus et residuitatem Livoniae ad puritatem fidei reduxit, Rigensem metropolim et civitatem iure Gothorum et aliquot Episcopatus, in Livonia authoritate Apostolica fundat, et dotat, et ordinem Canonicorum regularium, in Ecclesia Rigensi, in qua annis triginta sedere instituit

Infestum valdeque exulceratum odio Vuratislaus Bohemiae Rex animum contra germanos suos, Conradum et Ottonem gerens, ea vel maxime suspitione percussus, quod regnum Bohemiae, se moriente, filio excluso, illos rebatur invasuros, portionem eorum

Moraviam gravi agmine ingressus, Olomuncz civitatem et alia oppida quae iuris Ottonis fuerant, capit, filioq; suo Bretislao tenenda committit. Sub hac contentione Otthone duobus filijs Suantopelk et Otthone relictis, morte subtracto, in Conradum fratrem residuum crudelius saeviens, Brunam sortem eius obsidere coepit, sub qua filius eius Bretislaus Baronem maiorem Sderad, cuius opera Vuratislaus Rex in bello plurimum utebatur, ob id quod sibi stationem prope undas, quibus lascivi se abluere consueverat, dari regem facto magis quam digesto sermone rogaverat, dolose ad se accitum, Conrado etiam patruo in verbis hastae ferventem exacuente iram, interimit, scelereq; perpetrato paternam incanduisse sentiens iram, in alteram partem fluminis, sequente se magna exercitus parte sua transfert tabernacula. Et quamvis reconciliatio inter patrem et filium Virtpurga uxore Conradi agente fuisset sequuta, filius tamen parum illi fidens, versus Gradech processit, pro qua re altius patri offensus, et a Conrado fratre pro nisibus se opponente plevato, Bretislaus ipse non audens de patre amplius confidere, ad Beatum Vuladislaum Vngariae Regem confugiens, usq; ad patris mortem in Vngaria in districtu Banovu prope Trinczin degit. Vuratislaus quoq; Rex de filio diffisus, Conradum fratrem sibi in regno successorem ordinavit

Vuratislauiensis Ecclesiae Petrus primus cum annis triginta in Ecclesia Vuratislauiensi praefuisset, dives in bona senectute obijt, et in Ecclesia Vuratislauiensi sepultus, Ziroslaum primum Praepositum Vuratislauiensem genere nobilem de domo Rossa ex terra Cracouiensi ortum via scrutinij electum, cui facile et Vuladislaus appellatus Hermanus Dux et Monarcha Regni Poloniae, filius Casimiri, et germanus Boleslai Regum Poloniae assensus est, habuit successorem, a Martino primo Archiepiscopo Gnesnensi, in anno subsequenti confirmata, a quo et ipse Ziroslaus apud Calis fuit consecratus.

Afflictioni terrarum Russiae, quam Polonorum ille intulerat saevitas, Duces Swantopelk Kiouiensis et Vulodimir Pereaslauiensis, providere, conventum apud Kijowien statuunt, missisq; ad Olg Ducem nuntijs precantur ut et ipse illuc adveniat, arbitrio Episcoporum, Monachorum et Boiarorum in ordinem super defensione terrae Russiae a Polonorum, consensuros. Qui legatorum verba audiens, et ostentui habens, Non advenit, respondit ut Episcoporum, Monachorum, et vilium personarum imperiis caput meum substernam. Quo responso Swantopelk et Wlodimir Duces offensi, in Ols primum, quam in Polowczos vertunt arma, qui a facie eorum ex Czyrniow fugiens, in Starodub se recepit, ubi a Swantopelcone et Wsodomiro vallatus et conclusus, obsidionem triginta duobus diebus toleravit, fame tandem illum et cives qui cum illo erant premente; pacem petit, offerens se in Ducum Swantopelconis et Wladimiri potestate futurum. Qua misericordia Ducum obtenta et obsidionem solvunt, et ut germanum suum David in Kyow adducat illi praecipiunt, qui non solum obedienter sed et reverenter cum cruce osculata obtulit se imperata facturum. Interim Dux Manyak cum Polowczis venit contra Kyow, et multis spoliis et damnis commissis, curiam Ducalem in Berestow comburit. Thugorthan insuper alter Polowczorum Dux, et Swantopelkonis socer, venit cum Polowczis contra Perasslaw. Sed Swantopelcone et Wladimiro defensionem opponentibus, decima nona Julij ad flumen Trubesza pugna committitur, et victis Polowczis etiam Dux eorum Thugorthan et filij eius occiduntur. Polowczij autem nihil sua clade territi, novo instaurato exercitu tam silenti agmine in Kyow perveniunt, ut parum abesset, quin castrum Kyowiense negligenter custoditum caperent. Qui spe sua frustrati, templa, monasteria, et rura incendunt. Praevaricato Dux Ols iuramento, in conventum Ducalem venire fastidiens, exercitu congesto Ducatum Muromsz qui ab Isaslao filio Wladimiri Ducis Kyowiensi tenebatur, asserens illum ad se velut paternam haereditatem pertinere, invadit. Sexta autem die Septembris Isaslaus cum militia sua, Ols occurrens confligit, et utrique pro victoria adnituntur; Isaslao occiso, cedit Ols victoria, militibusque Isaslai in varia loca diffugientibus, Ols Dux in castrum a Muromensibus acceptus est. Etiam Rostow castrum, dedentibus se illi Rostowiensibus, et tributa promittentibus, in suam redegit ditionem. Potentiam autem Ducis Ols, eiusdemque tyrannidem Usczislaus alter filius Wlodimiri, et germanus Isaslai occisi, qui in Nowogrod residebat, veritus, missis ad Ols nuntijs offert se et spondet illum et Patri Waledimiro Duci Kyowiensi, et sibi non obstante, quod filium Wlodimiri et fratrem suum Isaslaum occiderit, cum non solum Ducum, sed et regum, et Caesarum saepe caedes contingant, reconciliaturum

Ols autem Nouogrodensem ambiens principatum et sperans se Msczislaum ex illo facile pulsurum, nuntijs Msczislai absq responso remissis, hostiliter Nouogrodensem regionem invadit, et Jaroslao germano suo ad Sgerula praemisso, ipse in Murom cum exercitu consedit. Jaroslaus autem speculandi gratia longius quam sat erat progressus, a Msczislao et eius militibus intercipitur. Quo eventu Dux Ols territus, secedit in Rostow, Msczislao illum persequente. Capit autem Msczislaus castrum Szuszdal et incendit illud, Ols vero sibi praecavens fugit in Muromosz, cum quo Msczislaus missis nuntijs pacem componit, et exercitum suum dissolvit, existimans animum suapte tyrannicum et in caedes proclivum sua modestia sanaturum. Sed Ols intelligens Msczislaum campum solvisse, venit foedere violato cum suo agmine contra illum, qui ante faciem Ols fugiens, militibus in arma evocatis, Ols cum persequenti occurrit, quatuorq diebus congredi differens in castris se continuit, gentes ex [illegible], et Polowczis, et fratrem Wyeczislaum in sui solatium a patre Wlodimiro transmissos, de quo per nuntium avisatus erat, praestolatur. Quibus advenientibus cum Ols militibus Msczislai pedestrem pugnam ineuntibus congreditur, et pugna acerrima inter utrumq fervente; praevalet Msczislaus et Ols victus fugit in Muramios, ubi Duci Msczislao a quo conflictus fuerat, per communes milites reconciliatus, non existimans se de cetero in terris Russiae post plures dolos commissos tutum fore, cum nonnullis militibus in Ressanos profugit. Quem Msczislaus Dux persequutus, et militibus qui secum una ierant et ipsum Ols Ducem verbis dulcoratis plenam spem recolentibus alloquitur. Turpe est inquit tibi, turpe nobis fratribus tuis, turpe et militibus tuis, ut in alienis terris exul et calamitosus dilitescas, fabulam de te hostibus et inimicis, his quoq apud quos immoraturus es facturus. Revertere itaq in terram Russiae, ubi securus habitabis, non adeo maligni sunt fratres tui Duces Russiae ut tibi omnia mala quae in illos et terras eorum commisisti, dummodo facinorum tuorum te poeniteat, non ignoscant. Quos huiusmodi verbis pellexit et argumentis, ipsum et milites suos ex fuga reducit, et revertens Olech Msczislao permittente et favente intrat castrum Nouogrod

ANNVS DOMINI MILLESIMVS NONAGESIMVS SECVNDVS

Ferias sibi Vladislaus Polonorum Dux conatibus Pomeranorum et Pruthenorum oppressis agere anno eo videbatur, sed extemplo illi affertur nuntius Pomeranos et Pruthenos obstinatius rebellionem induisse, et post crudelia Capitaneos suos et praefectos, aut suppliciis aut mortibus destinasse, paucis, qui sibi ingtius benigniusque imperaverant, vitam indulsisse. Atrocitate iniuria permotus Vladislaus Polonorum Dux ea bella iterandum duxit, ut et suorum iniustas neces ulturus, et Pomeranorum Pruthenorumque rebellionem oppressurus, cum parva militum exercitatorum tamen manu, quoniam alios intempestivum tempus acciri prohibebat, in Februarii mense ad Pomeraniam intrepidus se contulit, bipartitisque cum Sethego palatino Cracoviensi et militiae principe agminibus, gressu citato, universam peragrat Pomeraniam, et Prussiam, spoliisque et exustionibus vicorum milites iubet intendere; Integra fere illic quadragesima moratus, militibus non custodientibus ieiunium legittima, magna vi captivorum, pecorisque et spoliorum congesta, Pomeranis et Pruthenis in sylvis et locis arduis se continentibus, neque copiam bellandi facientibus, ex Pomerania in Poloniam regrediebatur. In locum quoque, qui ab incolis Drzen dicitur, quem fluvius Nakiel circumfluit, pervenerat, dum speculatores a tergo relicti denunciant non contemnendam Pomeranorum et Pruthenorum multitudinem supervenisse, nec longius quinque milliaribus a castris Ducalibus abesse; paucitas suorum in Ducali exercitu per Pomeranos et Prutenos conspecta, ut arma viritim corriperent, praedasque suas reciperent, et Vladislaum Ducem nusquam alias opportunius confligerent, illis animos fecerat. Diu secum et his qui ordines ducebant Vladislaus Dux cunctatus, consereretne cum hostibus frequenti numero suas copias excedentibus manus, an se tempori meliori reservaret; Satius visum est, diversis varia et sic sentientibus, haec quoque sententia vicit, honeste dimicare, et animas effundere, quam ingloriosos et de fuga notatos reverti. Signo itaque erectis nonnullis debilioribus ad sarcinas et praedas relictis, durum inter utrosque proelium ferebatur, ancipitique Mars neutra acie inclinata spectabatur, ambigua spe, Polonine an Pomeranus victoriam carpturus, dum Pomerani in locum deficientium aut sauciatorum integris submissis, pugnam in pluribus locis inclinatam integrarent, multitudineque sua parte destinarent victoriam, Poloni militum peritia, obstinatisque ad moriendum animis impetum hostilem repellebant, Incredibile est forte quod relaturus sum, sed de eo omnes annalium scriptores consentiunt, apud plerosque aestimatum iri non dubito. Tantus utrique parti ad consequendam triumphi gloriam fuit ardor, ut usque ad tenebras pugnatum sit, cum hora tertiarum pugna coepisset. Instante crepusculo Pomeranorum acies pro victa abiit, nemo tamen abeuntem ex Polonis insequutus est, sauciatis fere omnibus, aut fessis, plures quoque erant in tam producta et intensa pugna desiderati, quam capti. Pro triumpho a Polonis habitum est non cessisse, neque praedam partam e manibus dimisisse.

Memorabili pugna certa die in praelij loco Vladislaus Regni Poloniae Dux cum suis deliberabundus, quid facto opus esset, substitit, pergeret ne ire quo coeperat, domum Poloniam, an remearet Pomeraniam, fusosque et metu perculsos Pomeranos non dato ad respirandum sed nec ad consultandum spatio, debellaret. Probabatur haec a singulis posterior via, potius tamen hosti ablatum, et frequentius in caeteris rebus praeda, vulneratorum quoque in proximo certamine numerus, et militum paucitas, adhaec insuper instans Dominicae Resurrectionis dies celebris, et tempus intempestum, redire in Poloniam inclinaverunt. Paucos tandem dies in sedibus Ducalibus, sub quibus militum frequentior, non ex Polonia solum, sed ex Bohemia numerus conduci posset, immoratus, in Pomeraniam cum potenti et numeroso remeabat exercitu, gestam pridem periculoso certamine pugnam, si Pomerani et Prutheni decernere ausi essent, non proprio tantummodo milite, sed etiam externo, plures enim sibi milites laturi auxilium donativo accepto ex Bohemia adiunxerant, illustraturus, fidentius in Superno brachio a caelisti digestus, Pomeranis inter latibula se continentibus, et discrimine pugnae prioris fractis, cum novo et recenti milite fastidientibus, Vladislaus Dux Polonorum inops consilij quo ordine bellum hostibus inferret, iam enim et propinqua et remota terrae Pomeraniae loca ab hoste et proprijs vexata, amplioris vastationem non sinebant, Castrum Nakel, ibi enim plures didicerat Pomeranos et ad tuendum munitionem, et ad faciendam in Poloniam irruptionem convenisse, obsidione vallavit. In qua obsidione Polonorum exercitus noctibus fere singulis, umbris quibusdam armatorum speciem praeseferentibus ludificatus, consurgere cogebatur in arma, somnoque soluti milites ex improviso turbabantur, quod omnia repleta hostibus crederent. Metus quoque et tenebrosa noctis caligo non patiebantur ludibrium dignoscere, et quod conturbabat animos, praefigurabat oculis, mentis quoque pavor fiebat imago visus. Et ego omnino ex no

cturno

Eturno et Lunari iubare, quod forte tunc pleno lucebat orbe, nocte concubia vel semipleno, radiosque monstruosos funderet, militumque Poloniae exercitus ferentes terga longissimas prae se porrigerent umbras, vano singuli, re ad plenum non discussa, neque ad liquidum examinata, capiuntur errore, credentesque quas ipsi faciebant umbras, hostium iam supervenientium et eos invadere gestientium esse turmas, quo timore acti corripiebant arma, arcus, gladios, tela, et sagittas, quasi extemplo cum hoste discrimen pugnae inituri. Cumque diutius hanc hallucinationem perferrent, noctium una eodem pavore experge facti, hostes consequuturi aut quidnam rei in umbris esset experturi, certatim e castris prosiliunt, longiusque quam absurditatibus conveniebat progressi, nihil aliud quam umbras et vana quaedam phantasmata se tandem consectari agnoverunt. Sub illo tamen eorum improvido de castris egressu, hostes ex castro irruptione facta, igne in stationes et tabernacula, quae plerumque stramine aut gramine desiccato operta erant, immisso, grande excitarunt incendium, quo homines aut res plures periere, machinis quoque et operibus castrorum quae accedentibus pernicies data, inutiles eas de castro reddidit. Hieme insuper quae in oris illis acrior, asperiorque premere appetebat, cum nonnullos Bohemos fames afflixisset, quosdam algor frigoris gravaret, Vladislaus Dux castri Nakiel expugnatione, quod a Pomeranis probe defendebatur, omissa, irrito coepto Gneznam redijt, ex quo mirum in modum Pomeranis creverunt animi, in magnam quoque superbiam erecti, nihil de semel arrepti rebellione laxaverant. Haec autem ignominiosa vexatio credebatur tunc Polonis propter Quadragesimalis ieiunij violationem, gulosius quam temporis ferebat qualitas, in carnium aut lactis edacitate intenta, prout quibusdam timoratis et devotis viris caelesti oraculo revelatum est contigisse

Decima nona Augusti Petrus Gnesnensis Archiepiscopus dum annis quatuor et viginti Gnesnensi Ecclesiae praesedisset moritur et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur, pusillanimis et cunctator. Cui Martinus primus nobilis genere et religione insignis, per electionem Canonicorum suffectus est, et ab Urbano Papa secundo Vuladislao Duce et Monarcha Regni Poloniae instante provisus

Febre valida Vuratislaus Bohemiae Rex correptus, decimo nono Calendas Februarij Pragae moritur, et in Ecclesiam Vuisegradensem, cuius ipse primarius fundator extiterat, sepelitur. Alij non ex febri sed ex casu ferunt illi mortem accidisse. Dum enim auidius in venatione feram insequitur, cadens de equo fracta ceruice interijt. Germanus suus Conradus iuxta illius dum viueret ordinationem, filio Bretislao, qui in exilio Vngariae agebat neglecto, consensu Episcoporum et Baronum accepit Diadema. Hic quoque cum mensibus septem et duodeviginti diebus Bohemiam rexisset, octauo Idus Septembris anni eiusdem absumptus est. Vtriusque itaque morte, patris videlicet et patrui Bretislaus audita, derelicta Vngaria, Pragam adueniens a clero et populo debito honore susceptus, octauo Calendas Octobris in regimen Regni substitutus, non tamen in Regem est coronatus. Religionis Catholicae primum se deuotum cultorem gerens, omnes veteris et superstitionis gentilium, omnes Pithones, Pithonissasque, aruspices, ariolos, et sortilegos erasit de terra, quibus sub regimine patris sui Vuratislai Bohemia abundabat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS NONAGESIMVS TERCIVS

Congesta et equestrium et pedestrium ex omnibus suis dominijs valida manu Vladislaus Polonorum Dux, Pomeraniam primo aestatis tempore repetit, et castrorum munitionumque expugnatione omissa, agros vastans, et tecta quae vel relicta vel referta fuerant, exurens, Pomerania vniuersa peragrata ad Prutenos Pomeranorum auxiliares diuertit, parique vastatione et incendio Prutenos affligens, magnum et hominum captiuorum et pecorum numerum illic comprehensum, conquisitum, secum deuexit. Ea expeditione Pomerani et Pruteni, singulis fortunis, quae illis rebellionis fiduciam ingesserant, exuti, adeo fracti humiliatique sunt, ut missis ad Vladislaum Ducem legatis, si errori eorum ignoscerent, plenam facturos se obedientiam et deditionem offerrent. Dux Vladislaus Poloniae legatis pro tempore benigne respondens, et bonum animum eos et ceteros qui seditionis causa non extiterent, habere iubens, iussit ut singuli ad eum conuenirent, reconciliationem illic suam cum domino et haerede naturali firmaturi. Quibus conuenientibus seditiosos omnes et qui rebus nouis inhiabant, aut poena capitis multauit, aut in alios transtulit principatus, ceterae multitudini pepercit.

Pomeranum bello Vladislaum Poloniae Ducem Bretislaus

Bohemiae Dux occupatum intelligens, atque ad interiora Pruthenorum cum omnibus copiis transgressum, quanto poterat exercitu collecto, Regnum Poloniae et eius terras Zarzectanas et naturales, Albae flumio conterminatas ingressus, illas igni et spoliis vastabat, vacuasque eas tunc militibus reperiens, cum hostilitatem suam Vladislaus Poloniae Dux minime suspicatus, ex omnibus principatibus suis milites in Pomeranicum bellum abduxerat, liberius eius vastationi intenderat. A castroque Grecz, supra Albam sito, quod iuris Polonorum erat, initium sumens, usque ad fluenta Odrae grassabatur, causam falso licet belli confingens, eam illam daciam quandam debitam non pendisse, re autem vera spoliis regionis ea tempestate pecore opulentae se et suorum esuriem visa opportunitate impleturus.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS NONAGESIMUS QUARTUS

Pro temerario et iniusto bello per Bretislaum Bohemiae Ducem terris Poloniae anno superiori illato, Vladislaus Polonorum Dux iustas concepit iras, parat exercitum ex singulis suis terris, auxiliatricem etiam militiam conductam ex Ungaris, Bohemisque Bretislao Duci suapte infestis, comparat manum. Quod bellum illi tractanti, et maius aliud, quod tam Moraviae, quam Bohemiae inferre ea aestate parabat, in animo volventi, subitus obrepsit morbus, nihil tamen de vi Bretislao reprimenda remittens, Setegium, qui et Seczech, Palatinum Cracoviensem et principem militiae virum ea tempestate in armis et singulis operationibus Reipublicae magni pretii, cum comparatis communibusque equestribus et terrestribus copiis in Moraviam transmittit, haec enim terrarum opportunaque ad vastandum videbatur. Committit autem Vladislaus Polonorum Dux principi militiae Setegio, ut castrorum impugnatione et civitatum omissa, obvia quaeque igni et vastatione contereret. Haec mandata Vladislao Setegio danti Boleslaus filius aderat, singulasque instructiones et monita patre edente, scrupulosius quam illius conveniebat aetati notabat, tum vero ardorem gerendi belli, quem pectus adolescentis in infirma licet aetate hauserat, continere non valens, flagitare patrem coepit, ut ad bellum Moravicum una cum Setegio mitteretur. Patre vero abnuente, unicus enim et charus erat illi, et difficultatis periculaque belli, ad quas perferendas maiorem aetatem requiri declarantem, Satis, inquit, et annorum et virium mihi est, nonum autem annum agebat, si tu optime genitor indulseris. Quo tam facto dicto expugnatus Pater, permittit illi ad bellum Moravicum cum Setegio eundi potestatem. Tanta autem Boleslai pueri in expeditione illa virtus, tanta disciplinae militaris apprehendendae solicitudo, non a Setegio tantum principe militiae sed ab universo exercitu conspecta est, ut saepe inter milites, nocturnas observantis excubias, somni aestusque parcens, integro vigiliarum tempore versaretur, et si quando somno pressus foret, sacculo tantummodo militari opertus, nuda humo teneros componebat artus. Si quando vero aut hostes propulsandi aut invadendi essent, ad primos accurrebat, dimicaturus nisi a Sethego summo inhiberetur, ordinibus pugnandique deposcebat munus, cuius nondum evaserat in potestate legittimus. Setegius ut illi a Vladislao Polonorum Duce mandatum fuerat, universa Moravia, igne et spoliis vehementer afflicta, magnam secum vehens praedam, magnumque captivorum numerum, quippe in aliquot particularibus dimicationibus de Moravis triumphaverat, Poloniam cum novo tirunculo Boleslao, universo exercitu aetatem tyrocinium Boleslai efferenti, reversus est, non solum enim tunc, sed et in ipsa mox adolescentia Ducale et Regium fulgebat in Boleslao decus, evidentique iam monstrabat expectationem de se futurae domi et militiae probitatis, fortesque et Heroica natura in tam quidem in eo quamvis ephebo latent. Qui postquam ex ephebis excessit, prima militiae arma et grave Martis opus, ad iustum Polonorum imperium propagandum augendumque induit, verba, opera, cogitationes ita moderari solitus, quasi patrem usquequaque a discerneret

Horrenda et sine exemplo eo anno Almaniam pestis invadens, adeo in singulos status grassabatur, ut multae urbes, vici, villagia, et oppida sublatis habitatoribus, deserta remanerent, Ea tamen lues propicio Deo a Polonis et eorum regionibus non senciebatur

Ordinem pro defensione terrarum Russiae a barbaris Polowczis plurimum afflictarum positivi Swantopelk Kiyowiensis, Volodimir David Ihorowicz, Wasilko Roszczislawicz, David Swantoslawicz et frater Olius Duces Russiae in Lubiecz conveniunt, et suis ambitionibus suisque passionibus increpatis quod bello intestino se collidendo invicem, barbaros Polowczos efferrent victores, communi conclusione decernunt, quod quilibet paterna sorte contentus, alterum in sua portione non molestet. Sanciunt insuper et Suiantopelk tunc at Kiyow, Vuladimirus cum filio suo Isaslao Vuladimirin, Dauid Suiantoslauicz et frater eius Olh Sirraslaui, Dauid Iherorouicz et Vuasilko Rosczislauicz Przemysl et Trebouulya, iuxta quam sanctionem foedus ictum et iuramento firmatum est, communis hostis habendus si quis illud fuerit praeuaricatus, ingenti gaudio Ruthenorum milites exhilarati, quod duces suos in tam iustam et uniformem conclusionem intellexerant uenisse, domos regrediebantur. Sed Sathan illico iecit nouum inter Russiae duces discordiae seminarium, Suiantopelk enim Kiyouiensis dux suspectam habens Vuasilkonis Rosczislauicz erga se fidem, cum Dauid Iherorouicz conspiratione facta, Vuasilkonem ad se in Kiyow in pace uenientem primum retinuit, et diu lictoribus cum prementibus reluctantem, in Zuenimgrod deductum, utroque oculo caecat, ratus eo incolumi non se et filios suos tuti sedem Kiyouiensem possessurum. Fleuit autem Vulodimir caecitatem fratris sui Vuasilkonis fletu magno, asserens nunquam tam execrandum nephas apud Ruthenos contigisse, conuentione tandem Vulodimir cum Dauid et Olh Suiantoslauicz facta, mittunt nuncios ad Suiantopelkonem Kiyouiensem, Quam grande, inquiunt, et quam horrendum facinus caecando fratrem nostrum germanum Vuasilkonem patraueris, perpendere te non dubitamus, qui etsi in te quamgrauissime deliquisset, coegissemus illum apud nos de delicto conuentum, et conuictum ad iustificationem. Qui in sui excusationem, confuso responso usus, astruebat pro certa re et explorata didicisse Vuasilkonem et in suam necem, et in suorum principatuum occupationem conspirasse. Quo responso Vulodimir, Olh, et Dauid magis irritati quam molliti, cum copiis gentium suarum erga Kiyow et ducem Suiantopelkum procedunt, Non sustinuisset eorum aduentum, facinoris conscientia eum deterrente, Suiantopelkus, fugereque in Polonicos parabat, nisi a Metropolita et primis Kiyouiensibus bene sperare iussus esset, qui occurrendo Vulodimiro, Dauid, et Olh, ducibus et exercitibus eorum humili supplicatione deposcebant, et armis depositis Suiantopelkoni et Dauid ueniam tribuerent, desinerentque in propria uiscera grassari. Fracti autem et expugnati Duces sermonibus tam supplicibus, nouo cum Suiantopelkoni icto foedere discedunt. Captatione autem Vuasilkonis Daniel non contentus, parat se ad invadendum eius principatum, sed audiens sibi a Vulodomiro fratre Vuasilkonis se progredienti praetensas insidias, in Busko se recepit, ubi a Vulodomiro illico obsessus est. Vulodomiro autem eum increpante, quod post facinus in fratrem suum admissum, non ad poenitentiam, sed in aliud patrandum scelus animum invertisset, omnem culpam in Suentopelcum refundens, astringebat se nisi fratrem suum Vuasilkonem quem captivarat solveret, in eum animadversurum. Acquievit Daniel, solutoque Vuasilkone cum Vulodomiro pacificatus est, Seditque Vuasilko in Terebovlia, Daniel in Vulodimir se recepit. Primo autem vere, venit Daniel cum fratre suo Vuasilkone captato in terram Vuolsinensem, contra Daniel castroque Vussevuolsoff conquisito, incendunt illud, et plures numero homines in castro Vussevuolsoff repertos, ulciscendo facinus in Vuasilkonem admissum, crudelissime perimunt, Applicant deinde exercitum ad castrum Vuladimiriense, et obsidione illud constringunt, missisque ad obsessos nuntijs offerunt se omni multitudini parsuros, et obsidionem soluturos, si Vuassilo et Lazarus eis dedantur. Qua conditione ab obsessis accepta, et impleta, Daniel et Vuasilko obsidionem omittunt, Vuasilkonem vero et Lazarum quod causa captivationis Vuasilkonis fuisse perhibebantur, in alto suspensos frequentissimo iactu sagittarum interimunt. Sumptionis autem Suantopelk Kyovien. Dux di Daniel, qui illic oram Vuolodo. ols, et Daniel Ducibus de captatione Vuasilkonis inculpaverat ultionem, in Brzescze se contulit, et a Polonis militibus et proceribus in castri Brzescze praesidio locatis, fieri sibi solatia contra Daniel flagitant, qui illo apud se in Brzescze degere et bene sperare iusso, Poloniae Ducem Vuladislaum quid facere deberent consulunt. Daniel autem Dux adversarius Suantopelconis Polonorum suffragia praeoccupaturus, quanta potest celeritate ad Vuladislaum Poloniae Ducem ire pergit, praesentataque illi massa auri suppliciter orat, sibi auxilium contra Suantopelcum a Vuladislao Duce et Polonis impendi. At Vuladislaus Polonorum Dux cui praestiturus sit suffragium ex contendentibus

dentibus plurimum fluctuans et distentus, congregato exercitu ex potentibus militibus in Brzescze durius premit Dauid Ducem, sperans se illum Duci Suantopelco in reconciliaturum, Dux autem Suantopelcone stante in Brzescze castro Polonorum, Dux Vladislaus ad flumen Bug statiua ponens, Suantopelconem cum Dauid componere et pacificare per tractatus secrete habitos laborabat, Quod dum fieri nequisset, in exulcerato enim Suantopelconis animo odium graue contra Dauid insidebat, honoratus magnis a Suantopelcone donis in Poloniam reuertitur, neutri Ducum contendentium sua solatia praestiturus. Et Dauid Vladimiriam obsidet, oppugnatque, etsi obsidionem septem hebdomadarum, sperans a Vladislao Polonorum Duce solatia superuentura, tolerasset. Ad extremum tamen castro Suantopelconi dedito, ad Ducem Poloniae Vladislaum fugiens, benigne ab illo exceptus et fotus et habitus est, Castro Vlodimir conquisito Suantopelk Dux Kijouiensis exercitum contra Vuolodor et Vuasilconem producit, nec illi detrectarunt pugnam, sed suis quoque copiis ordinatis, quamprimum decernere statuunt, Utroque autem exercitu ad pugnam procedente, mittit Vuasilco nuntios qui dicant Suantopelconi, Num parum existimas caecasse me, nisi et animam de corpore excludas, Quo nihil respondente congrediuntur exercitus, et utroque exercitu acerrime pugnante, multis hinc inde cadentibus, cessit Vuasilconi et Vuolodor victoria. Suantopelk cum duobus filijs suis, item duobus filijs Ducis Jaropolkonis, item Suantoslao filio Dauid Suantoslawicz et alijs militibus, qui cum in praelio vix euaserant, non persequuntur illos Vuolodar, neque Vuasilcone, neque exercitus eius, verebantur enim insidias, in Vlodimir peruenit. et Msczislao filio naturali ex concubina genito, in Vlodimir locato, alterum filium Jaroslaum ad Ungaros, quaesiturus eorum contra Vulodar et Vuasilconem auxilia transmittit, ipse in Kijouiam nouum exercitum agregaturus contendit. Colomannus autem Ungarorum Dux Jaroslai filij Suantopelconis tam precibus quam promissis pugnaturus venit cum octo millibus pugnatorum, duos Episcopos habens secum, Et castris ad flumen Vugar positis, Premisliense castrum in quo se Volodar receperat, et obsidere et expugnare cepit. Sub eodem autem tempore David a Polonorum Duce Vladislao apud quem cum vxore et familijs hospitabatur, Russiam reversus, vxore apud Volodar in Premislia relicta, ad Polowczos se contulit, subsidia, quae ei contra Swantopelcum a Polonis negata fuerant, a Polowczis petiturus. Regente autem fortuna, obviam habens Polowczorum cum Duce suo Bonyak turmam, eos in subsidium Volodar et his qui apud Premisliam ab Vngaris obsidebantur, conducit. Statiuis autem haud procul a Premisliá positis, consurgens nocte media Bonyak Polowczorum Dux vadit in propinquioris saltus et syluas, et vlulatu edito lupis concurrentibus et multitudinarium vlulatum reddentibus, Bonyak ad suos in castra reversus, armari illos, et certam sperare ex signo, quod ex luporum vlulatu acceperat, iubet victoriam. Altero, die exercitu tripartito statuto et exercitum Vngarorum prima turma, reliquis duabus latentibus invadit. Qua congressu facto, dum iuxta Bonyak Ducis instructionem victum se simulans in fugam coniecisset. Vngarorum exercitus debellatam credens, effusius illam insectabatur, Tum vero Bonyak cum Ruthenorum et Polowczorum Ducibus, residuis turmis, in terga Vngarorum irrumpens, eos confligit, et prosternit. Plurimis autem Vngaris aut occisis aut in flumine Vyar suffocatis, caeteri dum in syluas et montes diffugiunt, a Ruthenis et Polowczijs biduo illos persequentibus, aut occiduntur aut captivantur. Inter quos et Episcopus vnus Vngarorum Kuparus nomine, et plures insignes milites desiderati sunt. Colomannus Dux incolumis evasit, quatuor millia Vngarorum eo die, quatuor alijs fugientibus caesa referuntur. Castris Vngarorũ Rutheni et Polowczij potiti, Iaroslaus filius Swantopelconis cum paucis fuga evadens, ad Polonos in Brzescie, neque enim cum Vngaris habere pro ea tempestate contubernium satis tutum putans, divertit. David autem Dux ex ea victoria spiritu resumpto, castrum suum Vladimiriense recuperaturus, obsidione vallavit, Vbi dum inter obsessos et obsidentes et obsidentes crebra fierent pugna; Msczislaus filius Swantopelkonis, cui castrum Wlodimir a patre fuerat commendatum, sagittam in hostes ex castro emittens sub ascella ab hostili sagitta percussus moritur. Cuius cum mors quatriduo celata fuisset, quarto demum morte publicata, obsessi deditionem castrum Davidique amplius tabescendum fame decernebant, metu tamen, ne a Swantopelkone durius in eos animadverteretur, illos detrahente, missis ad Swantopelkonem nuntiis, in quanto et ex morte filii sui Msczislai, et ex penuria victualium, versentur discrimine, et nisi celeriter illis succurrat, dedituros se David castrum significarant. Swantopelk periculo intellecto Putatem palatinum suum ad ferendam laborantibus opem mittit, qui Wladimiriam cum exercitu, habens in sua comitate Swantoslaum filium alterius Ducis David, qui de singulis, quae in exercitu Swantopelkonis agerentur, se David opportune nunciaturum astrinxerat, veniens, statim prope castrum positis, alter dux silenti agmine castrum ingressus, in David et exercitum eius quiescentem, et nihil providentem faciens impetum, vehementer conflixit, et peremit illum, stationibusque suis potitus solvit obsidionem, et Basilio in Capitaneum constituto, Putata in Kyow, Swantoscha in Luczsko regrediuntur. David vero in Polowczos fugiens, solariis eorum impetratis, cum Duce Polowczorum Bonyak Swantossam qui cum fallendo cladis acceptae author fuerat, in Luczsko obsedit, qui fame victus de castro Luczsko excedens, ad patrem suum in Czyrnigow contendit, Wladimiriam deinde expugnaturi David et Bonyak proveniunt. Quorum adventu Basilius Capitaneus Wladimiriensis perculsus, antequam venirent, relicto castro diffugit, et David tam Wladimiriensi, quam Luczensi castris facili impendio potitus est.

Cisterciensis ordo coepit per Robertum Abbatem, et Albericum successorem eius, et videntur quasi secundarii reformatores ordinis Sancti Benedicti cuius habent regulam, iuxta quam simpliciter vivere coeperunt, curiositatibus, et abusionibus variis abdicatis, Cruciatis ordo in

gno

magno incremento in brevi tempore. Cuius tertius Abbas fuit Stephanus qui Beatum Bernardum cū fratribus suscepit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS NONAGESIMVS QVINTVS

Moravico bello Boleslaus Dux infans, ius et scientiam tirocinij sub Sethio alias Szeczechone Palatino Cracoviensi et Principe militiae Polonorum adeptus, dum nunciatum foret Castrum Miedzyrzecz versus oram Saxonū situm, per quosdam Pomeranos fugitivos interceptum, et ex illo vicinam regionem praedis et spolijs plurimū afflictari, petit sibi a patre Vuladislao Polonorum Duce dari exercitum ad castri intercepti reconquisitionem, non tironis solum, sed Ducis offitio se exhibet perfuncturum. Cum diu patrem nequicquam reluctantem multifarijs precibus fatigasset, tandem mitti se cum exercitu ad praefati castri Miedzyrzecz expugnationem pervicit, Sethio tamen militiae principi parere iussus, ne quid temerarium in his quā ferro administranda erant, aetas lasciva admisisset. Favore itaque militari castra novi Ducis mutuanti, castrum Miedzirzecz obsidione vallatum est. Quod etsi naturali situ egregie munitū fuerat, amplius tamen id Pomerani in eo reclusi imminentem frustraturi expugnationem muniverant, Imperante autem Sethio, Duce vero Boleslao, milites adhortante, castrum corona, trabibus tignisque ingenti universorū consensu septum est, et bombardae propius admotae, quarū frequenti tormentatione et castri propugnacula in plerisque locis diruta sunt, et plures ex defensoribus, latius procedente ruina, aut in vita aut in membris mulctati. Crescente vero in dies obsidentibus spe castri potiundi, obsessis vero desperatione, consilium magis necessarium quam honestum a Pomeranis initum est, et de castri deditione missi extemplo a Pomeranis ad Ducem Boleslaum et Sethium nuntij, deditionem, ut Pomerani cum singulis equis, rebus, sarcinisque suis incolumibus abire liceat, componunt. Castro Miedzirzecz in pristinum statum redacto, parique regione reddita Boleslaus Dux cum militia revertens, a Patre Vuladislao tam altam

et recentem

et virentem indolem in filio admiranti cum magna hilaritate exceptus est. Quem cum tenerrime diligeret, illiusque vernantem admirabatur indolem, saepius secum reputans quorsum indolis tanta esset evasura. Iam etenim in illo magni ingenij elucebat lumen, cuius postea in bellicis rebus et militari disciplina singularis et rara vigebat industria, in illa quoque aetate iam vehementius ad modum animi plenus ac spiritus, elato animo alta quoque et eximia spectare notabatur. Augebatur insuper in Boleslao indies virium robur, et animus in fervorem militaris disciplinae et rerum bellicarum caeterorumque agendorum exaestuabat

Quarto Calend. Augusti Beatus Vuladislaus Vngarorum Rex multis religiosis et sanctis editis operibus, cum Vngariae regnum annis duodeviginti sancte et iuste administrasset, duo quoque regna Dalmatiam videlicet et Chorvatiam Vngarico regno adiecisset, duplici iure in eum devoluta, ultimus enim illorum regnorum Rex Zoromarus propinquus et affinis suus sine liberis decedens, praefata regna Beato Vuladislao legitima successione reliquit. Germana insuper soror Beati Vuladislai, coniux Zoromari, quae marito mortuo ea gubernabat, moritura ea fratri delegavit, moritur et in Vuaradiensi ecclesia magna celebritate sepultura tumulatur. In locum eius Colomannus filius Geyssae Regis, Episcopatu Varadiensi, ad cuius titulum consecratus erat, derelicto, in Regnum suffectus est. Beato Vuladislao non relinquente liberos, et regnum Vngariae caeteris fratribus absumptis summo Pontifice dispensante gubernabat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS NONAGESIMVS SEXTVS

In Vuladislaum Polonorum Principem, usque ad ea tempora, felicibus successibus gubernante fortuna, qui et facunditate prolis, et vitae diuturnitate, opumque gloria erat sublimis et frequentia militum, bellorumque, triumphali pompa evaserat illustris, subito adversa fortuna versa est. Erat illi naturalis filius ex concubina prius quam Boleslaus filius legitimus ex Iuditha nasceretur, susceptus, nomine ex eo quod

Ducissa Juditha scelus et incontinentiam mariti perosa,
tam pellici, quam ex ea natae proli iusta indignatione erat
infesta, Zbygneus, quod signat iram cuardino sortitus. Is
in obscuro et ignoto loco alitus et educatus, propter euitan
das nouercales iras. Juditha Ducissa morte absumpta,
literis addiscendis in Cracouia applicatus est, in quibus
cum aliquantulum profecisset, pro tegenda sua et spurii igno
minia et in tempori prouidenti cum filio legittimo in par
ticipationem paternae haereditatis veniret, in Saxoniam
Duci Vuladislao ordinante deductus, in Monachum
tonsus, et Monasterio traditus est, minus vituperij et
improperij patri Duci Vuladislao, si extra Poloniam il
lum versari, minus impedimenti et obstaculi filio le
gittimo Duci Boleslao, si Monachalis sortis illum
fieri contigisset, daturus. Erant praeterea ex militibus
Polonorum plures numero in Bohemia fugitiui et exules,
qui vel aere alieno, vel iudicijs pro scelere damnati, aut
potentia et liuore Sethegij Palatini Cracouiensis pulsi,
qui authoritate, qua ea tempestate apud Vuladislaum
Polonorum Ducem solus, caeteris neglectis, pollebat, arro
ganter et superbe erga singulos usus, multos nobiles,
quos suae ambitioni obstare videbat, iniustis decretis et
iudicijs grauauerat, aut possessionibus exturbauerat,
Bohemiam impleuerant. Hos Bretislaus Bohemiae
Dux vir callidus, in perniciem Poloniae tam consilio quam
largitione subornans, suadet illis, et facilis erat apud
animos frementes et exulceratos persuasio, quatenus
Zbigneum filium Vuladislai Polonorum Ducis, in mona
sterio, non suapte, sed imperio patris contrauenire non auso,
degentem, assumant. Sibiq; pro Duce constituto vici
nam Bohemis Vratislauiensem oram occupent, non
aduersam aliquam impugnationem ex Bohemia, sed
fidum et efficax sui propositi suffragium habituri, calli
da et speciosa pro odio, quod Bretislaus Bohemiae Dux
in Polonos gerebat, magis, quam salubria et tuta dans
consilia, quippe non aliter se de Polonia, quam ciuili dissi
minata procella, vltum iri arbitrabatur. Vniuersus fu
gitiuorum et exulum grex facile verbis dolosis, spe
impletus, assensus est, extemploq; monasterio, in quo

Zbigneus manebat adito, Zbigneum inde Monachij nequicquam adversantibus extrahunt, et ut Bretislaus Bohemiae Dux suaserat Wratislaviam perducunt. Tenebat arcem et oram Wratislaviensem tunc miles et comes quidam Magnus nomine, a Wladislao Polonorum Duce, cum et genus clarum inter Polonos duceret, et probitate esset conspectior, sibi commissam. Erat tamen in Scethegij Palatini Cracoviensis odium propter multas simultates inter eos iamdudum conflatas et nutritas et ipse fervidus et proclivus. Ad hunc fugitivi et exules Sbigneum comitantes nuntios mittunt, verbaque tempori congruentia apud eum faciunt. Novimus, inquit Comes Magne, et generis maioritate, et virtutum claritate te Scethegio praestantiorem fore, multaque indigna ab eo qui et exilij et dedecoris nostri autor est, perpessum fuisse, maiora quoque, nisi tibi et nobis, quinimo et universae nationi nostrae Polonicae magna calamitate et servitute a Scethegio oppressae, et paene sub iugum missae, satius perspexeris, perpessurum. Est nobis Ducalis filius Sbigneus, et Slesiae regionis quam gubernas et ceterorum Poloniae principatuum patre iam grandaevo, et consumptioni proximo decedente, haeres et successor. Hunc una nobiscum petimus a te in arcem suscipi, et infami nostro exilio, ne in eo nos consenescere, aut desperatione, si exclusi fuerimus, conceptae, aliquod extremum patriae et generi nostro indignum consulere contingat, provideri. Quod si te nostra miserabilis non movet calamitas, moveat saltem Sbignei Principis conditio, qui et ipse consilio Scethegij in monasterium detrusus, non minore nobis calamitate et perpetuo exilio angebatur. Cuius beneficio si primis eius nunc suffragia tuleris, poteris extolli, et maior inter Barones haberi. Sed et Scethegij, quem tu insidiens, grassantes iniurias et multis bonis perniciem afferentes conatus, et furias non aliter, quam Ducis Sbignei et nostra pro te susceptione poterunt aut retundi aut inhiberi. Hac legatione a fugitivis et exulibus, inter quos plures

Erant, qui sibi stricta necessitati coniuncti erant, Comes Magnus Wratislaviensium Capitaneus, accepta, longo tempore quid ageret haesitavit. Hinc enim urgebat spes et odium, hinc repugnabat fides et honestas. In ambiguo itaque rotatus, advocatis Wratislaviensis regionis primoribus, quid facto opus sit, singulorum consilia exquirit. At illi et erant in Zbigneum, novarumque rerum studium, vehementer incensi, veriti ne eorum regioni per Zbigneum Ducem exulesque et fugitivos vis aliqua fieret, Zbigneum cum exulibus et fugitivis suscipiendum unanimi voto decernunt, iureiurando se astringentem, nihil contra patrem aut patriam moliturum. In hunc modum Magnus Comes persuasus, vir alioquin fide et humanitate egregius, et multis actibus bonis praeditus, parum sibi, parum patriae prospiciens, Zbigneum et universos fugitivos et exules excepit, et ducali hunc veneratus honore, in arce Wratislaviensi locatum, singulorum illi victualium necessaria, et his qui secum una venerant, administrat, Odium in Zbigneum hanc illi mentem adversus avaritiae vitium et sugillationis notam minus provide suggerente.

Susceptione Zbignei Ducis et fugitivorum exulumque per Magnum Wratislaviensem Capitaneum facta, et ad notitiam Ducis Wladislai perlata, vehementer in eo amaritudinis et indignationis concitavit aculeos, se contemptum apud suos iri, et bellum sibi a naturali filio et a fugitivis exulibusque, Bohemorum auxiliaribus intermixtis moveri, depromentem. Altius tamen omnis ira et amaritudo in pectori Setigij Palatini Cracoviensis insedit, qui suo odio et invidia, et multorum militum fugam, exiliumque, etiam quae apud Wratislaviam contigerat, rebellio, probe noverat celebratam, seu singulis quoque huiusmodi factionibus patratis et patrandis, non invidiam modo, sed periculum sui status sibi verebatur, altius indies militum in eum exardescente insania, et seditione, portendi. Mittitur ob eam rem in Wratislaviam a Duce Wladislao nuntius, et temeritatem Magni Capitanei, nobiliumque, et civium Wrati-

slaviensibus

tislauiensium pro admisso Sbigneo, fugitivis, et exulibus correpturus, et Sethegii excusaturus innocentiam. Is dicendi sibi copia, adstanti Wratislauiensium multitudine, facta, Mirari Ducem Vuladislaum et magis dolere declarat, cur eius hostes, filium videlicet Zbigneum, in externas oras relegatum, et fugitivos exulesque suis factis damnatos, arce et urbe exceperint, et domino suo naturali et haereditario deserto, et inconsulto, illos sibi coniunxerint. Quare et scire velle pro rebellibusne eos et patriam communem Bohemis hostibus infestis contradere proditores, an pro subditis et devotis debeat aestimare? A Magno Capitaneo, et Wratislauiensibus mite responsum Ducali nuntio editum est, Non se temeritate aliqua aut rebellione sed bono respectu promotos, neque procedendo patriae Bohemiae gratia, quorum hostilitatem, odium et vafritiem, ipsi vicinius experti nossent, Sbigneum filium Ducis naturalem, et exules, fugitivosque in suam communionem urbemque recepisse, non ut Ducalis patriaeque hostes, sed naufragii communis per Sethegium provocati, ne in patria et generis Polonici universalem contumeliam et ludibrium, in externis oris stipem alienam efflagitare compellerentur, reliquias, Se quidem ab obedientia et fide Vuladislai Ducis et filii sui Boleslai illustris, nullo pacto nulla conditione discessuros, Sethegii tamen improbitatem, et arrogantiam, Ducis sui gestus et opera depravantis, et amplius suis calliditatibus depravaturi, diutius a se ferri non posse. Cum autem Ducalis nuntius ut sibi imperatum fuit, factiones Sethegii conaretur diffuso sermone diluere, tantas iras odio Sethegii in illum multitudo concepit, ut nisi Magnus cum primoribus intercessisset, nuntius fuisset ipse a multitudine, quae iam ad lapidandum nuntium saxa corripuerat, foede violatus.

NUNCIO ex Vuratislauia reverso, et omnibus quae secum acta erant, quaeque Capitaneus Magnus, Barones, et populus, respondisset, ex ordine narratis, Vuladislaus Dux quamvis iam annis, militaribus quoque et civilibus muneribus, gravis abscessisset, vigente tamen in senili corpore animi vi, consiliique, non ultra cunctandum ratus, armis correptis, et expeditione indicta, gliscentem indies exulum et fugitivorum seditionem oppressurus, filio Boleslao Cracoviae relicto, Vuratyslauiam contendit. Castris et munitionibus et eorum praesidibus, in circuitu Vuratyslauiensi consistentibus, ad Vuladislai Ducis sui obedientiam et fidelitatem certatim occurrentibus. Cum postremo Vuratyslauiam ventum fuisset, Praesul Vuratyslauiensis Zyroslaus cum singularum Ecclesiarum, ordinum, et statuum processione, Vuladislao Duci, velut domino suo, patrono, et naturali haeredi occurrit, et ipsum debito honore usque ad urbem deduxit. Patuit et arx quam Comes Magnus tenebat. In eam quoque Vuladislaus Dux cum militia sua omni, a Magno eius Capitaneo cum omni humilitate et devotione exceptus. Ex qua postridie Sbigneus, singulique fugitivi et exules, non tam Vuladislai Ducis adventum, cuius pectus clementia refertum noverant, sed truculentiam Setegii veriti, omnium Vuratyslauiensium, ipsius quoque Magni Comitis subtracta sibi videntes suffragia, in castrum et civitatem Crusuicensem catervis tunc frequentem civium populosam, ab exulibus et fugitivis occupatam perfugerat. Paulo illic tempore commoratus, Magno, et nobilibus, civibusque Vuratyslauiensibus, quod se inconsulto Sbigneum et exules fugitivosque recepissent, clementius obiurgatis, Magno a gubernatione castri et provinciae Wratislauiensis pro commisso facinore destituto, filio suo Boleslao et Vuoislao eius curatori eam dat in tenutam, citatoque cursu filium Sbigneum et fugitivos exulesque persequuturus, exercitum in Crusuiciam deducit. Pomerani suapte Vuladislao Duci infesti, a Sbigneo adsciti, frequentes Crusuiciam suam, et ipsi rem gerere, avidi ferventi studio, aestimantes, convenerant. Prutenosque et caeteros barbaros secum adduxerant. Laetus tanta multitudine Sbigneus certam sibi de patre et patris exercitu nisi dolo suo superiorem victoriam portendebat. Quapropter nulla mora facta, patri cum septem fugitivorum et exulum aciebus, et Pomeranorum Pruthenorumque turmis obviam iens signis collatis ad lacum Goplo oppido Crusuicensi contiguum, dimicat. Exulibus autem et fugitivis pro victoria adnitentibus, tantum cruoris illic fusum est, ut lacus ipse sanguine et cadentium cadaveribus faecatus, neque se potabilem, neque piscem humano generi ad edendum aptum, diu praebere potuerit. Paucis ex Vuladislaini militibus desideratis, vulneratis autem quamplurimis, omne robur Sbignei exercitus caede immensa confectum est. Sbigneus ipse cum paucis in Crusuicense castrum diffugiens vivus in potestatem patris venit, Urbs Crusuicensis, quia Sbigneo tulerat auxilium, militi in praedam concessa est, ab eoque tempore omni opulentia et fortunis spoliata, nihil de pristina gloria, praeter solum nomen servat. Ex Crusuicia Vuladislaus Dux in Masoviam divertit, Sbigneum quoque filium carceri connexum Setsego Palatino Cracoviensi in castro suo asservandum in custodiam tradidit, plerisque nobiliarijs consulto, et illi suggerentibus, providere iam tunc magnopere satagentibus, ne cum vilissimae corruptelae pignore legittimo filio Boleslao aequale fieret commercium, paterna enim indulgentia magna in Boleslaum extabat, nec minor omnium Poloniae optimatum et procerum favor, et affectio, sperantium illum egregii animi virum domi forisque evasurum, erat enim iam tunc ferox ingenio, membris robustus, frigoris ac caloris iuxta patiens, in inferendo bello non minus quam refellendo audacissimus et vitae prodigus mortisque contemptor, in ferrum vulnusque praeceps.

Oportunitatem rei quam conflaverat Bretislaus Bohemiae Dux, ut magis valesceret, ita enim recedentibus a se Polonorum fugitivis et exulibus spoponderat, adiuturus, versus Vuratislaviam exercitualiter processit, et sub eo tempore quo ad Crusuiciam inter patrem et filium dimicatum est, eam partem Poloniae, quae circa fluminis Nissae consistit, oram inuadens, spolijs et incendijs agrestis affligebat, et castrum Bardo ad ripas Nissae situm, vacuum enim defensoribus erat, occupauit, et igni conflagrauit. Respecta autem haud procul inferius flumen Nissa descendendo rupe cum eminentijs in singulis circumquaque locis abrupta velut turrita consurgebat, quae dum in basso larga esset, ad sublimitatem coartata, speciem naturalis castri efficiebat, Hanc Bretislaus Bohemiae Dux lignorum constructione amplius communita, castrum inde extruxit, et Camenecz illud, quod nomen in praesens retinet, cum in saxo situm sit, appellat, praesidioque loco imposito, quod postea ciuitatem Boleslai filij Vladislai Ducis Polonorum admiratus, restituit, Bohemiam redit. Locus ipse sacra Monachorum sub regula Sancti Benedicti Deo militantium frequentia celebris habetur, et insignis, multis possessionibus, oppidis, vicis et villagijs per Boleslaum altum Wratislauiensem, Lignicense et Glogouiense Ducem deuotum, qui primus illic fundauit monasterium, abunde dotatus. Bohemiam autem reuersus Matzynam et Koyatham generis de Vrsouiensis erat, qui apud Polonos Rauita nuncupantur, de Bohemia eicit, insimulans eos Polonorum rebus contra Bohemos semper, praesertim tamen in bello, quod tunc inter se et Polonorum Ducem Vladislaum agebatur, fauisse, et sua singula secreta Polonis prodidisse. Bona insuper eorum mobilia et immobilia occupat, et suae camerae infiscat, Hi cum Poloniam nudi paene pannosi et omnibus rebus exuti venissent, a Vladislao Polonorum Duce benigne excepti, comitesque habiti sunt, et larga vtrisque eorum et familijs possessio attributa.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS NONAGESIMVS SEPTIMVS

Gnesnensis Ecclesiae Polonorum Metropolis, Martinus eiusdem Archiepiscopus dilatam consecrationem in eam diu molestius ferens, ad dedicandum eam, primam diem Maij constituit. Quae quo celebrior esset, Vladislaum Polonorum Ducem et Zophiam Ducissam, Boleslaumque filium

Vladislai

Wladislai et fere vniuersos Poloniae Episcopos, Proceresque
Barones, et primos Regni Poloniae, vt eam sua honorarent
praesentia, ad illam inuitauit.
Solita calliditate cum aperta vi nequirent Pomerani vsuri,
in Dedicationis praefatae Ecclesiae Gnesnensis vigilia, in
telligentes proposito suo tempus opportunius non affore; Duce
Wladislao et fere singulis Polonis, festiuitati Dedicatio
nis occupatis, castrum Santhok occupaturi, iam enim ple
rosque ex Polonis, qui in eo morabantur, pecunia corruptos, tra
dimentum de illo die ad id constituto, facere pellexerant,
intempesta noctis silentio adueniunt, et signo dato de quo
inter eos et traditores conuenerat, funibus ad castrum in
ascendunt. Verum dum se castro potitos laetarentur, in in
teriora quoque castri, eos, qui a foris proditi quiescebant, ca
ptiuaturi, penetrare pararent. Subitus illos, quo vnusquisque
eorum velut saxum diriguit, occupat terror. Vir namque ar
matus caballo niueo insidens eis visibiliter apparens,
gladium dextra manu gestatum, in quemlibet eorum confossu
rus incideret, vibrabat. Discurrebant extunc miseri Pomerani
per ignota et noctis obscurata caligine loca, quo quemque
sors et imminens in ceruice mucro depulerat, fragor et stre
pitus per gradus et caeca loca a facie persequentis delaben
tium, existimante vnoquoque ex Pomeranis se tantummodo
a persecutore pelli, exortus, etiam soporatos castellanos suo
excitauit tumultu, qui et ipsi nimio pauore expergefacti
agitare caeperunt perculsos caelesti verbere hostes, et ple
rosque trucidatis reliquos omnes comprehendunt. Suam vitam
et castrum perditum, sed protectione caelesti custoditum, me
ritis Beati Adalberti Martyris et Pontificis gloriosi, prout
dignum erat, ascribunt, suumque albi equi insessorem fuisse qui
Pomeranos castrum intercepturos agitabat, veris indicijs
cognoscunt, atque in laudem et gloriam suam obsecrationes
edunt, et vota pro seruata vita et castro emittunt, soluntque,
excelsi illum apud Deum coram vniuersis efferentes meritis,
qui in aedis suo nomini sacrandae nocte tam salubrem et neces
sariam Polonis propiciationem praestiterat

Dedicationis Ecclesiae Gnesnensis benedictione absoluta, Wladislaus Polonorum Dux, Martini Gnesnensis Archiepiscopi, singulorumque Episcoporum, et Baronum Poloniae, qui solemnitati huiusmodi interfuerant, multifariis precibus expugnatus, Sbigneum de carcere, deuotum se de caetero patri, et in eius potestate futurum, pollicentem, relaxat, et utrumque filium dato illis frequenti exercitu in Pomeraniam transmittit. Sed cum ex Pomerania nullo memorabili edito opere, discordiarum seminario inter fratres de primatu et imperio exorto reuertissent, patri amari filiorum certamen ferens, veritus eos morte sua sequuta amplius dissidio certaturos, Poloniae Regnum inter eos diuidit, et Boleslao quidem legittimo filio Cracouiam, Vratislauiam, Sandomiriam, Siradiam, et quaeque meliora cessura decreuit, Zbigneo Pomeraniam, partemque Poloniae maioris, Lanciciam, Cuiauiam, et Mazouiam assignat, omnium terrarum praedictarum usu et administratione sibi ad vitam reseruata, se absumpto sine litigio suam quilibet sortem apprehensurum

Volodimir, Dauid, et Oles Russiae Duces, Kijouiensem Ducatum vastaturi, copias in campum eduxerant, quibus statiua apud Harodecz agentibus Swantopelcus Kijouiensis Dux occurrit, fortunam belli tentaturus, communibus tandem Baronibus agentibus de pace, inter Duces actum est, qua aequis conditionibus confecta, unusquisque in sua recedit in pace

Quarta Octobris Cometes in Occidentem facem porrigens apparuit, Nimia aquarum inundatione autumnalis satio impeditur, quae sterilitatem frugum induxit.

Baptista primus Cruswiciensis siue Wladislauiensis Episcopus annis quindecim functus, pontificali officio, rebus eximitur humanis, et in Cruswiciensi Ecclesia sepelitur, cui Paulinus primus natione Italus ab Vrbano Papa secundo suffectus est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS
NONAGESIMVS OCTAVVS.

Diuisione Regni Poloniae Vladislaus Polonorum Dux inter legittimum Boleslaum, et naturalem Sbigneum filios celebrata, in Masouiensem prouinciam, cuius enim situs et habitatio ceteris omnibus sibi placidior incesserat, diuertit. Interim illi velox nuntius allatus est, Bretislaum Bohemiae Ducem copias congregasse, clandestino ingressu Poloniam et Vratislauiensem regionem inuasurum, Qui cum Wladislaus Dux filio Boleslao Vratislauiam et vicinam ei oram paterna indulgentia gubernanti insinuasset, et arma contra Bohemos resistentiam facturum expedienda mandasset, paritum illico a Boleslao est, et exercitus ad confinia regnorum deductus. In quo cum Vuoyslai Boleslai Paedagogi absentia notata fuisset, ingens suspitio inter milites Boleslai primum, subsequenter priuatum murmur, et tandem aperta vociferatio exorta sunt, vnoquoque semel ortam suspicionem augente, differentique non abs re Vuislaum in suo comitatu deesse, et alumnum suum Boleslaum Ducem in tam difficili necessitatis articulo deseruisse, Omniumque consona voce credebatur Vuislaus Boleslao deserto ad Sethegium Palatinum Cracouiensem descivisse, et vtriusque calliditate et ingenio ad agendum contra Bohemos bellum, apud quos missi exploratores cuncta omnia nunciabant, Boleslao, et sibi, Sethegij et Vuislai versutia a patre arma ad proditionem aut interitum Boleslai imperata fuisse. Grauis ceteris et infestus vtrique filio Sethegius, grauior tamen et infestior Boleslao, quippe admirandam suam in singulis, ad quae se agenda contulisset, virtutem, in suam tandem perniciem peruenturam patre mortuo, formidabat. Nec aliter quam hostis ab vtroque fratre habitus, cum omnium fere castrorum et municipiorum distributarum illis, Regni Poloniae prouinciarum in suam, suorumque fratrum, aut eadem secum sapientium, tenutam, Vladislao Duce consentiente, redegisset, interitum Ducalium filiorum, vt principatum Regni Poloniae ipse ageret,

comminui

communi assensione et fama, ab effectu ingenij vafri, incertum est, vel ab invidia exorta, vulgatus fuit, qui misisse. Ad cuius frustrandos conatus Boleslaus et Sbigneus fratres structo se foedere iurisiurandi astrinxerant, unus alteri fideliter et sincere auxiliaturus militibus. Itaque se et Boleslaum non ad bellum gerendum accitos, sed ad periculum subeundum expositos, ingeminatione continua quaerentibus, bello ocius, pro evitando machinato periculo, discedere, et auxiliatorem Sbigneum placuit accersire. Quo iuxta pactum cum festinatione adveniente, ad Vratislaviensem civitatem, ne ipsa a Sethegio vel suis occuparetur, agmine citato itum est, ubi universis regionis et civitatis Wratislaviensis convocatis militibus, Boleslaus Dux ita apud illos concionatus est. Quam late, quamque callide, et vafre Sethegij Palatini Cracoviensis grassetur temeritas et ambitio, utrumque vestrum patefactum esse non ambigo. Qui patrem nostrum, sive illius canset suum grandaevum senium, sive Sethegij dolus et versutia, ad omnia, quae libent, pertractum, et pene vinctum, et infascinatum, facile sibi principatum Regni Poloniae, castris et munitionibus sui iuris et potestatis effectis, patre nostro absumpto repromittit, et quod sine indignitate rei, vix eloqui valeo, lachrimae quoque ipsae, quas dolor et acerbitas elicit, coram cernitis, rigabat autem fletu ingenti genas, testes sunt, quomodo uterque nostrum, in spem summi Regni genitus intereat, magna providet cura, iuxtaque nostra velut immanium hostium aut barbarorum capita licitatur. In hac urbe, quae nondum sua tyrannide attacta et infecta est, nos salvari posse, propter dudum expertam fidem confidimus, in vobis spes nobis suprema videtur relicta, vestram erga nos fidem percepturi, huc nos ex caeteris locis profligati contulimus, vobis nobis sinceritatem fidei servantibus tuti, donec superimpendens Sethegij furia tonat, quiescimus, reliquas sedes Regni Poloniae declinare cogimur, comparatam illic nobis necem subituri, si autem nec hic manere haeredibus licet, in extrema abeundum est, vitaque quam eripere Sethegius contendit, salvanda exilio

Commota erant omnium ad misericordiam filijs Ducalibus ferendam viscera, tantumque apud universos et miseratio adolescentum et odium Setheij valuit, ut clamore sublato omnem fidem subditorum et devotionem Duci Vuladislao patri eorum hactenus praestitam, in eorum profectibus et commoda pollicerentur commissuros. Orant deinde ut omni mora circumscripta, eum quem contra Bohemos convenerat, exercitum amplioribus copijs augendum, ad locum, in quo pater resideret, ducant, ad Setheij improbam audaciam, antequam facti certior fieret pater, contundendam. Interim dum haec Vuratislaviae aguntur, Vuoislaus Comes Boleslai Comes advenit, et omnium quae gerebantur ignarus, mitti se in urbem petit, sedulitatem suam suo alumno exhibiturus. Sed cum illi propterea quod Setheio propinqua cognatione iunctus esset, et secum una necem Ducibus moliri pro suspecto haberetur, accessio civitatis denegaretur. Ille contra se purgare et non inimicum sed omnem honorem et gloriam alumni se summopere cupere, nihilque sibi commune cum Setheio fore differens, insequentibus odio Setheij calentibus auditus, a consortioque suus exercitus, qui ex Vuratislavia versus Sarnowiecz, ibi enim Dux Vuladislaus mansionem facere nunciatus est, procedebat. Cui se Vuoislaus satagebat coniungere, non sine sui pudoris, nihil eorum, quae in eum populares suspitio confinxerat, veritus, afflictione, perditum suam fidem suosque laboris, et non cogitato sceleris insimulatum iri dolens, exclusus.

Ex Wratislawia in Mazoviam universus exercitus sub Ducatu Boleslai et Sbignei penetrans, stativa prope Szarnowiecz vicum ignobilem, curiam illic Vuladislao Duce tenente, posuit. Res quoque inter patrem et filios, non armis, cuncti enim id execrabantur facinus, sed alternis legationibus agi caepit. Omnium autem huius litigij molem

in eo constabat consilium, ut Dux Vuladislaus pater
Sethegium Cracoviensem Palatinum a se abdicet, et a
castris munitionibusque destituat, quem Sarbonus in suam
tyrannidem, et filiorum perniciem profusis largitionibus
suasisse animum inflatum in ampliorem superbiam eri-
gentibus paraverat. Se non hostes, patrem omni studio
publice et privatim veneratum, sed Sethegij ferocis hostis
sui, capiti eorum dum ferro non licebat, licitantis, ulto-
res advenisse, Observareque patrem, ut Sethegij doli et
perfidia, qua Respublica Polonorum ad internecionem
usque perducta est, plus pendi apud illum, quam filiorum,
et caeterorum nobilium sincera fidelitas et devotio ha-
beat. Nec quoque de castris Poloniae filijs sibi successu-
ris, minus, quam Sethegio confidat. His et pluribus
instigationibus Vuladislaus Dux suggerentibus id sibi
et magnopere suadentibus Pontificibus et Ecclesiasticis
personis, qui pro tollendo omnium dissidio illud annuerant,
animo deliberato cedens, et Sethegium a se protinus
abdicat, et Sacramento se obligat, nunquam illum ad
pristinum Magistratus et officij gradum assumpturum.
Accedunt patrem inermes filij, et pronis cervicibus
debito honore patri impenso illum venerati invicem recon-
ciliantur. Discedentem posthac Sethegium Palatinum
et ad castrum Szczecow a se erectum, suique nominis
appellatum vocabulo, et pluribus fossatis atque propugna-
culis egregie munitum, tutum se illic consistere ratus de-
clinantem, biduo fratres Boleslaus et Sbigneus cum a-
gminibus militum persequuntur, extra fines Regni Polo-
niae se manus eorum effugeret illum propulsere. Non tu-
lit Vuladislaus Dux id filiorum et universorum militis
suorum decretum, sed ad labefactandum illud, in noctis
medio, dum in filiorum castris, et suo Ducali exercitus est
quiescere tabernaculo, patris persona exuta, et privati in-
duta, tribus tantummodo secretioribus servis comitatus
et in una cymba per alveum Vuislae, cum illic aquae
inflationes sunt, vectus, ad Sethegium revertitur, sua

fraganta

praesentia illius discrimen aversurus. Consternatum ea novitate Boleslaum et suum exercitum, et an ire contra Sethegium pergeret, an subsisteret, consilij inopem, id consilium ex cogitatio militibus probantibus subijt, quatenus regionum sibi paterno decreti pro sortibus distributarum, arces et capita tam Boleslaus quam Sbigneus curent apprehendere, minus negotij arcibus occupatis patri multo cum Sethegio si quid moliri vellet perfecto habituri. Et Boleslaus quidem Cracoviam, Sendomiriam, Siradiam, caeterasq; suae portionis arces, illico excepit, Zbigneum a Plocensi castro, quod magno militum tenebatur praesidio ignominiose repulsum, iam enim et Vuladislaus Dux ad illud redierat, castra aggredi pudent. Coniunctis deinde exercitibus Boleslaus et Sbigneus Plocensem arcem et urbem, Sethegium a patre sequestraturi, circumsident. Sed Martinus Gnesnensis Archiepiscopus vir licet grandaevus, mediatoris vicem inter patrem et filium aliquanto tempore non fracto et senilis corporis fatiga gerens, providensq; ne civilis nubecula gravem aliquam et diuturnam procellam in commune cieret, filios et patrem superiori conditioni arctiori sacramento et cautela obfirmata, de abdicando et nunquam reassumendo Sethegio, mitigatis utrinq; iris, pacificat, et patre pacta servante, pellitur a filijs Sethegius de Regno, et Russiam exulat. Wladislao quoq; Duci sedes a Boleslao possessa restituuntur. Qui quidem Sethagius etsi post annos plures, quibus in exilio delituerat, benignitate Boleslai Ducis restitui suffragio Pontificum et Baronum obtinuerit, potentatu tamen et authoritate, qua usq; ad invidiam sub Duce Vuladislao abundaverat, caruit. Sethegius hic palatinus Cracoviensis de genere et familia Pyenniorum erat, habens ingenium callidum, et ad omnia versatili facultati mixtum, habens et plures progeniei suae fratres, cognatos, affines, et nepotes, honores et possessiones plurimas Ducali favore, et indulgentia sibi et suis donatas, Ob quae omnia magnam affectati principatus, sive id fastus proprius, sive invidia aliena causabant, incurrerat suspicionem. Communis autem cuiuslibet Monarchiae custodia, virum aliquem magnū non facere.

Vexationem quam Ecclesiae Imperator Henricus quartus inferebat, Urbanus Papa secundus, satagens rescindere, ipsum omni honore et administratione imperiali privat. Mandans Electoribus imperij, filium suum Henricum Ecclesiae et Sedi Apostolicae fidelem et devotum ad imperium eligi. Qui dum iuxta mandatum Apostolicum Henricum filium Henrici Imperatoris praedicti elegissent, electus ipse scandala quae in Ecclesiam Dei genitor suus induxerat, et inducturus verisimiliter timebatur, summoturus, cum et patre vivente suam electionem videbat recidere in derisū, patrem captivat et in carcerē recludit

Castrum Vulodimir et regionem Vuolhimensem a Duce David occupata, Suantopelk Kyoviensis Dux recuperaturus, cum pedestribus et equestribus copijs primo vere adveniens, versus Vuladimiriam procedebat. Cuius adventum David Dux veritus, cum et in suis satellitibus fidei ambiguitatem probe nosset, castro relicto ad Vuladislaum Polonorum Ducem cum uxore et universa supellectili divertit. Suantopelk vero castro Vulodimir potitus, prosperitatem pons, casu lugubri filio suo Suantoslao, duodecima die Iunij a proprijs occiso, expertus est

ANNUS DOMINI MILLESIMUS NONAGESIMUS NONUS

Pomeranorum furia ad lacessendum Poloniae regnum accurata diligentia semper intenta, quamvis illi superioris conatus male cessissent, quietis tamen impatiens, novo nocendi genere, adversus Polonos usura, contractis utrinque copijs ad castrum Santhok accedens, intercipere primum illud dolo et fraude, et tandem spe non respondente vi aperta expugnare moliebatur. Quod dirutum utroque capto recidenti quoniam et fratrum praesidio militum erat portus et ostium Poloniae.

Poloniae Regni septum erat, et ad humanum firmamentum,
etiam situs naturalis qualitas accesserat, nihil aduerso e-
uentu Pomerani deterriti, e regione castri aliud castrum Po-
lonis nequaquam ex iusto castro resistentibus, in tam pro-
pinqua vicinitate, ut se mutuo loquentes exaudirent, ex tra-
bibus et quercinis lignis, ceteraque materia illic ad manum
suppetenti, erigunt, et vallis, fossatisque, ingenti celeritate com-
muniunt, maximum momentum rebus suis adiecturi, si
castro tam necessario Poloniis ademto incursiones pro libito
in Poloniam extenderent. Magnitudine periculi, quod a
Pomeranis timebatur, Vladislaus Princeps ad se perla-
ta, motus, mandat filio Sbigneo, ei enim ora illius por-
tio obuenerat, ut quam celerrime consurgat, et Pomeranorum
abigat insidias, et munitionem nouam a Pomeranis extru-
ctam diruat, castroque Santhok, et his, qui in illo arctius op-
pugnabantur, opem ferat. Ille etsi paterna iussa exequen-
do, illuc cum iusto exercitu accessisset, segniter tamen in singu-
lis quae agi cum hoste oportebat se gerens, re infecta confir-
matis hostium animis, suorum vero qui obsidebantur
plurimum hebetatis, discessit. Quod ubi feruens pectoris
adolescens Boleslaus filius Ducalis legittimus, praeuen-
ta iam tunc vi audacia, intellexit, fraternam detersurus
ignominiam et patriae obsessisque succursurus, cum paucis
admodum militibus illuc decurrens, magnos impetus edit.
Egressos siquidem, sua paucitate conspecta, Pomeranos, par-
uo negotio fundit, fugatque et usque ad portarum limen tam
acriter persequitur, ut parum abfuit, quin cum fugienti-
bus castrum irrumperet. Pontem deinde a Pomeranis
fabrefactum aut disrumpit aut exurit, obsidentesque par-
uo ante tempore Pomeranos, ponte effracto et ablato, noua
terruit constrinxitque obsidione. Probitatem et ardorem in
firmae adhuc aetatis Pomerani admirati, illum certatim
celebrabant, dignumque iudicabant, cui ferrum et arma tra-
danda committerentur. Sbigneum uelut pusillanimem
et hebetem in sacerdotii sortem arbitrabantur, detracta
militia, detrudendum. Castro deinde quod erexerant, con-
quisitione illius veriti immensae, sub noctis caliginem diffugiunt

Auunculus

Avunculus illius germanus Bretislaus Bohemorum Dux spectata adolescentis virtute coram se pluries recitata, delectatus, missis nunciis eum ad se venire invitavit, charissimoque affectu honoratum remisit, arcemque Kamienyecz prope fluvium Nissam sitam, quam occupaverat, ei restituit. Ita Boleslaus uno congressu duplicem hostem confecit, Pomeranum quidem congressu, Bohemum suae virtutis admiratione. Donis praeterea quamplurimis nepotem Brzetislaus cumulavit, tum propter singularem amorem, quo in eum fuerat incensus, tum quia procul dubio, indole Bolislai contemplata, et moribus, sperabat egregii animi virum domi forisque evasurum. Abeuntem longa deductione prosequutus, monuit, ut nepotes erga se et principatum Bohemiae servaret morem, nihil dubitans se sibi de caetero, animo responsurum. Ille grato et benigno reddito responso, in propria reversus, dona quae a Brzetislao avunculo receperat, singula in milites distribuit.

Stephanus Plocensis Episcopus, annis undecim in pontificatu Plocensi absumptis, vita et ipse absumptus est, et in Plocensi Ecclesia sepultus, cui Philippus Decanus Plocensis, genere nobilis, de familia Doliuitarum per electionem Canonicorum via scrutinii actam, vir consilio et aevo maturus succedit, Ad petitionem Vuladislai Poloniae Regni Ducis et Monarchae, Paschalis Papa Secundus promovit

Generali conventu Duces Russiae decima Augusti in Vuiatycze indicto, quatuor numero videlicet Swanthopelk, David, Oleg, et Vuolodor, cum suis singuli Consiliariis conveniunt, Habitisque inter se variis tractatibus, pacem mutuam ordinant et concludunt. Ad quos illic agentes David Dux literis eorum accersitus ex Polonia advenit, et dicendi potestate facta, quaerit ad quid vocatus sit, offerens se cuilibet de se querulanti responsurum. Cui Duces per Vulodimirum respondent, Tu ipse per nuntium rogasti, ut liceret tibi conventui nostro interesse, et de iniuriis quas pateris queri, en sedemus aequis auribus te audituri. Si quid habes propone. Quo se sua Saevitate, Vuladimirensi videlicet principatu spoliatum quaerente, secedunt Duces, et collatione habita, mittunt ad David nuntios ex parte Swanthopelconis Putiatam, pro parte Vulodimiri dimir Satbor, pro parte vero Dauid et Olech Therevnu, qui etiam apud illum desciverunt. Non est propositi Ducum Russiae reddere tibi Vuladimiriensem sedem, eo quod frequenter hostili gladio terras Russiae, quod nemo aliquando ante te memoratur egisse, vexabas. Non intendunt in mortem aut captivitatem tuam, aut aliquod nocumentum machinari, Et dum sat esset culpam ignoscere, etiam beneficentiam, ne in exteris gentibus, in tui et eorum ludibrium exul et profugus vageris, adijciunt Ostrog, Dubin, et Czartoryjsk Dux Swantopelk pro sua, Vulodimir centum marcas annuas, Dauid et Olg alias centum marcas similiter annuas, pro suis partibus tibi consignant. Quo huiusmodi conditionem acceptante, sedit Dauid in Bozesko, cui expost Swantopelkus ultra priores possessiones etiam Drohobusch adiecit, ubi degens absumptus est. Missi etiam sunt ex eodem conventu ad Vuolodarum nuntij qui monerent ut Vuasilkone caeco ad se recepto unum agerent in Premyslia principatum, quae conditio ab utroq repudiata est.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS.

Heroica autem Boleslai Principis, sua animosa opera etiam apud vicinas nationes iam crebrescentia, et famae vulgata, quibus futurae suae indolis efficaciam et virtutem maximis indicijs signisq insinuaverat, Vuladislaus Polonorum Dux honorare satagens, et oriens ex suo femore sydus ampliori rutilantia illustrare, non ignorans ullum alimentum honoris ad exacuendam solidandamq virtutem aeque conferre, cingere illum militari baltheo, cum tunc aetatis annum quintumdecimum ageret, decrevit. Assumptionis quoq Mariae virginis sanctissimum diem in civitate et Ecclesia Plocensi, cuius etiam honori Basilica ipsa dedicata est, constituit, curiam quoq solennem pro conferendo militari sacramento Boleslao indicit, singulos Praesules, Barones, et primos Poloniae ad solennitatem huiusmodi corrogat et invitat. Iam solennitati huiusmodi dies adventaverat destinata, invitatiq et in patres et in adolescentis honorem magno apparatu, magnaq pompa, ludos celebratum, frequentes confluxerant, Dum ſubito affertur nuntius, Pomeranos, ingenium caliditate et oportunitate temporis ſemper uſos, etiam ex ſummo di oportunitate temporis caſtrum Szantsch grauibus copijs obſediſſe, ad cuius quoque expugnationem omneis ſuos extremos conatus et curas intendiſſe. Rebantur ſiquidem Polonos et Boleslaum, et conſtituta ad celebritatem militaris baltei die, et ſubſequentis, occupatos praeſenti ſolennitate et laetitia, et a cura defenſionis aduerſis animis omnem caſtri defenſionem neglecturos, ſi interim caſtro, ſubuentione longius dilata potuerint eſſe. Tam audax Pomeranorum captum omnium ratione ſalubriter compoſitum, virtus Boleslai penitus diſſoluit. Honori ſiquidem, quo eo die inſigniendus initiandusque erat, neglecto, quod illi poſt ceſſuros ornatiusque proueniret, Pontificibus nequicquam cum reclamantibus equo velocius conſcenſo, ſe ſingulis qui conuenerant ſequi iuſſis, ad Santsch peruenit, et Pomeranos in tabernaculis quieſcentes, ſoporique in diluculo grauatos, inuadit, et inopinato aduentu territos proſternit, fundit, et obtruncat, in paruoque temporis ſpacio, omnes Pomeranorum copias paucis per fugam elapſis, aut occidit, aut captiuat, et ſequente ſe longo captiuorum ordine, in Ploczenſem ciuitatem, Patre cum Epiſcopis et grandaeuis atque emeritis militibus ſolennitatem inchoatam continuante, hoſtium cruore madens aduenit, Praedaque patri oblata, primum ipſe deinde frequens Polonorum numerus, ex ingenuis et coaeuis ſuis, his quoque qui una ſecum militauerant, delectus, a ſeme patre et baltheo cinctus, et ſacramento militari adductus eſt, ~~ita~~ et dies illa cum ſequentibus progeminata laetitia cum iuſto gaudio traducta, Laudis ſupra aetatem et modum cupidus, nullos labores, nullum fugiebat diſcrimen, omnia nihili pendens pericula, ob gloriae cupiditate et patriae quietem, decus, atque propagationem.

Ignobili et miſeranda morte Bretislaus Bohemiae Dux, vigeſima prima Decembris anni eiuſdem concidit. Dum ſiquidem ex venationibus quibus aliquanto tempore immorauerat, rediret, et prope villam Stibnam conſiſteret, venator ſuus Laurentius Lorch vocatus, Boſſey et Mutinae nobilium de Vrſouienſibus alias Rauitis, qui a Bretislao ipſo omnium bonorum mobilium et immobilium ablatione mulctati et exiliati in Poloniam diuerterant, largitione et promiſſo corruptus, lancea quam manu gestabat Ducem Britislaum adeo letaliter circa ilia proditorie percussit, ut tertia die ex concepto vulnere animam exhalaret. Huic frater germanus secundo genitus Wratislai Borziwoy in Bohemiae principatu successit.

Templariorum ordo sub hoc tempore coepit, qui prius albis usi sunt mantellis, post rubeam crucem superpositam portaverunt, Cuius primi fundatores fuerunt Hugo et Gaufridus, Beatus quoq; Bernardus regulam dicti ordinis fertur composuisse.

Urbanus Secundus cum annos duodecim, menses sex, dies quindecim sedisset, Romae moritur et in Basilica beati Petri honorifice sepelitur, Cui Paschalis secundus natione de Bleda Tuscus, qui Reginerius tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis vocabatur, qui tres antipapas vicit, Albertum, Arnolphum, et Theodoricū, in Cathedram Papalem successit

Jaroslaus Jaropolkowicz Dux Swantopelkoni Kiowiensi inferens bellum, pugna inita, superatur, quem captum et vinctum Swantopelk Kiyowiam adductum includit ergastulo. Quem expost ad instantes petitiones Metropoliti Kiyowiensis et Monachorum solutum, et nihil hostile se deinceps moliri Swantopelkoni pollicitum dimittit. Quindecima Septembris Ruthenorum Duces Swantopelk, Wlodimir, David, Oleg, et Jaroslaus, celebrato in Sthahowu cum Polowczonum Ducibus conventu, pacem conficiunt, quā ut ab utrisq; firmius custodiretur, dant inuicem obsides. Quatuordecima die Aprilis Wszeslaus Dux de Polotzko moritur

ANNO DNI MILLESIMO CENTESIMO PRIMO

Nouam Boleslai Ducis militiam, nouus et anthac ipso litero hostis excepit. Ruthenorum namq; Duces Wlodimir Nowogrodensis, David Oleb Peresslauien. Wolodar Premisliensis et Jaroslaus Jaropolkcis, abnuente et detestante huiusmodi expeditionem Swantopelco Duce Kiyowiensi, superiorum bellorum eis a Regibus Poloniae illatorum ultionem cupientes inire, et quoq; constaret vires illorum sic excreuisse, ut timore magno celsiti debeant, quam timidi, valido congesto exercitu et quadrifariam, cum uno agmine contineri non possent, dispartito, quo et populatio praedaq; proueniret, et terror multiplicatorum exercituum diffunderetur, Poloniam ingrediuntur, eamq. omni genere ultionis vastant, praedantur, et affligunt. Non parvumq. locorum spacium usq. ad fluvium Vuislae emensi, et praedarum spoliorumq. et captivorum maximum confecerunt numerum. Jamq. voti potiti, gravi et tardo gradu, gravati videlicet mancipiorum et pecorum praeda, in Russiam remeabant, cum subito Boleslaus Junior, qui in colligendis accersendisq. in id bellum militibus, omne id temporis, quo Rutheni immorati sunt, absumpserat, advenit. Ruthenosq. iam Poloniae Regni confinia transgressos, et fastu inani, atq. laetitia quod expeditionem illam nihil adversi experti absolvissent, inflatos, consequitur. Verum cum ab exploratoribus et per seipsum accepisset, vires hostium suis in notabili excedentia amplio res, et dimicationem futuram, militibus praesertim suis longitudine viae fessis, imparem, opportunitati temporis retinendi, et numero quidem in plures hostis, robore vero suos superum benignitati extare pugnandi cupidos, ac peritos, ratus, cum omnis cunctatio ne hostis a conspectu abiret, et in munitiones se reciperet, gravius dispendium videretur, accelerationem optimam duxit, nam quo essent celerius, eo ipsos repertum iri imparatiores, in noctis conticinio, quam dies Dominica sequebatur, cum Ruthenos in soporem versos haberet exploratum, in illos ruit, iussisq. militibus altum clamorem attollere, omnem eorum potentiam invadit, et trementes atq. pavidos, ut in tali casu solet accidere, Ruthenos nequicquam parum resistentibus, Ducibus primum, deinde militibus caeteris in fugam versis, fundit sternitq., Polonorum captivis captam cladem Ruthenorum magnopere augentibus. Ingenti strage edita, plurimis captivis et spoliis onustus, suis quoq. Polonis in sexu utroq. manumissione praestita, revertitur ad patrem, et agrestium quos liberaverat, et militum, quos magna hostili praeda ditaverat, efferebatur sermonibus, felicem fore Rempublicam Polonorum, tali Principe, felicem gentem cui imperitaverit, faelicia tempora, quibus Poloniae Regno prisca gloria, et omnis instauratio, decor et amplitudo, forent sine dubio proventura, felicem et beatum uterum, qui tam strenuum et fortunatum effudit bellatorem.

Pro Bohemia Principatu, in germanum trāsacto Borzyvvoy filius Vratislai ex Suantoslava Casimiri Regis Poloniae

Regis Poloniae filia genitus successerat, res inter eundem Borziwoy et Odalricum filium Conradi Ducis quondam Bohemiae filium, ad infestatas inimicitias, et arma, re in controversiam versa produxerat. Ipse namque Oldaricus sibi velut maiori natu Bohemiae Ducatum vendicans, etiam ab Imperatore Henrico, quem Ratisponae convenerat, de eodem Ducatu investitus et provectus cum aliquanto Teutonicorum exercitu, sperans plures Bohemos ad se defecturos, Bohemiam accesserat. Sed dum Borziwoy fortiori agmine circa rivulum Vuizplicza illi occurrisset, et nulla accessio Bohemorum ad Odalricum fieret, a Teutonicis apertum discrimen subire detrectantibus, et timiditatis illum arguentibus desertus est. Borziwoy novus Princeps, Bozey et Mutinae germanis sui Brzetislai percussoribus ex Polonia reversis, oppida eorum Bozey, Szarz, Mutinam, et Lunchomerzicz restituit.

Vicesima quinta Novembris Lampertus Cracoviensis Episcopus, et corporis Beati Stanislai ex capella in Ecclesiam maiorem translator absumptus est, et in Ecclesia Cracoviensi sepultus, cum annis viginti Cracoviensem Ecclesiam rexisset. Balduinum primum Gallum genere, summo Pontifice Paschali providente, habuit successorem, cum annis septem in Cracoviensi Ecclesia praesedisset. Fuit hic Balduinus Canonicus Strelnicensis, et Boleslao Duci et Monarchae regni Poloniae in grandi necessitate subvenerat, cuius patrocinati suffragio in Cathedram Cracoviensem fuit promotus. Non tamen immediate Balduinus Lamperto successit, sed annis tribus vir venerabilis Czyaslaus tenuit Cracoviensem Episcopatum, per Vladislaum Poloniae Ducem sibi colatum.

Conradus Henrici Imperatoris filius Florentiae moritur, et anno altero Henricus coronam Imperii a Paschali Papa sumit; nec multo post illum cum multis Ecclesiae Praelatis capit, et carcere recludit, unde parum post liberatus evasit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SECVNDVS.

Sexagesimum aetatis suae annum uno minus, Polonorum Dux Vladislaus Hermannus cognominatus impleturus, gravem incidit in languorem. Qui cum illum vexasset diutius, Boleslaus tamen filius suus nunquam a languentis lectulo, nisi quantum curandi patris usus postularet, discedebat. Tandem viribus corporis debilitatis, animam Creatori, quarta die mensis Junij exolvit. Adfuit suo decessui Martinus Gnesnensis Antistes,

qui eius

usque Duci deservire, et Sanctissimi corporis Christi viaticum prae stitit, et supremam unctionem. Cadaver quoque exanime, donec filii, Praesulesque, Barones et milites, ad iusta Ducali funeri exsolvenda convenirent, usque in diem quintum asservavit. Scribunt et asserunt nonnulli Annalium Poloniae Scriptores, Uladislaum Ducem Poloniae praefatum non naturali morte occubuisse, sed a filio spurio Sbigneo, qui et Sbing a Polonis cognominatus est, occisum esse per fraudem. Sed filiis confluentibus, Sbigneus non de honore et iure patri sepulchrali impendendo, sed de thesauro a patre relicto curam intenderat, solita quoque furia vexatus, litem gravem et pro tempore execrabilem cum Boleslao fratre, fletibus et maerore occupato et confecto, inchoaverat, Castrum Plocense cum suae sortis et iuris esset, etiam thesaurum illic depositum sibi tantummodo integrum cedere debere. Qua intercessione Martini Gnesnensis Archiepiscopi caeterorumque Episcoporum et Baronum sedata, officio sepulturae per plures dies vacatum est. Ducis quoque mortui Uladislai corpus in Ecclesia Plocensi choro moestissimo Boleslai filii legitimi Palatinorumque et Baronum Poloniae luctu, debito honore conditum est. Thesaurus quoque, prout ex edicto Martini Archiepiscopi, et Episcoporum Poloniae convenerat, inter Boleslaum et Sbigneum ex aequo divisus, quanquam iure municipali minus praescriptum est, legibus tamen imperialibus et communi iure gentium sancitum, ut naturales filii sortem haereditatis in regno non possint usu accipere. Sbigneoque in Mazovia, et Ploczko, sibi omnino in sorte provenerat, remanente, Boleslaus in sedes sibi a patre designatas abiit. Tunc quoque primum Poloniae Regni corpus discerpi atque scindi coepit. Tantam autem calamitatem Boleslaus princeps et nobilis parentis nobilissimum veraxque germen in patrem mortuum monstravit, ut eius decessum quotidie novarum effusione lachrimarum, et habitu vestibus atra integro lugeret quinquennio. Laminam insuper auream, paternam imaginem simul et nomen insculptum habentem, collo appendit, noctuque et interdiu gestavit, ut qui patrem vivum cerneret, eiusque adventum ad singula sua agenda figuraret, atque praesentia sua in virtutis actionibus consisteret erectior, crebro id apud se lamina aurea suggerente ingeminans atque repetens, Sermonem tuum antequam prodeat, pater enim illum exaudit, ut locus et cultus sit circumcide, Opera tua ut iustitiam et veritatem redoleant, et uno tenore percussa sint, pater enim singulorum inspector adest, via regia dirige, et in singulis

quae vel

quæ vel meditando, vel fando, vel operando, egeris, Deum præsentem magno metu, sapientiam præstanti, vereare. Talibus documentis, quæ suapte pectus ingenuum spirabat, Boleslaus eruditus, in brevi in virum solertissimum et perspicacissimum, clementia Salvatoris illum dirigente evasit. Armorum et equitandi peritus, laboris ultra fidem patiens, eloquio nitidus, in iudicijs strenuus, pietate præstantissimus, gubernatione regni præcipuus, in bellicis actionibus et victorijs semper clarus, ultra autem militaris gloriæ laudes, plurimæ in eo fulsere virtutes, fides, prudentia, et industria, circa omnes largitas, læta erga calamitosos et inopes miseratio semper prompta, patri Wladislao non absimilis, ceterum disciplina rei militaris longe peritior, copijs apparatuque longe opulentior, insigniorque liberalitate animi, facilitate morum, et dexteritate ingenij copiosior.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS TERTIVS

Egregiam operis nostri partem, in quam divinitate propitia utcunque perventum est, inchoaturus, id primum mihi præfari libeat, quod et plerosque rerum scriptores in vestibulo suorum operum professos memini, Tempora me et bella memoranda egregij et miræ felicitatis atque energiæ Ducis Boleslai Polonorum Monarchæ descripturum, cuius pectus tam fuit ferox in aggrediendo, animositas tam constans in agendo, celeritasque tam prompta in conferendo, liberalitas in largiendo, iustitia in iudicando, modestia in devictos, clementia in afflictos, commiseratio in calamitosos, urbanitas in hospites, æquitas et pietas in subditos, quemadmodum memoria multorum authorum literis proditum, adeo ampla et immensa, ut inter Polonorum Reges et Principes neque civilior, neque Dux peritior, neque miles audacior, neque victor felicior, neque patriæ amator ferventior, neque iudex iustior illo unquam memoretur extitisse. Septem et quadraginta prælia constat illum confecisse, in quibus adeo prudenter et animose versatus est, ut fere in singulis insigni sua plerumque virtute triumphaverit. Incurvat illi os extremitate quadam ad gratiam magis quam deformitatem producta curvitas, ob quam Boleslaus Krzywousthy id est indirecti oris est agnominatus. Tantas autem in præclaro Principe virtutes sola credulitas viciaverat, cui etiam in apertis et expertis rebus tam se obnoxium substraverat, ut actionibus suis aliquin gloriosis et magnificis, aut levitatis notam inustam, aut confusionis ignominiam constabat permixtam. Altero post obitum paternum anno, Praelatis et Baronibus Poloniae, diu cunctantem renitentemque et aetatem nondum maturam opponentem, cogentibus, uxorem Principis maioris Russiae filiam, Swantopolconis Ducis Kyoviensis Sbyslavam nomine, virginem forma et moribus illustrem, quamvis alter alterum quarto consanguinitatis gradu quo contigerent, accepit, verentibus Consiliariis ne tam nobile germen non relictis frondibus exaruerit. Nuptiarum celebritatem Cracoviae sextadecima die Novembris acturus, Sbigneum fratrem naturalem, quem plus quam germano affectu diligebat, et in quem charitatis et venerationis officium, quod patri praestare solitus erat, contulerat, ad illam invitat. Qui etsi pro honore fraterno ad illam venire pronum se obtulerit, illico tamen pecunia accepta Bohemiam se contulit, et tam Ducem Bohemiae Borziwoy quam nepotem suum Swantopelk, et praesenti pecunia et futura permissione inescatos arma contra Boleslaum sumere, et Ducatus suos invadere induxit. nullum aptius tempus eo quo Boleslaus Polonorum Dux nuptiarum solennitati vacaverit, [illegible] ad invadendum suos principatus inventurum. In Grecziam usque Bohemorum pervenerant, murmur quoque Bohemorum et indignatio exorta erant, quaerentium se ad iniusta bella, ex quibus ad solos Principes locupletatio, ad se tenuitas perveniret, cogi. Rem in seditionem verti timentes, et Borzywoy et Swantopelk Duces in Bohemiam Sbigneo ignominiose deserto, vana tamen spe impleto, alio se tempore sui desideriis morem gesturos, revertuntur. Boleslaus impedimento hostili, quod illi fratris invidia excitaverat, Bohemorum militum secessione solutus, magno sumptu et pompa nuptias egit, sedecim quoque diebus integris, quibus nuptiarum celebritas tendebatur, amplitudine sua digna munera inter convivas et invitatos distribuit, Consanguinitatis impedimentum, quod inter eum et novam sponsam vertebatur, Paschalis Papa secundus, Balduino Cracoviensi Episcopo procurante, Apostolica dispensatione sustulit. Bohemica repulsa Sbigneus accepta ad alias rursum molitiones animum inducens, Pomeranos, Prutenosque et quoscunque alios adire festinat, in bellum et arma illos contra Boleslaum Ducem Polonorum inducturus. Ambitus enim ad occupandum Poloniae regnum universum et livor in Ducem Boleslaum illos sibi subministrabat spiritus, cum illum iusta

matri familia

matre famulae ortum, se pellici; illum favore et charitate Polonorum, magnum, se invisum et contemptibilem, esse nosset. Nullam itaque sibi spem in adeptione Regni, nisi in scelere relictam ratus, ad id omnes quos poterat conatus intendit, et germanitatis obliterata memoria, non insidiatoris modo, sed Hostis manifesti personam induens, noctes diesque insidiari illi coepit. Calvities enim et hirsuties naturalis sibi genus, quod se inferiorem materno latere cernebat, cum studio suo per fraudes et dolos excogitatas insidias non desinebat extruere Boleslao, non aliter se nisi Boleslai interitu dedecus originarium existimans depulsurum. Videns insuper favorem et dignitatem Boleslai apud omnes validam fore, sibi nullam spem Regni nisi in scelere ratus, ad id unum omnes cogitationes curasque suas intendere coepit, nec illum metus a periculo, aut ratio a furore revocabant, furtiva creatus sobole, qui de matre erubescere debuerat, principatum appetebat.

Pacta cum Ducibus Russiae firmata, violantibus Polonicis, terrasque Russiae excursionibus et spoliis assiduis vehementer vexantibus, conventu apud Kijoviam Ducis Russiae octava diei Aprilis celebrato, expeditionem contra Polonicos aestate non expectata gerendam indixerunt. Milites autem Ruthenorum etsi non convenire in tempore hyberno geri bella asseruerent, et gravari se plurimum per indictam expeditionem quaererent, Duce tamen Swantopolco Kijoviensi dissentiente, cum eo hoste ipsis bellum esse, qui nequaquam observatis temporibus assidue illos infestat et cui per omni tempore resisti oporteat, expeditio hyemis medii tamen universali consensu accepta est. Ad quam communibus viribus et armis Ruthenorum Ducum et populorum gerendam, David et Oleg Duces, qui conventui Kijoviensi non interfuerant, vocarentur. David quidem vocationi paruit, Oleg vero aegritudine simulata venire contradixit. Vladimirum itaque cum suis copiis praecedentem, Swantopolk Kijoviensis Dux, David Swantoslawicz, David Wseslawicz, Msczislaus nepos Hworij, Wiaczeslaus Jaropolczicz, et Jaropolk Wlodimirowicz Duces, unusquisque cum gente sua equis et navibus vecti sequuti sunt. Egressi autem de navibus, conscensis equis et curribus ordinati venerunt in Schutow. Quorum apud Polonicos percrebrescente adventu, congregantur Polowczij in maxima multitudine, cum Ruthenis quos iam vicisse et subegisse crediderant, dimicaturi. Suadebat autem unus ex Ducibus Polowczorum Russoba nomine Polowczijs ut certaminis animo omisso, pacem potius, cuius ipsi violatores extiterant, a Ruthenis, in grandi exercitu venientibus flagitarent. Qui etsi ~~salutem~~ salutifera suaderet, argumentis tamen Russobam de ignavia et metu notantibus ceteris auditus non est, profitentibus se et Ruthenos qui advenerant debellaturos, et tam terras quam munitiones eorum occupaturos, nec superesse quenquam ea potentia praeditum, qui Ruthenos ab eorum invasione sit salvaturus. Quo tam superbo et feroci dicto Ruthenis et Ducibus eorum cognito, pro consequenda ex alto victoria, frequentibus votis se promittendo templis et Monasterijs largitiones amplissimas, Dei clementiam precabantur. Althonoga autem vir in armis fortis et strenuus, cum alijs non paucis ad speculandum a Polowczijs praemissus, a Ruthenorum speculatoribus interceptus, nullo valente effugere, cum omnibus comitibus suis occiditur, quae res, velut de summa belli Ruthenos pronunciasset victores, animos Ruthenorum erexit. Polowczij itaque in magna multitudine, quam nemo Ruthenorum poterat aut circumspicere aut estimare, in aciem prodeuntibus immisit divinitas pavorem et terrorem in illos, et occupati trepidatione et pavore, antequam in congressum cum Ruthenis venirent, non ipsi modo, sed et equi eorum cespitare, maroremque quendam praeseferre coeperunt. Rutheni e contra ordinati et cum magna alacritate, equis etiam eorum in laetitiam effusis frequentius hinnientibus ad bellum prodeuntibus, Polowczij solo eorum conspectu perculsi et debellati, pugna omissa, terga vertunt. Caedes itaque non certamen fuit, et fugientes Polowczos passim trucidabant, viginti Duces Polowczorum eo praelio caesi, videlicet Russoba, Kocza, Arszlanopa, Kithanopa, Kumana, Azupa, Kurtsaka, Czenyedrepa, Surbor, et plures alij, multa millia caesa, multa capta. Castris Polowczorum Rutheni potiti, ex auro argento, gemmis, pecoribus, camellis, et alia varia suppellectile illic reperta, Ruthenicus exercitus affatim ditatus onustus, multis spolijs, et multos Polowczorum captivos ducens, victor in Russiam rediit. Fecitque Deus in die illa magnam salutem Ruthenis, graves et infestos hostes Polowczos tradendo in manus eorum. Procedente autem tempore eius dem anni terrae Russiae a Ruthenis et Lithuanis vastatae sunt.

Volunt et nonnulli annalium Poloniae historiographi eo tum primum anno et non M.LX.V° quemadmodum in superioribus narravimus, Mieczslaum Ducem filium Boleslai Poloniae Regis, confirmata apud Crusuiciam ubi tenebat sedem, monasterij in Mogilno per patrem suum fundatione, simul cum Eudoxia coniuge sua secundo Idus Martij veneni quod forte una die simul hauserant, extinctum esse. Cuius confirmationis apices originales in ipso Mogilnensi Monasterio in Pargameno exaratas, ego legi vidi et tractavi.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVARTVS

Hostilitate, quam adversus se Boleslaus Polonorum Dux, affines suos Borziwoy et Conradum Bohemiae Duces, ad Sbignei fratris sui suggestionem machinatos, sub diebus nuptiarum suarum aggraverat, vehementi offensione provocatus, nec suggestori tantummodo Sbigneo, quantum Conrado, is enim, Borziwoy Duce Bohemiae bellum Boleslao inferendum sagacius declinante, ardentius id geri expetebat, iratus, milites magis praestantes et veteranos in arma evocat, et valido exercitu ex proprio tantummodo milite congesto, praeficiens illi in Ducem et principem militiae Comitem Zeleslaum, in Moraviam quam tunc Swantopelk velut sorte suam haereditatem possidebat, transmisit. Tanto autem ad ulciscendum Swantopelkonis hostilitatem ferebatur ardore, ut tempore belli apto non expectato, in quadragesimae diebus expeditionem ipsam militem agere iusserit. Ne tamen expeditioni huiusmodi personaliter interesset, aegre a Consiliarijs exorari potuit. Zeleslaus itaque Princeps militiae, triplici agmine, ita enim erat illi a Boleslao Duce imperatum, Moraviam ingressus, incendijs spolijs et praedis non in Quadragesimae solum diebus, sed etiam festum Paschae sequentibus grandi incendio afflixit, et universa fere Moravia absque aliquali resistentia peragrata, praedarum et captivorum magnis turbis maximoque numero onustus Poloniam remeabat. Iamque locis quae Poloniam a Moravia disterminant, proximus erat, dum et exploratorum et speculatorum denunciatione certificatus est, Swantopelkonem cum exercitu frequenti plus de pedite quam

equite

equiti habente, se insectari, nec plus duobus milliaribus a se castra posuisse. Sistit ideo gradum Zelislaus, et imbecillioribus infirmisque cum captivis, praeda, et spoliis praeire iussis, quatenus futura dimicatio expeditius iniretur, ipse aciebus instructis, milites ~~paucis~~ paucis, ut cum hostibus iniantibus fortiter decernerent, hortatus, in statuis hesterna die habitis Swantopelconis adventum cum universo Polonorum exercitu alacriter operiebatur. Advenit tandem Swantopelk Moraviae Dux et irarum fellisque pro sortis suae Moraviae exustione plenus, bellum animo infesto conserit. Suae et suorum virtuti plurimum confidens, nil casui reservabat, secundosque sibi destinans successus, quasi non et in altera parte viri aeque pugnaces fuerint. Magno impetu ab utrisque concursum est, maiori tamen vi, usque ad vesperarum horam, cum in tertiis coepisset pugna, gerebatur. Et utraque parte pro victoria adnitente, fuso utrinque multo sanguine, plurimisque hinc inde aut cadentibus aut vulneratis, aequo Marte utraque acies, haec in Poloniam, illa in Moraviam ex infesta palaestra rediit. Swantopelconi et Moravis ultra maerorem, quem pro his, qui in praelio ceciderant habuerat, etiam is quod praedam a Polonis non excusserant, accessit. In hoc certamine Princeps Zelislaus ~~dum~~ militiae, et Ducis et militis officio egregie functus, dum in locis aliquot pugnam restitueret, manum dextram amisisset, amputatorem illius laeva occidit, pro qua illi ob virtutis insigne Boleslaus Polonorum Dux damnum manus suae liberalitate ampla obtulit resarciturum, nec oblatis fides defuit, quoniam et donationibus munificis illum locupletavit, et pro carnea amissa, manum illi auream fabricavit, cuius simulacro usus fortitudinis suae famosior magis quam vera manu fuerat conspectior, plures et alii Poloni in huiusmodi praelio aut desiderati aut vulnerati sunt. Quae plaga creditur propterea Polonis accidisse, quod diebus Quadragesimae esu lacticiniorum violatis, etiam in die Resurrectionis sanctae quaedam infanda scelera patraverant. Maiorique gloriam victoriae miseris Polonis quam laetitiam habuit. Indignum siquidem videbant sibi et deforme Boleslaus Poloniae Dux simulacrum manus aureae Zelislauo Principi militiae non reddere, qui pro suo imperio fortissime dimicantis, acie oculum amisisset. Omnes autem Ducalium suorum introituum sumptus, in nullam, ut caeteri convertebat voluptatem, sed ad equos, ad arma, et quam liberalem militiae et artis imperatoriae suppellectilem, pro qua una adipiscenda, maxima cura, studio, conatu, et adeo flagraverit, ut nulla unquam ipsum occupatio avocaverit, labor distraxerit, discrimen deterruerit. Nec Poloni alio Duce ad capessenda pericula plus audaciae ostenderunt.

Swanthopeltonem Moraviae Ducem de novo insectaturus, ea quae Boleslaus et exercitus sibi commissus egerat parum probans, alio rursum valido exercitu magis potenti, Boleslaus Polonorum Dux Moraviam per Alpes Poloniae confrontatas ingreditur, per quas etsi in eam iter difficile fuit quamvis et inviatio, ipse tamen primus ferro et igne iter illud patefecit. Ad illius adventum universi agrestes fuga dilapsi, aut in munitiones se cum fortunis suis conferunt, aut in sylvis et abditis locis se recondunt, intelligebant enim dominum suum Swanthopeltonem priori certamine satis debilitatum, Boleslao Polonorum Duci cum recenti et fortiori agmine advenienti, decernereque aestuanti, nullatenus occursurum. Libere itaque vastitate Moravia, ampliori etiam incendio afflicta, incolumis, et nullam Moravorum resistentiam expertus, cum exercitu novis spoliis ditato, redijt

Summi Pontificis Paschalis secundi Nuncius cum potestate legati de latere, Gualdo Episcopus Belvacensis in Poloniam Boleslao de Moravica expeditione redeunti venit. Qui a Boleslao comiter exceptus, Polonia visitata, prout a Summo Pontifice iussus erat, Ecclesia, et rigorem iustitiae in sceleratos Ducis Boleslai illum animante acriterque assistentia, duos provinciae Gnesnensis Episcopos culpa exigente damnavit, et suis per sententiam depositionis privavit sedibus. Qui tamen hi fuerint, et quarum Ecclesiarum Episcopi, vario et diligenti in quibuslibet annalibus scrutinio facto, legisse me non memini. Reor tamen ex coniectura credenti, quod unus Episcoporum depositorum fuit Czyaslaus qui Cracoviensem Episcopatum nulla summi Pontificis authoritate, sed sola Ducis Poloniae Wladislai donatione detinebat

Editus est a Ducissa Sbislauua consorte Boleslai in anni huius fine infans egregius, quem praefatus Gualdo Episcopus Beluacensis cum alijs Polonorum Episcopis in Cracouiensi ecclesia de sacro fonte leuauit, qui patre iubente auitum nomen Vuladislai accepit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINTVS.

Secretam et cautelosam expeditionem paucis consciis in Pomeranos terminos principatum suorum, Zbigneo eos ad id crebris, clandestinis tamen ambasiatis, et promissionibus incitante, lacessentibus, Boleslaus Polonorum Dux a certis copias equestres tantummodo in Glogow, specie expeditionis in Bohemiam, qua et Sbigneum et Pomeranos fallat, iussit conuenire. Omnibus tandem quae illi expeditioni rebatur sufficere comparatis, exercitum per quinque integros dies, per syluarum opaca, et calles inuios ne propositum suum prodi posset, versus Cholberk ciuitatem in ea tempestate opibus famosam duxit. Cumque sextis stationibus propius eam accessisset, militibus ex itinere fessis, quietem aliquam daturus, curare illos primum animas sacro Eucharistiae viatico, deinde corpora iubet. Septimo die qui in Sabbato obuenerat, officio Sanctae Mariae, in cuius deuotionem singularius ferebatur, expedito, diluculo ad Cholberg incautos oppressurus accedit, flumenque quod circa urbem decurrit, tunc inflatiores solito vndas habens, pontibus non requisitis, ne suus ab hostibus dignosci posset aduentus, cum vniuerso exercitu tranat. Diuisoque trifariam exercitu duas cohortes in subsidijs locat, ne Pomeranorum a tergo adoriretur subita inuasione, ipse cum tertia vrbem inuadit, aggreditur, et oppugnat. Jam plerique milites effractis portis iter caeteris ciuitatem transeundi effecerant, sed maiore parte militum ad diripiendam suburbanam praedam, quam ad vrbis impugnationem, magis discurrente, et intenta, milites qui ciuitatem intrauerant, conspecta eorum a ciuibus paucitate, obsistenti multitudini retrocedere non sine grandi periculo sunt compulsi. Pomeranorum Dux qui tunc in Cholberk morabatur, ne in Boleslai manus viuus veniret, inter hunc tumultum fuga delapsus est. Magnis ex post conatibus

Boleslaus Colberk expugnare adortus, castigatis militibus, qui praeda viliori occupati, opportunitatem benegerendae rei exequi neglexerant, in pluribus simul locis impugnationem urbis instaurat. Fessis autem aut vulneratis novos et recentes succedere iubens, circa oppugnationem civitatis casso labore usque ad vesperam cunctis constanter moenia sua tuentibus, immoratus est. Videns tandem conatus suos militibus nequicquam proficientibus, et ad ultimum fatigatis, recidere in irritum, receptui signo dato, suos ab oppugnatione urbis revocavit. Suburbioque tum primum militibus in praedam dato, illoque et locis pluribus in circuitu conflagratis, magnum captivorum numerum secum vehens, in propria rediit, intelligens oppidi Colberg conquisitionem sibi fato tunc adverso subductam.

Brevi quiete, postquam a Colberg recessum est, ad expediendum arma et curandum corpora militibus a Boleslao permissa, alteram in Pomeraniam cum eodem expedito milite, quo circa Colberg usus fuerat, expeditionem aditurus, dum aestate illa nullo amplius belli munere vacaturus crederetur, remeavit. Swatsobor orae maritimae princeps et Boleslai vasallus, Boleslaoque consanguinitate iunctus, a Pomeranis in captivitatem coniectus, sui siquidem milites et subditi iniustum eius imperium perosi, illum de dominio exturbaverant, vinctumque Pomeranis velut hostibus infestis tradiderant, brevi illum existimantes Pomeranos extincturum, expeditioni praefatae secundae in Pomeranos causam praestiterat. Hic siquidem dum longo tempore carcerales apud Pomeranos sustineret molestias, per literas et crebros nuntios Boleslaum suppliciter fatigat, ut sui misertus calamitosum eum esse, et in horrendo carcere mori, pro necessitate communis sanguinis non sinat. Boleslaus etsi probe noverat Swatsoborem maioresque suos et omnem progeniem sibi et suis progenitoribus nunquam puros sed semper in fide fluxos et vafros extitisse, suapte tamen Pomeranis infensus, per occasionem liberandi Swantsobori sui vasalli, Pomeraniam ingreditur, missis, qui nisi Swantsoborg redderetur, Pomeranis denunciarent bellum. Pomerani autem non belli denunciatione, sed adventu post denunciationem Boleslai tam repentino et insperato perterriti, vastationem sibi et terrae suae impendentem providere cupientes, Swatoborium de carcere solvunt, et usque ad castra Boleslai perductum, Boleslao restituunt. qui vitam et libertatem sibi a Boleslao praestitam publica voce professus, dignationi suae multiplices gratias agens, fidior de caetero in subiectione sua permansit

Henricus Quintus Romanorum Rex mandato et ordinatione Papae Paschalis secundi, Henrico quarto Imperatori ob rebellionem in sedem Romanam deposito, suffectus, congregatis pluribus ex imperij terris bellatoribus, Saxoniae terram ingressus eam ditionis suae facit. Et plures Principes, Episcopos, et Barones Almaniae ab obedientia Henrici Imperatoris genitoris sui avertens, in suam ditionem inclinat, resistentes destituit et expellit. Ad quam restitutionem dum Imperator Henricus alterum exercitũ erga filium comparasset, regno quoque Almaniae miserabiliter diviso, ferro flammaque Almania crudeliter vastaretur, in ripa Rheni fluminis, particulare bellum commissum, tam pater quam filius confecit. Intelligens autem Henricus Rex patris sui Henrici Imperatoris praecipuas vires in Borzywoy Bohemiae Duce, et Marchione Leopaldo consistere, magnis donis et promissis utrumque corruptum, patrem linquere, et sibi adhaerere coegit. Quibus abscedentibus Henricus Imperator decernendi voluntate omissa, in arces, dissoluto exercitu, recessit, ab eoque tempore res filij prosperari, patris sensim coeperunt diminui

Ad Bohemiae principatum obtinendum Conradus Moraviae Dux, filius Ottonis, filij Wratislai primi Regis, vehementer aspirans, inducit in animum, ut patruum germanum Borzywoy, cuius possessionem pacificam nactum, ab illo deiciat. Quod illi non solum propria ambitus, sed quorundam Baronum Bohemiae, qui rebus novandis studebant, prava persuasio suggessit. Exercituque notabili congesto Bohemiam ingreditur, pluresque Bohemi, Borzywoy deserto, ad illum defecerunt. Quorum defectione elatus, et totius Bohemiae sibi principatum destinans, celerius ad caput Bohemorum, civitatem videlicet Pragensem

comprehendendam

comprehendendumque festinabat. Respondisset autem spei suae plenius effectus, nisi Borzywoy Pragam veniens, et praesidio fraterno in illa locato, castroque Vuissegradensi fidei Hermani Episcopi Pragensis commisso, rebus suis tempestive providisset. Quamvis autem Swantopelk cum sex legionibus Pragam venisset, a Pragensibus tamen portas ei claudentibus, exclusus, in Moraviam abijt. Quem etsi Borzywoy abeuntem fuisset consequutus, distulit tamen cum illo, quamvis superiorem se numero militum videret, decernere, ambiguitate fidei Bohemicae, ne desertus in nepotis manus incideret, deterritus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS SEXTUS

Vacationem militiae et bellorum consiliarijs impellentibus, Bolislaus Polonorum Dux, suae tantummodo personae assumens, et civilia dominiorum negotia pertractans, Scarbimirum nobilem virum in armis strenuum, et expertum, in principem militiae creans, ipsum cum equestrium et pedestrium copijs in Pomeraniam transmittit. Qui cum quasdam munitiones, castella et oppida ignobilia, munita tamen primo impetu cepisset, magnum inde captivorum et spoliorum numerum congerens, in Poloniam deduxit, eodemque itinere quo venerat Pomeraniam reversus, castro Bitslom militum magna audacia conquisito, viris nonnullis praedatis, et incensis, cum nemo ex adverso appareret, iterato Pomeranorum spolia in Poloniam intulit, et ad Ducem suum Bolislaum cum nonnullis militibus, his praesertim qui ordines ducebant, de rebus a se in Pomerania gestis relationem facturus, venit. Bolislaumque ab uno ex suis militibus, dedicationem Ecclesiae villagij sui et nuptias sub unis expensis agentem, invitatum, inter convivas offendit. Laetitia Bolislaus de Scarbimiri et suorum militum felici reversione repletus, prandio expleto, senibus in convivio relictis, ipse Scarbimiro et centum iunioribus militibus assumptis, ad sylvas, in quibus ferarum multitudinem constabat accubasse, venationi daturus operam, ne virtus ex otio relanguesceret, processit. Sed ferocioris feris Pomeranos illic reperiens, quippe post Scarbimiri versum in interiora Polonorum furtim se glomeratim diffuderant, et multos ex Polonis, incautius se gerentes, occupabant, in eorum pene agmen, ni ex signis et equis cogniti fuissent, incidissent. Adversus apparatum tot terribilium cuneorum, tot distringentium gladiorum, rectos oculos tenuit, nec aliquid ex vultu mutavit, quid tamen ageret dux et miles inclitus, fugeretne an pugnam cum gravi multitudine conferret, quove gradum verteret, nesciebat. Cum tandem fervens spiritum ad moriendum magis quam fugiendum destinasset, paucis comitibus ne se in ea necessitate desererent, sed potius honestam mortem secum una appeterent, currentique in animas multi effudissent, adhortatus, ipse primus ante suos omnem illam Pomeranorum tribus hominum millibus constantem, adoritur turbam, perforat, scindit, et ense caede hostium cruentato, universum hostile penetrat agmen. Rem incredibilem ausus, quam nisi adiuvisset fortuna, plus temeritatis habitura foret, quam gloriae. Et dum altera vice eandem penetrationem ingeminasset, multosque ex hostibus velut leo furibundus stravisset, tertio iam suis hinc inde aut fractis, aut dissipatis, et tantummodo quinque militibus secum relictis, dum eandem penetrationem vellet repetere, unus de quinque superstitum numero, equi Ducalis vulnus vesicam in terram defluxisse, exclamat. Noli inquit clarissime Princeps in apertum discrimen non te solum sed totam Poloniam proditurus, prodire, sed meliori tempori te reserva, parceque tibi, parce et patriae, quam, si nunc tibi peperceris, conservas, integro quoque equo meo conscenso, ex manifesto te subduc periculo, me hic mori satius est, quam te spem patriae, in quo vita singulorum inclusa est, occumbere. Haec vociferantem Ducalis equus moribundus sessorem suum Inclitum Ducem Boleslaum quasi noluisset, quem tulisset, placide deposuit, qui equo militis conscenso pedetentim in partem vix triginta militibus, saucijs tamen singulis, ad illum confluentibus, declinavit. Scarbimirum quoque principem militiae vulneribus confectum, et dextro oculo in pugna mutilatum reperiens in locum ex quo processerat totus ad hostium caedem anhelans, et fremens, Pomeranis abeuntem sequi non ausis, regerebatur. Quam omnis turba eorum qui in continuo resederant, pugna quae gerebatur, audita, ex continuo raptim armis correptis, Duci suolaturi auxilium, procedentes, in medio itinere excepit, et cum magna hilaritate, quod saluum illum, quem captum aut occisum putauerant, recepissent, in communis locum perduxit. Sic temeritas victoriam inuenit, et euentus periculum in gloriam vertit. Cum autem de clade taliter sequuta, rumor falsa quaedam veris immiscens, fuisset intra Poloniam vulgatus, fit ad Ducem frequens omnium ordinum saluum eum videre gestientium concursus, cumque ab omnibus certatim temeritatis argueretur, frequentes enim et in galea, et in armis, et in corpore ictus, disruptiones, rimae, et fissurae, magnitudinem periculi, in quo versatus fuerat, eo etiam reticente, depromebant. Nihil, inquiunt, estimamus vilius, quam fortitudinem tuam dimicatione temeraria infundi, et illic eam consumi, ubi non potest ostendi. Indignum facinus, et saeculis volituram fabulam, si in tam ignobili dimicatione occidisses. Aliud, inquit Dux, carpendi et obiurgandi me sufficit vobis tempus, nunc vero si vulneribus et laesionibus, si morte meorum militum, et fratrum vestrorum mouemini, omnes vos non requisitos modo, sed rogatos esse volo, ut armis quanto ocius indutis, Pomeraniam mecum una vos conferatis, gaudium, si quod ex clade meorum pepererunt Pomerani, illis diuinitate propitia erepturi. In hanc vocem cuncti in domos ad induendum arma dilapsi, sub breuibus diebus ingens tam equestrium, quam pedestrium multitudo, ad locum a Boleslao designatum, Pomeraniam ingressura conuenit. Nunciatur interim Bohemorum gentem et Ducem eorum Swantopelconem, qui patruo germano Duce Borzywoy iusto Bohemorum Principe, adiuuantibus illum primoribus Bohemorum, profligato, sedem Ducalem occupauerat, ad vastandam Poloniam armis accinctos esse, et tam cum equestribus quam pedestribus copiis in unum coactis, prope Kloczsko consedisse. Borzywoy quippe Bohemorum Dux tutum sibi apud Boleslaum Polonorum Ducem fore credens exilium, a nepote Swantopelkone, in Poloniam se contulerat, benigneque a Boleslao Polonorum Duce cum suis omnibus recollectus, magnum odium et Boleslao Duci et Polonis in Swantopelkonis et Bohemorum pectoribus excitaverat. Eam quoque iniuriam armis se minabantur ulturos. Ad quos igitur hostes primum ire pergeret Boleslaus fluctuans, cum neque Pomeranorum ultionem differre, neque Bohemis interim opportunitatem Poloniam invadendi vellet largiri, utrique negocio satisfacturus copias dividit. Quarum una parte Scarbimiro attributa, illum in Pomeraniam destinat, ipse cum altera ad sylvas Bohemiam a Polonia scindentes, quas Hercinias vocamus, accedit. Sed Bohemi occursurum sibi intelligentes Boleslaum acie dissoluta in domos regrediuntur. Pomerani a Scarbimiro incendijs et spolijs aliquot Hebdomadas afflicti, iustas suarum invasionum in Poloniam pendiderunt poenas

Duobus de viginti annis in regimine Posnaniensis Ecclesiae decursis Dionisius Episcopus moritur. Cui Laurentius primus Praepositus Posnaniensis, Capitulo Posnaniensi et Boleslao Duce et Monarcha Regni Poloniae instante, et aliquem ex Polonis promovere gestienti, succedit, a Martino Archiepiscopo Gnesnensi ad illam provectus, confirmatus et consecratus. Hic Laurentius natione Polonus erat, de humili stirpe agrestium procreatus, virtus tamen et vita proba acta illum in nobilitatem converterat

Maguntia Principum Alamaniae maximo conventu, cui et Apostolici nuntij intererant, pro die natalis Domini celebrato, Henricus quartus Imperator, ad sedandum tollendumque scisma, quod sui occasione, in sacerdotio, imperioque contigerat, cedere imperio et regalia tradere filio assensus est. Sunt qui credant non ad damnationem, sed probationem eam tentationem contigisse, affirmantque ipsum misericordiae operibus incubuisse, ut lasciva eius in imperio conversatio in praesenti puniretur. Imperialia manibus legatorum sedis Apostolicae capiti Henrici imposita sunt. Electio quoque sua a Principibus Alamaniae tunc innovata

Polovtzis in terras Russiae clandestina et silenti excursione irrumpentibus, oramque quae Zarzeczko appellatur, vastantibus, Swantopelk Lygouiensis Dux exercitum gentium suarum, praeficiens illis Joannem et Iwankonem Zacharzicz et Koszarma in Duces, post eos mittit. Qui illos apud Danubium consequuti, spolia quidem per eos apud Zareczho rapta excutiunt, et referunt, cum Polonicis autem non veniunt in dimicationem

Zbigneus interim frater naturalis Boleslai Polonorum Ducis a facie eiusdem fratris sui Boleslai propter fraudes et dolos in Boleslaum commissos fugiens, ad Swantopelcum in Ligow peruenit, sperans se per illum velut Boleslai socerum, gratiam Boleslai inuenturum. Vbi aliquanto tempore commoratus, ad preces Swantopelci venia illi a Boleslao Duce tributa est, qua ille abusus in Bohemiam se contulit, nouis dolis et ingenijs Bohemos contra fratrem subornatur.

BOLESLAI Poloniae Ducis consors Sbislawa eo anno faecundata, duodecima Aprilis die, filiam apud Cracouiensem Ecclesiam baptizatam cui nomen datur Swantoslawa enixa est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTIMVS

Vniuersis fere ciuitatibus, castris, et munitionibus Pomeranorum ad faciendum Boleslao Polonorum Duci deditionem inclinatis, dum soli Albenses qui Bialagradenses appellarentur, contumaciis resistendo, et caeteros a proposito auerterent, Boleslaus Polonorum Dux collectis tam equitum quam peditum copijs in Pomeraniam properat, et solito more tecta vri, agrosque vastari iubens, tandem ad Albam copias deducens ipsam obsidione vallant, superbiam et contumaciam Albensium ex abundantia ortam, vrbs enim erat magnis referta diuitijs, sui calcaribus confracturus. Sperans tamen Albenses ad deditionem prouehi posse, missis caduceatoribus hortatur illos, ne se in vltimum reseruent discrimen, ne quoque sibi necessitatem imponant, sanguinem suorum militum Alba expugnata, Albanorum sanguinem fundendum. Ferre et caduceatores duo scuta, rubrum vnum, candidum alterum iussit, Albensibus quoque vtrum vti

velint

vebant, dare optionem, in primo excidium suum et suae civitatis, in novo et pacem et victoris mansuetudinem percepturi. Nihil caduceatorum verbis Albenses moti, in maiorem insuper pertinaciam eriguntur, superbo quoque caduceatoribus responso edito eos urbe exire iubent. Neutriusque scuti delectionem se perhibent facturos, sed utriusque significationem complexi, et in repellendo Boleslao a sua urbe suisque moenibus, album se scutum, et in caede suorum militum si obsidere perseveraverit, cruentum, etiam se rubrum consequuturos. Tam indigno responso Albensium, Boleslaus calefactus, vineas agi, turres, et propugnacula parari, et quae machina aptari, quatuorque turres et muros civitatis, fossataque sarmentis compleri iubet. Omnibusque ad expugnandum Albam mature comparatis, copias educens, irrumpere desuetos et debilitatos muros sagittariis in coronae modum, qui milites urbem aggrediendo tuerentur, iussit. Et ne quemquam segniores aut cunctantes distimat, ipse omnes militum ordines praecedens, primus ad portam principaliorem accedit, vallibusque et fossatis superatis, incredibilem vim in urbem inducendo terrores, scuto tantummodo opertus, crebris ictibus portas valvarum scindit. Milites quoque suo exemplo ad similem operis ardorem accendit. Non illum saxorum superne cadentium moles, non sagittarum densitas terret, non civium resistens, et picem aquamque ferventem capitibus impugnantium superfundens multitudo. Non ante suos oculos palpitatio morientium aut cadentium militum timidiorem fecit. Non prius periculo imminenti se subduxit, donec porta effracta, civitatem primus irrumpens, sanguine interemptorum ubique conspersus, universo exercitui suo aditum patefecit. Albenses qui primi occurrerant, sternit, alios obtruncat, afferat siquidem hostis obsessus missilibus exclusisque. Sed neque qui tormenta retardabant diutius resistere poterant, et muris trino ariete convulsis, perviam obsidentibus in obsessos iter praebuerunt. Caedes ingens militi permissa, promiscuum sexus sequuta fuisset, ni Albenses sagaci consilio usi, et terrore maiestatis Boleslai perculsi, armis abiectis, cum matronis et par-

vulis

nulli, proni ad pedes Boleslai ignosci sibi deprecantes corruissent in terram, neque suam necem, sed coniugum et liberorum, caeterorumque insontium et impuberum deprecantes, se pro superbo responso magis cruce quam venia et vita diffiniunt dignissimos. Quanto submississime se gesserant in recognoscenda culpa, tanto facilius vita donati sunt. Cunctis siquidem proceribus et militibus Polonorum ad excidium civitatis, et omnium promiscue necem, insuper et ad delendam urbem, in eorum, qui in oppugnatione ceciderant, ultionem vehementi cura aspirantibus, Boleslaus Dux indulgentissima clementia in devictos statuit utendum, optimoque ultionis genere usus, cunctos Albenses in gratiam suscepit, cunctis ignoscit, Albensibus quoque suis infensioribus hostibus et vitam, et libertatem, et fortunam, quae ad victoris potestatem reciderant, simul donat. Et ne quisquam Albensium a militibus suis violetur, aut in fortunis suis patiatur dispendium providet. Qua quidem magnitudinis sua in devictos clementia, plures Pomeranorum civitates cepit, quam armis. Is enim suus in Albensibus demonstratus pietatis affectus, subita fama et rumore latius diffusus, effecit, ut Colibriginensium, Caminensium, Volinensium, Cosomimentium, et aliarum Cismarin~~arum~~ sitarum civitatum, primores et praefecti cum amplis donis Boleslaum adirent, et venia petita facileque impetrata, plenam et omnimodam suarum urbium deditionem praestari facerent, astringentes se in illius subiectione fideliter permansuros.

Philippus Plocensis Episcopus sedem suam annis septem administrans, febre terciana uno anno vexatus defungitur vita, et in Ecclesia Plocensi sepultus, Simonem Archidiaconum Plocensem, genere nobilem Polonum, de domo Gozdavitarum via scrutinij electum habuit successorem, a Martino primo Archiepiscopo Gnesnensi, Boleslao Duce et Monarcha Regni Poloniae patrocinante, confirmatus et benedictus. Huius Pontificis Simonis quanta probitas fuerit, Vincentius Kadlubkonis de Carnow Episcopus Cracoviensis in

Chronica sua, quam de Polonorum gestis diserto stylo contexuit, meminit ita scribens: Zelus nimirum domus Dei aureo inscribendus calamo, Simonem et Alexandrum Plocensium antistites armaverat, qui utrosque hostes pervigili solertia studiosissime ab ara dominica arcere satagebant. Et in sequentibus: Magnus quidem Alexander Plocensis Episcopus, sed maior est vero Simon Alexandro qui patriarchae Abrahae et legislatori Mosi, ammonendo Polonos contra barbaros ad praelium et praelio ferventius pugnae assidue orando, donec universus contritus est hostis, in se virtutem expirisset. Et post pauca: Adest Antistes Simon, institis et infulis pontificalium insignibus, non tam luctu quam precum et suffragiorum miserabili spectaculum prosequutus, qui eminus exclamat: In uno tantummodo filioli spes est vincendi, nec in multis victoria, nec mortis est metuendum discrimen, maxime cum pro salute agitur proximorum, quia mors corporis hominem non extinguit, sed ad praemium veritatis admittet. Quo dicto suos pugnae sese oraturum remittet, nec cessat, donec omnis illa praedonum numerositas succumbit, paucis admodum fuga elapsis.

Koszle castrum versus Moraviam confinia, loco magis quam arte munitum, Odra enim fluvius facit illud suo fluore et stagnis robustum, dum fortuito conflagrasset, nuncio conflagrationis Boleslaus Polonorum Dux accepto, dolositati Bohemorum credens incendium provenisse, et arcem in Bohemorum ditionem ex hoc redigi debere, paucis militibus se sequi iussis, illuc accurrit, gravique a fundamento reficere adorsus, nulli labori aut fatigae se subtraxit. Veritus autem ne Bohemorum incursione in loco adusto et nunquam tuto opprimeretur, ad fratrem Sbigneum nuncios mittit, ut sibi cum aliquo militum agmine in praesidium veniat, vel saltem suam militiam mittat. Milites suos in Albensium oppugnatione et Pomeranica expeditione fatigatos, indignum sibi subinferens visum, ad tam parvum negocium obeundum accersiri. Sbigneus vero ignitum odii flammas in Boleslaum prosterent ubique honoram gloria et successuum et successivam felicitatem evomens, arroganti dato responso, etiam Nuntios ipsos iuris hospitii oblitus, minus honeste tractat, et probris in fratrem acerbius sparsis, contrarientis prose violat. Unius tantae contumeliae genus frater pacientia devincens, et expositionem castri Hoszla celeri superposito aedificio in integrum restituit, et suam suorumque nunciorum iniuriam dissimulationis tolerantia absolvit. Videns autem Sbigneus fratris sui Boleslai Ducis dignitatem, magno ubique per Polonos favore et honore coli, se vero ab universis et ab hisque quibus imperabat contemptui in, frequentiusque derideri quod ex vulgato corpore genitus foret, nec ullam speciem aut similitudinem patris praeseferret, sermone usurpatorum carpi, nullam spem potiundi Regni et contumeliis atque opprobria quibus distmalabatur supprimendo superesse nisi in scelere ratus, ad id unum omnes cogitationes intendit, ut Boleslaum Ducem quoquomodo enecet et disperdat

Moleste ut dignum et par erat Boleslaus Polonorum Dux legatorum suorum, quos ad naturalem fratrem Sbigneum, subsidio sibi in castro Hoszle restauratione impendendo, miserat ferens, illatamque eis iniuriam castro Hoszle perfecto ad animum revocans, quid in hac re agendum foret ad consilium retulit. Neque enim primum ea iniuria qua urebatur se a Sbigneo fratre suo naturali, sed et pluribus aliis gravibus et enormibus violatum, cum secundum publica notoria, publicoque rumore proditum atque vulgatum erat, Sbigneum Bohemos, Pomeranos, et Prutenos, in fratris sui Boleslai et suarum terrarum excidium, non verbis solum, et falsis suggestionibus, sed et foederibus cum illis initis, et pecuniis, sumptibus, donis, et multifariis promissis animasse. Iam insuper delatum erat Sbigneum Pomeranis terras Boleslai irrumpentibus, auxilia, vehicula, et receptacula dedisse, et in unam voluntatem et facinus occasionemque cum illis conspirasse, omnesque captivos de terris Boleslai venum dedisse, ceteros omnes de terris Sbignei casualiter correptos una cum rebus ablatis ad primum Sbignei nuntium aut chartam remisisse.

discurrebat

Discurrebant insuper crebri inter Sbigneum et Pomeranos, aut nuntij aut tabellarij aut mutua sibi dantes argumenta, aut quid ageret Boleslaus, quid quoque contra Pomeranos praetenderet, aut ubinam terrarum esset denunciantes. Mittebant sibi insuper vicissitudinaria munera, et omnium spoliorum atque praedarum, quas in terris Boleslai Pomerani rapiebant, Sbigneum faciebant consortem. Quoties vero Pomerani aut alij hostes terras Boleslai invadebant toties Sbigneus ad alteros hostes Bohemos vel Ruthenos se conferens, aut nuncijs vel literis eos invitans, ad invadendum ex altera parte terras Boleslai Ducis magnopere sollicitabat, nefariaque cum Bohemis, Moravis, Pomeranis, Saxonibus, pluribusque alijs scelerum pactionis societatesque exclusurus fratrem a Regno, conflabat. Quas hostilitates et fraudes contra fratrem Boleslaum et patriam, pro quadam virtute et usu agitabat, eo quidem crebrius et audacius, quod videbat fratrem suum Boleslaum omnium facinorum tam notoriorum sibi impunitatem, et pene occasionem ad agendum tradidisse. Solitus enim erat Boleslaus Polonorum Dux tam infamia fratris Sbignei scelera, dum illi penderentur ultioni divina reservasse. Universis autem Consiliarijs Boleslai Regis infanda facinora Sbignei execrantibus, et his quae a Boleslao Duci compendiose deprompta erant, multo maiora et teteriora adijcientibus, consentit singulorum sententia Sbigneum nullatenus in patria, quam toties hostibus prodiderat, tolerandum esse, sed velut hostem publicum et pestem communem exterminandum eiciendum, et usque in terrarum extrema retrudendum, omnibus terris quas ei paterna indulgentia donaverat, ei ablatis.

Nunciatur interim Sbigneum et Bohemos et Pomeranos pluresque alios hostes in Boleslaum et sua dominia concitasse. Intercipiuntur et nuncij Sbignei cum literis ex quarum lectione et nunciorum relatione, multa tradimenta, quibus Sbigneus contra Boleslaum usurus, propositum exequi conabatur, reperta sunt. Quae res cum in unum tempus confluxissent, magnam Boleslao Polonorum Duci et sub fluctuationem ingesserunt, dubitabat enim Bohemus an Pomeranis aut fratri Sbigneo primum occurreret. Misit proinde et in Russiam, Pannoniamque nuntios, qui et in solatium suum quosque voluntarios aut mercenarios milites accersirent. Significavit et socero suo Swantopelkoni Duci Kyoviensi, in quanto a triplici hoste circumsessus versaretur periculo, rogans ut personaliter illi cum quanto amplioribus posset copiis ferret auxilium. Prudentissimo autem usus consilio, missis ad agmen Bohemicum nuntiis eos sibi conciliat, et in Bohemiam redire impellit. Ad Pomeranos cum illis congressurus contendit, qui eius adventu audito cuncti dissipati sunt, timore illius conterriti. Perculsus et Sbigneus magno pavore, cum intelligeret tam notoriam atque tam grandem noxam nullatenus sibi Boleslaum ignoscaturum, ex terris maioris Poloniae, illic enim adunaverat contra fratrem exercitum, velut criminis maximi conscius, in Masoviam diffugit, illic se ratus tutum adversus fratris iram permansurum. Boleslaus vero Metropolim Sbignei dominii et principatus Gnesnam una cum arce infra dies paucos obtinuit. Deinde Spiczmiesz et Lyncziciam castra, quae ditionis Sbignei erant, recepit, et suos illic praesides et Capitaneos praeposuit. Qua illi agenti exercitus Ungarorum et Ruthenorum solatia praestiturus advenit. Cum quibus Vuislam versus Masovienses terras transgressus, Sbigneum velut sui principatus periculum eliminare, in illis se occultantem, disponebat. Cum vero Sbigneus in desperationem versus, non tam de retinendo dominio, quam vita, capite sollicitus esse, et mediantibus inter Boleslaum et Sbigneum Baldwino Cracoviensi Episcopo et communibus Baronibus, Sbigneus coram adductus est. Ubi cum omnia vitia quae in se egisset, Boleslaus enarrasset, Sbigneus suppliciter orare coepit, ut sui misertus vitam sibi et antiquam regni portionem concederet

ret, iuramento corporali astruens nunquam se illi adversaturum, sed in omnibus ut miles suo domino et principi obediturum. Motus Boleslaus suis precibus et fletibus Masoviam duntaxat, ut remotior a Pomeranis et Bohemis consisteret, relinquit, quod Sbigneus ad magnam gratiam computavit. Reconciliationeque in hunc modum inter fratres composita, uterque exercitus Ungarorum videlicet et Ruthenorum in sua remeavit, astruens nihilominus ex confidentia calidi, quod sortitus fuerat, ingenii, si sibi facultas tribuatur auditorii, facile se de omnibus quae in illum iactabant sceleribus purgatum iri, quamvis ardua et insueta loquenti nullam sibi praestatum iri fidem notabat nemoque erat ad quem sese conferret, ut non tanquam ad scopulum propter suas calliditates et figmenta alluderetur, et variis sellis sedere solitus, nullius fidei, pro transfuga habebatur, plenus dolis, et fallaciis, plenus vafritie; inverecundissimaeque ac dementissimae temeritatis, audax, callidus, in scelere vigilans, manu promptus et lingua.

In Parochiali Ecclesia in Spiczimirz Dioecesis Gnesnensis Oratorium, Martinus Gnesnensis Archiepiscopus auditurus divina, Gnesnensi Archidiacono secum una praesente Nicolao, iter illac faciens descenderat, Pontificalique more cum praesbytero officium Missae celebraturus confessionem generalem exhibebat, dum subito a ministris nunciatur hostes Pomeranos in vicum illum irrupisse, ab exploratoribus signum docti Martinum Archiepiscopum illuc venisse, ex castris vicinis ad ipsum comprehendendum, propterea quod ipse idololatriam relinquere, et religionem Catholicam sincere colere, decimasque et primitias reddere urgebat, gressu concitato advenerant. Pavidum Martinum Archiepiscopum et quid ageret cunctantem, neque enim familiares suos multitudini Pomeranorum, si dimicatio iniretur, pares futuros, qui et ipsi visis hostibus dispersi se occulerant, intellexerat Archidiaconus suus in Ecclesia stare perseverantem, et Dei pietatem maioribus fletibus

quam vocibus

pro sua liberatione exorantem, foras prorumpens salva re quoque se et ipse fuga satagens deseruit. Hunc Pomerani, splendidi enim vestitus erat, Archiepiscopum Martinum rati fugientem comprehendunt, magnoque exultantis gaudio, domestici et debita veneratione habitum, vehiculo ponunt. Ad Ecclesiam deinde ingressi caeteros suos comites requirunt, sed nullum illic reperientes, omnes se ex illa Ecclesia Spicimiriensi, suis sacris spoliata, et spoliata contenti exeunt, et in Pomeraniam citato gradu, ne et ipsi praeda Polonorum fierent, abeunt. Gnesnensis siquidem Archiepiscopus timore subministrante quas iam aetatis grandaeva absumpserat vires, dum Archidiaconum sui Pomerani captivitati intenderent, sublimius tectum Oratorii inter laquearia conscendit, illicque se occuluit. Sacerdos vero officiaturus inter altare et templi frontem se abdidit. In hunc modum Pomeranis nullas Oratorii partes occultiores scrutantibus, vel ut pia credulitati supponi potest, miseratione divina et precibus Archiepiscopalibus lethargica passione obcaecatis, manus eorum Archiepiscopus Martinus evasit. Res stupenda, sed quam fas non est ad scrupulum incredulitatis redigi, multorum enim authoritate scriptorum celebris est, accidit. Singuli Pomerani qui aut Ecclesiae Spicimiriensis vasa contigerant, aut ea in domesticis usibus applicanda disponebant, aut in insaniam alienationemque mentis versi, aut morbo epileptico acti rotabantur, nec ipsi solum sed eorum coniuges, propinqui, affines, et liberi simili peste percussi, velut dementes et delirii, nunc ferro, nunc saxis se mutuo obruebant, notos et necessarios aedibus exturbabant, quos cum contingere non possent, seipsos dentibus et unguibus discerpebant, plures ex illis huiusmodi peste confecti et exanimati sunt. Hac itaque afflictione pene deterriti, et intelligentes eam sibi ob scelus in sacra Dei et in viros Dei commissum iniustum fore, singula sacra in manus et potestatem Archidiaconi restituunt, idololatriae renunciantes, fidem sanctam suscipiunt, et ipsum sanum et incolumem et libertati et patriae reddunt, sed et solutionem primiciarum et decimarum hactenus negatam propensius et perpetue se reddituros devovent. Itaque felicibus auspiciis eo anno res in Pomeranos acta est, duplexque triumphus ex Pomeranis relatus, licet postremum illustriorem crediderim, unus Boleslai armis, alter Archiepiscopalibus suffragiis, qui tamdiu in eodem Oratorio fletibus et orationibus vacans perstitit, donec Archidiaconum suum et cum sacris redditis salvum recepit

Borzywoy Bohemiae Ducem iniuria de Ducatu suo factione nepotis sui Swantopelconis, et quorundam Baronum Bohemiae perculsum, in Polonia exulantem, frater suus germanus Sobieslaus, multique Barones et nobiles Bohemorum tyrannicam et iniustam Swantopelconis occupationem perosi, in Poloniam secuti sunt. Quos omnes Boleslaus Polonorum Dux mira benignitate etiam apud quoslibet suos hostes admiranda suscipiens, et animum illos bono habere iubens, singulorum necessitatibus Ducali munificentia providebat. Sumptibus deinde suis et liberali largitione Dux Bohemiae Borzywoy provisus, et aliquorum Baronum praesentia comitatus, fratre Sobieslao in Polonia relicto, ad Imperatorem Henricum ex Polonia profectus est. Cui in Saxonia reperto, occupationem Ducatus Bohemiae a se legittimo iure possessi, indignum quoque exilium, et quod non ipse solum, sed et frater suus Sobieslaus pluresque Bohemiae Barones, per Swantopelconem pulsi, precario et stipe Polonica vivant, exponit. Imperatoremque Henricum et calamitati sua et promissionibus ad misericordiam flectit. Misso uno ex militibus Imperator Swantopelconem accersit, qui vocationem ipsam propter occupationis facinus suspectam habens, collecto exercitu, et in potestatem fratris Otthonis tradito, ad Imperatorem proficiscitur, Quem veni

entem

enim illico Imperator vinciri iubens, Borzywoy in
Bohemiam mandans, Bohemis qui cum Swantepelcone una
venerant, hunc et non alium pro iusto principe coli, trans
mittit. Ad castrum Domy, Borzywoy cum suis et Al
manis pervenienti, et versus Pragam tendenti, Ottho fra
ter Swantepelconis iam de captivitate fratris certificatus,
cum eo quem habebat exercitu occurrit, Castrumque Domy
obsidione cingit, Ex quo Dux Borzywoy favore Bohemo
rum cum suis omnibus involumis dimissis, et Poloniam
rediens Otthonis manus evasit. Swantepelk interim
decem millium marcarum argenti quantitate Henrico Im
peratori promissa et reddita, sponsione quoque et cum omni
bus copijs Imperatori in Ungariam contra Colomanum
ad subigendum illum imperio eius, solatia ferret, pra
stita, imperiales carceres evasit. Obsidemque Otthonem fra
trem Imperatori dare coactus est, qui et ipse dum dissimu
lanter asservaretur, fuga lapsus Bohemiam repetijt.
Pro exolvenda vero decem millium marcarum Argen
ti summa, Swantepelk et Ducale aerarium emungere
et Ecclesias Bohemicas sacris et Clenodijs spoliare,
clero quoque et populo tributum imponere coactus est.

In Autumnali huius anni tempore Boleslaus Po
lonorum Dux parum antehac Albam et ceteras Pomera
norum orarum civitates in suam redegisse potestatem
castrum et oppidum Czarnkow, quod tunc iuris et ditio
nis Pomeranorum erat, obsidione aggressus, constructis in
eius circuitu quatuor turribus altitudinem castri et
oppidi superantibus, tam sedula et forti impugnatio
ne castrum et oppidum non destitit impetere, donec ob
sessi caducitoribus missis deditionem castri et oppidi
facerent. Quo in potestatem redacto Boleslaus Dux
Polonorum castri Czarnkow dominum et haeredem, no
mine Gnievomirum cum omnibus suis nondum fide

sacra

pura miratos, Baptismum sumere persuasit. Ipsoque Knunno de fonte levato in signum filiationis contractae, et quo eum sibi magis fidum redderet, Czarnkow castrum et oppidum sibi restituit et nova largitione donat et inscribit.

Clades suas per Ruthenos et Duces eorum inflictas Polowczij resarturi, terras Russiae in magna multitudine cum Boryak, Saruhay, et alijs pluribus Polowczorum Ducibus irrumpentes, stativa sua circa Lubnya ponunt, Contra quos Swantopelk Kyowiensis Dux, Wlodimirus, Olegus, Swantoslaus, Mscislaus, Wiaczeslaus, et Jaropolk Russiae Duces cum potentijs gentium suarum aggressi, flumine Sula transito, in Polowczos et stationes eorum duodecima Augusti irruunt improvise, qui timore grandi consternati, neque arcus constituere aut expedire, neque in ordines ire poterant, sed equis tumultuarie raptis et conscensis aliqui, alij vero pedestres ex castris in sylvas proximas diffugiebant. Rutheni fugientes caedendo maiorem quam pro numero ediderunt stragem, plurimis Polowczorum captis, quos usque ad Chorola persequebantur. Germanus Boryak Dux Tasza cum multis alijs caesus est. Castris Polowczorum et omni suppellectili Rutheni potiti in sedes et civitates suas cum magna gloria et iocunditate revertebantur

Henricus quartus Imperator regalibus filio Henrico resignatis, ex rege opulentissimo et fortissimo, miserabile mortalibus vitae incertae exemplum egens factus, Coloniam primum, deinde Leodium se contulit, et ab utraque civitate non ut egens, sed ut imperator Caesareo habitu susceptus est, Ubi se fraude circumventum, et ad reddenda regalia coactum declamabat, quem collecto exercitu filius secutus circa Mossam consedit, Sed inde ab Henrico Duce Belgarum propulsus, ad instaurandum novum exercitum sollicitudinem intenderat, Interim vero pater Leodij moritur, et in Spiram relatus, iuxta patrem et avum tumulatur, Henricus itaque quintus patre mortuo libere regnans, res in Gallia et Germania per bellum intestinum deformatas

sollicite

solliciti componit, et plures Episcopos a suis sedibus in Scismate pulsos restituit. Vnus autem ex Baronibus Almaniae praecipuus Henrici quarti adversarius, dum in convivio, a muribus repente invasus, qui illum per ignes et pelagus sequebantur, et nulla vi arceri poterant, corrosus est. Quod factum ideo hic scribere volui, ut propter convenientiam et paritatem narrationi nostrae, qua in superioribus de Pompilio Duce polonorum scripsimus, possit adstipulari. Hic Henricus armis strenuissimus, totum imperium adeo in brevi suae subiecit ditioni, ut omnes eius subiecti subiectionis iugum aequanimiter ferrent, et vicini metu ab armis quiescerent

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS OCTAVVS

Pannoniorum Rex Colomannus satis comparatam habens Henrici Imperatoris adversum se hostilitatem, satis enim et fama, rumoreque vulgatum erat, et amicorum exploratorumque nunciantium pro certo proditum, praefatum Imperatorem Henricum magnum ex Almanorum nationibus comparasse exercitum, et Swantopelkonis Bohemiae Ducis caeterorumque vicinorum principum solacia ascivisse, arma et ipse Pannonica, quibus Imperatori resisteret, expediebat. Belli autem quod Henricus Imperator, Colomano Vngariae Regi et Vngaris movebat, iusta causa erat. quoniam Vngari multos Almanos cruce signatos per Pannoniam in terram sanctam et eius subsidium proficiscentes extirpaverant, laceraverant, afflixerant, spoliaverant, variisque contumeliis aut mortibus quassaverant. Almus quoque Colomani germanus ab eo ex Vngaria pulsus, ad Henricum quintum se contulerat, cuius restitutionem Henricus procuraturus, in Pannonias se pro cessurum parabat, quaesiturus et Colomanus Vngariae Rex contra potentiam Caesaream externorum solatia, cum singula in circuitu aut adversanti suspecta viderentur, horrerentque universi contra Caesarem pro Vngaris arma sumere, similem hostilitatem quae in Vngaros edebatur a Caesare veriti. Praelati et Barones Vngariae in tam ardua difficilique necessitate a Polonis solatia imploranda censebant, eos enim sibi semper ~~fidos~~, amicos, fidos, et puros, caeteris vacillantibus, nullatenus in eo casu defuturos. Huic consultationi Colomanus Vngarorum Rex quam maxime assensus, versus Poloniam se conferens, et conveniendi colloquendique copiam a Duce Polonorum Bolislao per nuntios petens, in Scepusiensi territorio prout per nuntios tractatum erat, cum Polonorum Duce Bolislao convenit. Causis conventionis expositis, petit Colomanus Vngarorum Rex, ut Bolislaus sibi contra conatus Caesareos assistat, aequam vicissitudinem in pari necessitate ab eo percepturus. Post multos tandem tractatus, per utriusque Consiliarios ventilatos, Rex Colomanus et Bolislaus Dux inter se foedus ineunt contra quoslibet hostes sibi mutua solatia praebituros, foederi etiam affinitatem adjiciunt, Colomanus Vngariae Rex filio suo natu maiori Stephano, filiam Judetham Bolisla. Polonorum Ducis desponsat in uxorem, provinciam Scepusiensem, quae tunc iuris Polonorum fuerat et pars eius non modica, in Dioecesi Cracoviensi consistebat, Bolislaus filiae in dotem consignat, quae ab eo tempore sequestrata a Polonia, in proprietatem Vngarorum transijt. Bolislaus Polonorum Dux ex Dieta huiusmodi reversus, aliam rursus Dietam cum Sbigneo fratre tenendam per nuncios componit, Ad quam cum ambo fratres cum Praelatis et Consiliarijs Poloniae convenissent, frequentes et dolosae iniuriae per Sbigneum attentatae, per Bolislaum Sbigneo obiectae sunt, quas purgare aut inficiando aut excusando aggressus, pene in omnibus succubuit, ut prorsus intelligeretur etiam in maioribus, quam de quibus accusabatur deliquisse, Et dum communes Consiliarij ad expellendum tam infestam pestem, virus suum continue diffundentem, maxima vi elaborarent, Boleslaus omnibus Sbignei transgressionibus amplius ignoscere non valens, cum et de Mazovia provincia illi commissa, et de universo regno suo, cuius tunc reintegrationem acceperat, eicit, depellit, et exturbat, ut feracius subsidium Colomano Regi Ungariae promissum praeveniret. Boleslaus quoque Dux tum praesentia et imminentia, tum futura, cum Bohemis gerenda, de Sbigneo suo insidianti calcaneo assecuratus, felicius obiret bella, potentiarum suarum vires domesticis non distrahentibus insidijs

Henricus Imperator Pannoniam sibi et imperio subacturus, cum magnis et frequentibus variarum nationum populis ingreditur. In cuius solatium Swantopelk Bohemorum Dux cum gente Bohemica secundum policitationem iureiurando firmatam, duos Barones quibus amplius fidebat, Vuarzlouem et Mutinam, pro gubernatione Bohemiae relinquens, advenerat. Dum autem Colomannus Rex Ungariae copiam pugnandi non faceret, sed Imperatoris exercitum in locis opportunis maximis afficeret incommodis, Imperator civitatem Presburch obsidione vallavit. Sed cum in eius obsidione tempus inaniter absumpsisset, Ungarorum praesidio egregie civitatem defendente, copijs diversis Ungariam in pluribus locis incursis et vastatione aggressus, eam oram quae inter Danubium et Vuag fluvios sita est vastam efficit, nullaque memorabili re patrata in Almaniam multis dilectis amissis et invincibilitatem Ungarorum expertus rediit. Boleslaus interim Polonorum Dux iuxta foedus cum Colomano Ungariae Rege percussum, et agmen nobile de militibus egregijs Colomanno in Ungariam misit, et ipse cum exercitu expedito et potenti, habens in suo comitatu Ducis Bohemiae Borzywoy et Sobieslaum germanos, et plures Bohemiae Barones et nobiles, qui propter tyrannidem Suantopelconis exulaverant, Bohemiam invasit. Temeritatem Suantopelconis, qui et patruus, germanos istos Ducatus Bohemiae Duces, et Barones suae tyrannidi adversos expulerat, et Imperatori Henrico contra suum affinem et confoederatum Colomanum Ungariae Regem solatia tulerat, ulturus. Vuarzho et Mutina gubernatores Bohemiae dum in confinibus Ducatuum Bolislao in Sylvarum, quae Bohemiam a Polonia disiungunt, medio occurrunt, pugnamque conserunt, parvo negocio ab ipso victi fusique in Pragam refugiunt. Polonorum Dux Bolislaus in interiora Bohemiae singulis a conspectu eius diffugientibus progressus, aliquot castra et oppida vi cepit, et magna parte Bohemiae pervastata, ingentem praedam Bohemicam secum ferens, in Poloniam una cum Borziwoy et Sobieslao Bohemiae Ducibus, caeterisque Bohemis eorundem fidem secutis, rediit. Qua novitate Suantopelcus perculsus, Henrico Caesare in Ungaria deserto, veritus ne universa Bohemia in ditionem adversariorum perveniret, ad Bohemiam Henrico Caesare contra Bolislaum Poloniae Ducem magnas iras concipiente, remeabat. In cuius maeroris solatium, Henricus Imperator iureiurando astrinxit et obligavit se in Duce Poloniae Bolislao et Polonis eam iniuriam quamprimum ulturum. Revertenti ex Ungarica expeditione Swantopelconi, et non tam Polonis, quam suis vicariis, Vuarzhoni et Mutinae pro vastitate quae Bohemiae contigerat, irato Vuarzho omnem culpam in Mutinam reiiciens, illum astruebat illius vastitatis fuisse authorem, et ministrum. Comprehensus itaque a Swantopelcone Mutina, et causa neque examinata neque dicta illico capite damnatus est. Vnislaw insuper et Domaslaw, et duo filii Mutinae, item Borzey cum filio suo Borszach, singuli de ge-

nii

nere Vrszowiczen. capti, decreto Regis trucidantur. Caetera Vrszowiczensium cognatio in Poloniam, deleri quippe vniuersos Swanthopelk iusserat, peruasoribus primum bona eorum proponens, celeri gradu se contulit, vbi benignum et liberalem Boleslaum Poloniae Ducem nacta, in magnam et numerosam familiam, et sui germinis propagine et ciuitatum atque castrorum, villarum, ampla possessione se diffudit, Vrszowiczensium tamen veteri nomine abrogato, Rauitarum vocabulum sortita est. Colomannus insuper Vngariae Rex Henrico Imperatore de finibus regni discedente, vltionem de Swantopelco Duce Bohemiae sumpturus, Morauiam ingreditur, et feroci atque exulcerato animo populationem latius vbique extendi, et cuncta flammis damnari. Tam foedam dominij sui vastationem Swantopelk prohibiturus, cum exercitum copias aggredi duxisset in vnius siluae transitu a ramo arboris fortiter in oculum suum fortuito impingente violatus, atque caecatus, remeare cum exercitu coactus est. Morauiaque tanto saeuiorem diuturnioremque Colomani Regis vastationem ferre coacta est.

Redeuntem de Bohemica expeditione Boleslaum Ducem, duplex casus ille denique acerbus, graui maerore conturbauit, nam et consors sua Ducissa Sbislawa fatis intercepta erat, et castrum Vscze a Pomeranis, Gniewomiro, quem Boleslaus de fonte sacro leuauerat, cuiusque castro Czarnkow expugnato pepercerat, illudque sibi liberali animo reddiderat, plurimum ad id cooperanti. Erat enim facundia magis quam fide vir melior, occupatum sentiens, Siquidem Pomeranorum versutia negligentius illud asseruari, et milites pro eius praesidio et custodia relictos in Ducis Boleslai absentia ex illo ad priuata negotia obeunda descessisse, ad obsidendum illud quasi ad certam expeditam praedam vnus alterum cohortati accurrunt. Cumque

ps

obsessis continua desperatio propter paucitatem defensorum cresceret, amplior etiam illis a praefato Gnewomiro ingesta est. Calidi siquidem cuiusdam ministerio usus, suadet obsessis ne extrema subituri pericula, defendendi castri sectentur pertinaciam, ab experto se nosse Boleslaum Ducem suum et a Bohemis cum omnibus suis profligatum, et captum Imperatoris Henrici captivitati traditum esse. His mendaciis et figmentis obsessos sua sponte perterritos, Pomeranis castrum Uscze incolumitate personarum et rerum concessa, coegit tradere. Fremitu itaque ingenti directiori quo poterat itinere ex Bohemia ad illud repetendum cum paucis voluntariis militibus, ceteris Bohemica expeditione fatigatis, in domos divertentibus contendit. Cuius expugnationem etsi sibi videbat magis impossibilem, quam difficilem, Pomeranorum tamen pluribus captivatis et eorum villis atque possessionibus incensis, se neque victum neque captum fuisse, sed magis victorem et incolumem rediisse, poenasque debitas a Pomeranis exactum fore, certa insinuatione et eorum quos comprehenderat, et favillarum, quae in ora caeterorum villis fumantibus recidebant monstravit. Parvo deinde spacio, in quo quies militibus data fuit, exacto, iterum Pomeraniam Boleslaus, ultionem eorum, quae Pomerani in absentem egerant, nullatenus dilaturus, ingreditur. Fratre etiam Sbigneo cum nonnullis Mazoviae militibus sibi ferente personalis subsidium comitatus, nec castrum Uscze noviter per Pomeranos interceptum, noverat enim valido illud praesidio munitum esse; sed castrum Velen, Gnewomirum, ibi enim se abdiderat, oppressurus, aggressus est, et magno conatu nocte et interdiu ad eius expugnationem intendebat. Sub ipso autem obsidionis tempore Pomerani obsessis opem laturi, Sbigneo clandestinis nunciis eos instigante, noctu exercitum Boleslai oppressuri advenerunt, Sbigneo hostilem exercitum praecedente, qui cum in exercitum Boleslai impetu magno irruisset, Boleslaus in ipsa nocte more solito faciens excubias, Pomeranos a tergo invadentes sternit, dissipat, captivat, et vertit in fugam. Dum quoque inter alios Sbigneus captus et galea detracta quis esset agnitus fuisset, reservatur in crastinum. Sub quo tempore parare se, animo atque colligere coepit, quibus modis criminationi occurreret, et facinus vulgatum et notorium extenuaret. Tandem cum dies refulsus foret, concione advocata frequenti, ut dolus et fraus Sbignei a singulis cognita, quo genere poenae mulctari debeat, consultatur. Palatinus Cracoviensis Cuthignus in hunc modum sententiam dicere iussus, disserit. Non expectet inquit princeps Illustrissime vosque viri optimi qui adestis, publicam Sbignei, qua nos et exercitum nostrum, teque primum principem delere machinatus est, proditionem et malignitatem in dubium revocare, cum iniquissimum facinus suum, quo nos, nisi beneficio Dei et Principis nostri cura servati simus, consumpturus erat, cum dolus manifestissime nobis etiam silentibus, convincat. Nocte siquidem quietem nos agere pro comperto habens, castris nostris egressus, hostes nos oppressuros induxit, antecessit, arma, vestes, et equum, mutavit, ut si hostes vicissent, gloriam victoriae sibi velut praecessori et Duci vendicaret, si vinceretur, aut fuga evaderet, incognitus, aut si caperetur, denunciaturum se praecessisse hostium adventum, saluti nobis, prout illum id commentaturum esse, mentiretur. Ad hanc amentiam a natura prodiga productus et formatus, paterna benevolentia, et liberali educatione exercitatus, nostra vero patientia animatus est, et mendaciis et fallaciis non secus quam praeclaris artibus gaudeat excellere, et omnes suas colorare sceleratas actiones. Sed si et ad originem primum deinde ad omnem vitam suam extendatur consideratio, omnia in illo pessima quaeque intelligemus confluxisse, qui et ex fornicatione satus, et inter Bohemos Almannosq educatus, adeo malignis fraudibus illic instructus atq imbutus est, ut et patrem plurimis iniurijs lacesseret, et fratris Boleslai exterminium, ut solus in regno succedens principaretur, Bohemos, Almannos, Pomeranos et Ruthenos frequentius subornauerit, durius ab impietate et scelere ineuntis aetatis commendationem. De quo cum varia extent testimonia, solus dies hodiernus, plus quam caetera sua malefacta tulimus, saltem vos moueat, ut communem pestem amplius non feramus, non prius, quam cladem aut excidium nostrum patrauerit, qui nullo beneficio nostro nisi suo sanguine vinci potest, quieturam. Cumq omnis proditorem non ferro solum laniandum, scindendumq sed dentibus discerpendum acclamatione continua deposcerent, tumultu a Principe Boleslao vbiq voce, vix sedato, et indignum ostendente hominem inauditum damnari; Sbigneus dicere causam iussus, callidissimo figmento facinus suum tegere excusareq et purgare caepit. Non se cum hostibus sensisse, aut venisse, sed eorum aduentum nunciaturum praecessisse; comminans, rogans obsecrans ne ad delationes calumniosas et confictas disseminatasq et vulgatas, praesumptiones per cumulandas, damnationis periculo illum subijcerent, obijcerent contumeliae, dederent exilationi pluribusq alijs pro tempore vtens verbis, quae illum versutum, fallacem, dolosum, et vafrum demonstrabant. Ad quem Sethigus Palatinus dirigens sermonem. Quousq tandem Sbignee nostra patientia abutere? quamdiu dolis tuis nos lacesses et fallacijs? quem ad finem sese ista temeritas tua efferet? quousq nostra vexatio, nostra inuasio, nostra direptio, nostra calamitas tibi erit libera et impunita? quam vero gratiam et quam indignam, tum fratri tuo Principi nostro clarissimo, tum nobis refers attende: qui te ex illicito natum connubio, nullis paternis studentem actionibus, nulla virtutum commendatione cognitum, maternam redolentem infamiam, stirpem ac semen malorum hominum, mente conscelerata ac infamia

praeditum

proditum, de pernicie populi Poloni, de exitio Regni nostri acerba ac crudelia exquirentem studia, non modo nullis ac meritis eum non affecerit supplicijs, aut in terrarum ultima velut portentum monstruosissimum non detrusit, sed in participationem et communionem Regni admisit. Et quamvis noxam constituisset meritam, non tamen ut meruerat morti, sed perpetuo exilio mulctatus in Bohemiam se contulit. Fatigatos deinde vigiliis et continua resistentia Pomaranos, et ultima desperatione fessos, dum plures ex suis quotidie interfecti aut sauciati caderent, nuncij insuper ad primos Pomeranorum a Vurlensibus missi nihil in eo praesidij esse retulissent, portas Boleslao aperiunt, pacti et in signum pactionis Chirotheca de dextra Boleslai sibi dari petita, ne quid hostile paterentur. Cum signum Boleslao mandante in castrum inferretur, parci quoque dictus Dux voce praeconis pronunciasset, murmur primum deinde clamor militum est sublatus, indignum querentium facinus, post tot suorum indignas mortes, cicatricesque et continuos et asperrimos non aestati solum sed hyemis perpessos labores, praemio victoriae frustrari, Pomeranorum vero perfidias, vafram et fluxam fidem, et pactorum violationem impune transiri, omnes passim Pomaranos in Vurlen repertos, viso Duce Boleslao nequaquam iram militum potentiorem tunc, quam imperium, castigante, interimunt, et suorum indignis mortibus iustiori caede parentant. Satagebat quidem Boleslaus Polonorum Dux suo instituto misericordiam exhiberi in devictos, sed iusto alioquin militum dolori, clementis imperatoris resistere nequiunt, benignus etiam ex sua natura asserunt, sed ex perfidia rebellantium saeviens. Captus et tunc est castro Vurlen obtento Ruwdomirus, qui Duci et exercitui suo obtentae victoriae geminavit laetitiam. Iubente quoque Boleslao et inspectante exercitu, pro perfidia quam exercuerat, et mendacijs quibus Pomeranos a fide Boleslai alienaverat, fuste capite decusso interijt, vir improbus, atque in exiguo homine mendacia, fraudes et tradimenta

p

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS NONUS

Omnem culpam malam ac si in Pannonicis gestis belli Henricus Imperator in Boleslaum Poloniae Ducem referens, quod et Colomanno Ungarorum Regi militum suorum praestitisset solatia, et res Pannoniorum exiguis valitudinisque adiuverit, et per seipsum Bohemiam gravi vastitate afflixisset, Duces insuper Bohemiae Borzywoy et Sobeslaum hospitio receptos, ducatum illis restituturus Bohemiae, sumptibus et gentibus, in imperialis iuris et dignitatis contumeliam admisisset, ac propterea Poloniae Regno gravi odio infensus, in ultionem tantarum iniuriarum, expeditionem Saxonibus, Bavaris, Suevis, Thuringis, Franconibus, Misnensibus et aliarum nationum gentibus indicit. Swantopelcone Duce Bohemiae et Sbigneo fratre naturali Boleslai Poloniae Ducis, qui in odium suum a Swantopelcone fovebatur, suasu exulceratum Caesaris animum, amplioribus suggestionibus inflammantibus, adiuvante dente Sbigneo, quod plures ex Polonis ad ipsum essent, velut legitimum heredem defecturi, et castra atque munitiones absque negocio tradituri. Itaque primo aestatis tempore Henricus Imperator cum validissimo exercitu, Swantopelcone Bohemiae Duce, et in favorem Caesaris et in odium Boleslai Ducis tam pedestri quam equestri milite in magna frequentia Caesaris exercitum augente, Poloniam invadit, et eam oram Poloniae quae nunc Slesia et Saxonia dicitur, incendiis, praedis, et depopulatione contrivit. Castrum magnum et ea tempestate forte Lubusch obsidione, quod enim sibi primum ex Almania pervenienti occurrerat, cingit. Sed cum et situ et defensione militum difficilem illius expugnationem advertisset, obsidione soluta, aut iuxta aliquos, expugnato, et perpetua donatione Archiepiscopo Magdeburgensi donato et inscripto in Poloniae ulteriora processit, et continuo gradu ad territorium Bithomiense pervenit. Ubi oppidum Bithomiense plus arte quam situ difficile contemplans, ad expugnandum, illud per deditionem conquirere tentabat. Sed militibus qui in praesidio erant, continuas excursiones, et duella, adeo ut etiam Caesari ingererent admirationem contra suum exercitum facientibus, torvo oculo Sbigneum intuens Caesar, Haec enim inquit verificari video promissa tua, quibus urbes, gentes, et castra tui contemplatione in meam ditionem ventura promittebas, infesta quippe nobis et adversa omnia video, et singulos Polonorum erga Boleslaum fratrem tuum unius fidei, unius tenoris experiri. Ex eoque tempore aestimatio Sbignei in pectore Caesaris perempta est. Boleslaus Poloniae Dux etsi desolatus exercitum non spernendum collegisset, Bohemorumque milites qui de Bohemia exulaverant, in castris haberet, multo tamen et fortior et superior exercitus Caesareus sibi visus est, quam cum quo posset iusta acie pugnam sine suorum discrimine conserere, saepe tamen periculi quod imminebat oblitus, inque suisque hostilibus pensatis viribus decernere aestuabat, nisi militum suorum gravi obiurgatione fuisset distentus, asserentium caesis suis militibus, suoque exercitu, Poloniam extremis servituram. Non quievit tamen vastus et ferox Ducis Boleslai animus, sed Caesareum exercitum ab eo tempore quo Poloniam ingressus est, continue infestatione nocte et interdiu lacessebat, diversis in locis per equites suos in hostes palatos, qui aut praedatum aut pabulatum ibant, faciens impetum, et incursiones. Nam et eos qui agmen paululum deserebant, continuo comprehendebat, et eos qui passim per agros vagabantur, trucidabat, frequenter insuper custodibus exercitus Caesarei vel captis vel inscijs ad exercitum Caesareum intempesta nocte accedens, pluribus interfectis et captivatis universum exercitum tam gravi confusione disturbabat, ut Caesar numerum militum pro custodia exercitus duplicaret. Quoties insuper Imperatoris gratia pabulandi longius ab exercitu progressos dictum invadens, et usque ad ipsa castra Caesarea fugans et caedens, non prius sequi destitit, donec universum exercitum contra se vidisset prosilire, et tunc quidem cedens et in abditum re-

lat

lut locorum peritus se recipiens, eandem invasionem et exercitus et pabulatorum saepius, non sine multorum de exercitu Caesareo discrimine, resumebat. Sed et ex exercitu Caesareorum milites noctu destinans, plures alium pergentes intercipiebat. His et multiplicibus aliis excursionibus invasionibusque adeo Imperatoris exercitum vexarat, afflixeratque, ut nemo pabulatum, nemo spaciatum, nemo longius a castris prodire sine frequenti armatura auderet, quodlibet nemus, silvulaque aut rubus, suspecta habebantur, in omni umbroso et condenso loco Boleslaus Poloniae Dux stare credebatur, universi quoque milites Caesarei in aliquod munus militiae aut pabulatores progredi iussi, iterum illius sibi figurabant occursum, sed neque eos fallebat opinio, quam primum etenim aliquas turmas de castris Caesaris exivisse agnovisset, illas vel illas confligit, vel in turpem fugam convertit, maioremque sui et timorem et laudem sui incommodi clandestinis crebris invasionibus diffundit, quam si acie iusta et integra decertasset, nam et in exercitu Caesareo fames pabulatione deficiente coorta, multos equos, multos insuper et homines tabe confecit. De operibus quoque Boleslai tam fortibus et animosis cantilena ab Almanis composita in illius gloriam, et Caesaris ignominiam, in universo Caesareo exercitu sonora voce canebantur. In viis quoque et urbibus propter maximam virtutis suae gloriam et heroico robore partam carminum vocibus celebrabatur, donec publico edicto Caesar poenam capitis et bonorum confiscationem omnibus interminatus est, quicunque carmina ipsa depromere ausi forent. Erat tamen in ore ipso omnium militum Caesareanorum atque in sermone frequenti Boleslaus Poloniae Dux, summas in eum laudes accumulantium, et miris celebrantium laudibus suam strenuitatem, nec mirum, hostis enim quoscunque arte sibi praesumpserat capiendos, occultis insidiis, dolo, fraude fallendos, furto rapinisque exhauriendos, nihil demum praetermittens, quo tam fortis exercitus debellari posset.

Magna parte Slesiae peragrata, vastataque nonnullisque munitionibus et nobilibus castris, castro etiam Rzeszen expugnato, et per ignem demolito, Henricus Caesar, ad

urbem Poloniae

vrbem Polonorum Glogow, quam Odra vnus ex principalibus Poloniae fluuijs praeterfluit, cum copijs suis in die Sancti Bartholomaei perueniunt. Et quamuis Boleslaus positis militibus vada Odrae et eius ripas vbique communisset, obstruxissetque, transitum Caesaris omni visu prohibituros. Caesar tamen prope Glogouiensis ciuitatis moenia vadum nunquam antea etiam indigenis cognitum reperiens, fluuium Odra superant, multamque pecorum hominumque praedam, sed et nonnullos Boleslai milites qui passim vagabantur, inopinate detinent. Eam cum obsidione cinxisset, et multorum dierum interuallo, proiectione bombardarum, ciuitatem humiles muros et debiles turres atque propugnacula tunc habentem conquassassent, veriti ciues ne in Caesaris potestatem vi capta vrbe venirent, et excidium suum et suorum experirentur, de vrbe dedenda sub certis conditionibus, si videlicet Dux Boleslaus infra quinque dierum spatium obsessis non succurrerat, missis nuncijs cum Imperatore paciscuntur. Imperator non quinque solum dies sed et plures se illis concessurum respondet, certus Boleslaum Poloniae Ducem secum decernere nullatenus ausurum, dummodo in spem certiorem futurae deditionis filios eorum ciuium qui natu maiores in ciuitate haberentur, pro obsidibus, et in pignus futurae deditionis sibi consignent. Necessitate vrgente Glogouienses filios Caesari pro obsidibus tradunt, et Caesar credens eos pacta seruaturos, ab impugnatione vrbis milites cessare iussit. Mittunt interim Glogouienses ad Ducem et Dominum suum Boleslaum Poloniae Ducem, et in quanto versabantur periculo, nisi saniori consilio pactis vsi fuissent, denunciant, supplicant, vt aut illos ab oppugnatione obsessioneque hostili liberet, aut pacta rata habens, impleri ea permittat. Iam Boleslaus Polonorum Dux maioribus copijs exercitum refertum habebat, quippe ex Masouiensi, Sandomiriensi, Lublinensi terris, magnus numerus et pedestrium et equestrium ad eum confluxerat, Ruthenorum quoque copia aduenerat. Plenusque spei occasionem pugnandi cum Caesare inuestigabat

bat. Collaudatis itaq; Glogouiensium nuncijs et ciuibus quod prudenti usi consilio ciuitatem mature perituram in eam diem seruassent, districtissime prohibet, ne quicquam de hy quae cum Imperatore pacti erant, obseruent, malintq; filijs quam se et patriam libertate orbari, se in tempore affuturum et obsessis opem indubie laturum respondet, et quo constantiores essent, si prohibitionem suam in dedenda urbe imperatori transgrederentur, iurat se illos et cum filijs Imperatori dedente exterminaturos. Mandato Boleslai Ducis Poloniae per nuncios ad Glogouienses relato, dum uniuersa ciuitas grandi merore consternata esset, nam hinc metus, hinc pietas et charitas pignorum obiecta, quid agerent consilij inopes colludebat, publicam tamen pietatem singulis comprobantibus, quam priuatam, Boleslai Ducis sui mandatis parituros et mortem potius subituros, quam deditionem pactam seruaturos deuouent. Non hostium illos terret impetus, non laboris frangit asperitas, nec filiorum euertit pietas, omnibus in unum unus est animus, patriam et urbem sanguine tutari. Quapropter ab uniuersis in commune ad ruinas instaurandas, tanta cura, tanta diligentia, concursum est, tantaq; sedulitas in restauratione illa [illegible] monstrata, ut infra biduum quo induciae a Caesare datae nondum expirauerant, omnis instauratio absoluta fuerit. Caesar cum die quinta urbem sibi iuxta pacta dedi requisiuisset, existimans se ciuibus ultro portas aperientibus ciuitatem ingressurum, cum uero videret contra atq; speratus resisti aduersarios infestos Glogouienses habiturus, quos iam deditos crediderat, more ingenij humani pacta in spem meliorum successuum uariantium, et a ciuibus contrarium responsum accepisset, in indignationem non mediocrem uersus, quod se pactis delusissent, ad expugnandam urbem armari exercitum uniuersum iubet, et ab omni parte oppugnationem disponit, credensq; et ciuitatem se facile capturum, et transgressoribus pactorum dignas poenas illaturum. Magna itaq; vi Almanis et Bohemis ciuitatem undiq; Imperatore spectante et adhortante milites, impugnantibus, non minore ui ab oppidanis resistebatur. Credens autem Imperator pietati filiorum

rum nullatenus eos in sua pignora telis aut operibus sauciaturos, sed charitate obsidum obsessos magis quam armis expugnari posse, filios Glogoviensium in propugnaculis de asseribus ordinatis, quae pallia, eo quod milites ad oppugnationem transituros tegant, appellantur, distendi iussit. Sed cum nec sic Glogovienses molliri posse videt, sed in eos filios qui distenti erant, sudes et iacula emittere, et egregie in quaslibet tela contorquere, propter quod Caesariani temere subeuntes de superioribus locis percussi cadebant, innocenti aetati misertus, illo genere expugnationis velut crudeli et infami omisso, milites muros civitatis et turres subire, et expugnationi tota die vacare iussit. Maximo conatu atque labore utrinque certatum est. Caesareos milites indignatio ex violatione pactorum orta, et frequens militum continuo ad pugnam recentibus profligatis et sani et integri pro sauciatis succedentium numerus, Glogovianos extrema desperatio animabat. Tantus autem utrisque his qui conquirendi urbem, illis defendendi ardor inditus erat, ut nullum genus utrinque aut hostis expugnandi aut cives repellendi obmiserint. Et cum Almani et Bohemi audacius civitatis moenia subeuntes, provolutione lapidum superne obruerentur, aqua etiam et pice ferventi plures laesuram incurrerant, multi qui scalis appositis muros conscenderant, civium robore exinde praecipitati animas inspectante Caesare exhalabant. Glogovienses siquidem circa Bolislaum principem suum tam fervido cordis ferebantur affectu, et tam firmam constantiam fideique monstrarunt sinceram, ut maluerint et personas et charissima pignora gravissimis subiicere periculis, quam ad hostilem deditionem detorqueri, unde non immerito eorum fides et sincera devotio, etiam in hanc diem apud Polonos honorifico sydere fulgescunt. Dum autem pluribus diebus huiusmodi continuasset impugnationem, pluresque insignes ex Baronibus Bavariae et Saxoniae cecidissent, referri eorum cadavera in Bavariam et Saxoniam Caesar iussit, et iusto honore a suis sepeliri, ab oppugnationeque urbis qua cum tot praeclaris militibus spoliaverat, desistere, ne et aliis esset in perniciem, coegit. Bohemi vero qui circa expugnationem civitatis desiderati sunt, campestrem haud longe a castris excepere sepulturam. Rogabant autem Boleslaum Poloniae Ducem sui milites, ut in certamen illos cum Imperatore educeret, omni conatu pro victoria adnisuros, praestare sibi aut gloriose vincere, aut honeste mortem oppetere, quam tot suorum tectorum incendia, spoliaque et dedecora sub conspectu perferre. Boleslaus vero militibus benigne pro opera de victoria navanda commendatis, ad sua quemque redire munera, et tempus aptum pro certamine ineundo, dum signum ipse dederit iubet cum silentio operiri, se enim consilio ac prudentia non animi impetu pugnas gerere consuetum, pugnam committere si et utilitas maior et oportunitas loci temporisque suaserint non neglecturum

Glogoviensium obsidione duranti nulla dies absumpta est, sub qua Boleslaus Polonorum Dux nunc a dextra nunc a sinistra, nocturnis pariter atque diurnis horis, gravi molestia continua agressione Imperatoris castra non afficeret. Propterquod Imperator nunquam cum universo exercitu ad urbem expugnandam potuit intendere, sed maiorem partem militum in campestri statione ad pugnam ordinatam, ne Boleslaus a tergo castra invaderet, opponebat, certus enim erat, nisi hoc praevidisset, se a Boleslao discrimen incursurum. Solitus autem erat Imperator huiusmodi exercitui Swantopelconem cum gente sua Bohemica adiungere, et eum ducem utrique populo in eventum futurae dimicationis praeficere. Eodem tempore cum prospera et laeta in exercitu Caesareo viderentur omnia, periculum horrendum a Boleslao Polonorum Duce dudum meditatum supervenit, quod suo momento robur Caesareum magna in parte languidavit. Boleslaus enim dum infirmiorem se persentiret, quam qui cum Caesarianis et Bohemicis copiis acie iusta contendere posset, in Swantopelconem Bohemiae Ducem iras vertit, infestior illi, quam Caesari, inducitque in animum quolibet modo obtruncare illum, ingenio et astu, sua et suorum propulsaturus ingenia postquam vis aperta parum procederet, iustissimo respectu ad id impulsus, quod et patruos suos iustos haeredes de Bohemiae regno eiecerat, et eorum dominia occupaverat, et quod contra se ex Bohemia matre natum, sibi etiam propinqua cognatione iunctum, et contra gentem Polonicam eiusdem penes Ungarij et eiusdem nationis arma in solatium Almanis tulerit. Saepe autem de hac Swantopelconis Bohemiae Ducis iniquitate apud suos quaestus, percussori eius magna praemia proponit. At multis huiusmodi munus aggredi, et hostem patriae delere cupientibus, Joannes miles nobilis filius Criste de genere Vrszowiczensium sive Rawitarum facinus praeoccupat. Nihil eorum quae Imperator cum Duce Bohemiae et suis moliebatur, Poloni nesciebant, quippe et per exploratores et nonnullos in exercitu Caesaris Bohemos, acta suorum prodentes, progressum omnem et statum hostilem investigatum habebant. Itaque oportuno explorato tempore, Joannes Criste miles in Caesareum exercitum perveniens, ducisque Bohemiae Swantopelconis se militem fingens, cum et plures haberet in exercitu Swantopelconis cognatos, et fratres, tempus ad occidendum Swantopelconem Ducem observabat. Cum autem die vicesima prima Septembris Swantopelk Dux Bohemiae in papilione Caesaris consisteret, Joannes praefatus in Ducem ipsum ante Caesarem stantem lancea acutissima tam fortiter impegit, ut eius vtrumque latus perforaret, et Swantopelcus Dux in terram decidens palpitans, nec vna voce quidem emissa, expiraret. Qua nece patrata Joannes miles ex tentorio exiliens, equum ad id praeparatum conscendens fugere coepit, quem etsi nonnulli Bohemi persecuti fuissent, pluribus tamen propinquis persequentibus aut victis aut vulneratis integer et incolumis ad Ducem suum Boleslaum pervenit, et pro causa tam celebri ab eodem Boleslao Polonorum Duce maximis praemiis castris, oppidis villis et possessionibus, quae et in hanc diem genus suum possidet, est muneratus. Cadaver vero Swantopelconis Bohemiae Ducis per suos milites ex papilione Caesareo in castra Bohemica et in Ducale tabernaculum relatum. Fremitusque deinde ingens et commotio in vniverso Caesaris exercitu exortus, omnes milites Caesaris iussu nocte tota insequenti ti in armis tenuit. Excubias quoque campestres crebriores habitas, singulis Almanis pro certo praedestinantibus Boleslaum Polonorum Ducem nocte cum suis copiis superventurum, et belli fortunam tentaturum. Joannes Miles filius Cryste pro patrato in Ducem Swantopelconem facinore, non secus quam Mucius Romanus et propriorum et hostilium militum laudatus celebratusque est sermone

Super nece Swantopelconis Bohemiae Ducis dum nocte occisionem suam insequente, planctus, verus an simulatus, a Bohemis, incertum est, celebratus fuisset, altera die Henricus Romanorum Rex ad tentorium, in quo cadaver Ducis Swantopelk iacebat adveniens, tristem et ipse vultum super illius tam improvisa et indigna morte ostendit. Et quo mors sua esset minus Bohemis molesta, permittet illis ut quem velint de natis suis duobus unum, Henricum videlicet vel Wenceslaū in patris locum surrogent, asserens se in favorem eorum eam vel quamcunque aliam eorum electionem confirmaturum. Bohemiae autem Barones et ~~quinq~~ regni filio Swantopelconis praeteritis, Otthonem secundogenitum germanum dicti Swantopelk temerato iuramento, quo se post mortem Swantopelk non alium quam Vladislaum filium Vratislai tertiogenitum ex Swatawa, et germanum Borzywoy assumere astrinxerat, in Ducem deligunt, et surrogati Ducis gaudium funesto funeri miscuerunt. Qui etsi ab Henrico Imperatore approbatus fuisset, Pragamque in possessionem accepisset, infra tamen paucos dies Ottone Rex eliso et reiecto, praefatus Vladislaus a singulis Bohemis in Ducem assumptus est, facileque possessionem totius Bohemiae sortitus. Bohemicus exercitus Duce suo Swantopelcone occiso, remitti se ad propria magnis instantiis expetebat, veritus ne per exules Duces Borzywoy et Sabuslaum res in Bohemia novarentur. Henricus autem Romanorum Rex discessionem Bohemorum moleste ferens, retinere illos omnigeno modo astuabat, persuadebatque ut aliquibus Baronibus Bohemiae cadaver Ducis Swantopelconis in Pragam referentibus, caeteri omnes in castris suis subsisterent, et eum Polonicam agentem expeditionem desertum iri non sinerent plures incursiones invasionesque et pericula ab eo hoste qui neque noctu neque interdiu novit quiescere perpessurum. Verum Bohemis tacitis infelicem militiam, in qua Ducem suum obtruncari contigerat magnopere detrectantibus, et non se amplius in bello parum auspicato sine Principe sine capite perseverare velle respondentibus, suo illos Caesar arbitrio relinquere, vel in Bohemiam discedere, vel remanere in castris Caesareis coactus est. Bohemicis copiis discedentibus Sbigneus frater naturalis Ducis Boleslai Poloniae, veritus quippe quum sibi omnes Almanorum primores, ipsum quoque Henricum Regem noverat infestos, cum Bohemi una discessisset, sortem suam intelligens, Ducis Swanthopelconis occisione vehementer debilitatam ac attritam

Swantopelcone Bohemiae Duce taliter ut praemisimus occiso, et exercitu suo Bohemico in Bohemiam remeante, Henricus Imperator consilio advocato, an in obsidione urbis Glogoviensis persistendum esset, vel in Almaniam redeundum deliberat. Sed cum singuli probassent obsidionem cladibus et funeribus magis quam victorijs insignem omittendam fore, neque in bello mali auspicato diutius demorandum, Nuncij Polonorum Ducis Boleslai, miserat quippe illos Boleslaus sperans Swantopelcone Duce Bohemiae interfecto, facile animum Caesareum ad pacem inclinaturum, adveniunt, petentes ut Romanorum Rex et obsidionem Glogoviensium tollat, et ab agro Polonico exercitum deducat, Ducem suum Boleslaum praeter meritum, imperialis hostilitatis sarcinas perpessum esse; quem contra infidelium nationes continua bella gerentem commendatissimum erat solatia imperialia non impugnationem meruisse. His a Caesare responsum est. Si Polonorum Dux Boleslaus et Poloni imperio tributis subiecti esse volunt, Sbigneum quoque ad portionem suam restituant, petitionem eorum Imperatorem facile admissurum. Sed cum Nuntij Ducem suum Boleslaum et Polonos nullo pacto ditioni suae et tributis servituros, sed neque Sbigneum velut hostem infestissimum patriae, in gremium suum, certam perniciem iterum illaturum, assumpturos respondissent, multa Henricus Rex coram Nuncijs de potentia et divitijs imperij disserens, etiam illis thesaurum quem secum in castris habuerat, vasa quoque et clenodia concupiscibilia, auro et gemmis caelata monstravit, subinferens illum solum sufficere ad eorum Ducem et gentem edomandam. Erat summus legationis forte princeps Nobilis quidam comes Scarbek tres tracturas aequales in stella quae ab Astronomis Casapia appellatur, medium pro insigni deferens, qui Caesari thesaurum ostentanti et de potentia sua disserenti, responsum aliquod commemorandum editurus, annulo aureo quem in articulo gestabat detracto, in eius quem Caesar ostentabat thesauri medium proiecit, ait: Aurum iungatur auro. Henricus autem Rex dum esset perspicacis ingenii facile intelligens, quod legatus Boleslai et proiectionem annuli, et adiectionem verborum, contemptum tantarum gazarum significari portendisset, significationem suam et contemptum quem notabat exclusurus, in almanico respondit Habdank, quod significat habeo gratias, quasi his paucis verbis respondisset, etsi tu thesauro meo contempto, etiam in ampliorem eius contemptum, parvam auri quantitatem adiecisti, et de hac quidem ego tibi habeo gratias. Legati Ducis Boleslai infecto negocio a Caesare dimissi redeuntes, singula ex ordine quae eis responsa fuerunt, exponunt, Legatusque ille et sua omnis successio et posteritas appellationem suorum armorum et domus Habdank in diem hodiernum accepit. Maior indies in exercitu Caesareo de strictione Bohemica terror augebatur, ob quem in castris Imperatoris duplicatae excubiae, et Imperatori recessus magnopere ab amicis persuasus, ne et ipsum insidiis Boleslai circumventum iri, exercitumque suum contingeret. Quae quidem consultatio facile ab Imperatore accepta est, ut pote in cuius iam pectus altius quam quisquam ratus erat, obtruncatio Ducis Bohemiae Swantopelconis se infunderat, deteriorisque conditionis se a Bohemis quaerebatur deceptum, Sogtel. potius favore non necessitate quam si ab initio solatia illi non tulissent

Paucis posthac diebus, dum Boleslai Polonorum Ducis legatos pacem petitam nequaquam impetrantes dimisisset, in obsidione Glogoviensi Caesar immoratus, obsidionem suorum victus consilio dissolvit, et versus Wratislaviam processit,

expugnationi

ex pugnaturum Vuratyslauiae si forte illic melior sibi proueniret fortuna tentaturus. Sed dum ad vnius milliaris spacium a Vuratyslauia statiua posuisset, Boleslaus Polonorum Dux omnibus potentijs dominiorum suorum quanta potuit celeritati ordinatis, magna insuper agrestium, ut speciem validi exercitus hostibus obijceret, auctus turba, agmen exercitus sui, cursus magis quam itineris modo persequendo Imperatorem ducit, Adeo ut nec nocturna quidem quiete a diurnis recrearentur laboribus; Henricum Regem Romanorum persequi et cum illo decernere statuit. Quem cum in dictis statiuis vno tantummodo miliari a Vratyslauia distantibus consequutus fuisset, ordinatis aciebus, paucis milites adhortatus, quatenus suae nobilitatis et originis memores, quam fortissime pro patria, pro libertate dimicarent, perpetuam gloriam, si orbis terrarum Imperatorem, veterem eis libertatem adimere, et tributis eos subijcere conantem, sternerent, et de vastitate eorum regioni irrogata se vindicarent, et ipsi habituri, et posteris magno fauore eam relicturi, hunc diem qualis cuiusque sit virtus ostensurum. Concurrunt validissimo impetu et clamore vtraque acies, et vtraque pro victoria adnitente, durissimo Marte dum mane pugna coepisset, vsque ad meridiem certatum est. Cadentibusque ex vtraque parte pluribus mortalibus, saepenumero Caesariani milites cum numero superiores essent, etiam in pugna praeualebant, nutabat Polonica acies, plerique ex pugnatoribus Polonis spectabant ad fugam, ni sollicitus Boleslaus quaelibet loca cernens, et nouos fessis substituens, suorum in locis aliquot labantem pugnam restituisset, et confirmatis suis, pulsis aduersarijs, erectis militum animis, praelium ex integro reparasset. In ipso autem feruore pugnae Slesianorum militum acies, quam in subsidijs Boleslaus locauerat, eius iussu erumpens, in latus exercitus imperialis quam fortissime potuit impegit, et ordines Almanorum disrumpens, caeteris militibus pugnatoribusque viam ad irrumpendum in hostes et ad comprehendendum victoriae brauium aperuit. ab hostibus enim ex improuiso composita pectora illorum essent timidiora, caetera enim omnis multitudo Polonorum non militum solum, sed etiam agrestium partam victoriam efferret.

Caesar

Cæsar suorum aciem inclinatam perpendens, hortatu suorum monitu in fugam se, insignibus imperij in fugientem proderent abiectis, convertit. Post haec magis trucidatio quam pugna fuit, omnibus Almanis vario itinere fugientibus, quorum etiam magnus numerus in fuga comprehensus Boleslao redditus est, quos in honore iusto semper habuit, et magnam victis exhibuit clementiam, et humanitatem. Tanta autem fuit in loco certaminis cadaverum copia, vt ex omni propinqua regione multitudo canum illuc ad devorandas humanas carnes concurrens, periculosum aliquanto tempore singulis parva comitiua illud iter facientibus efficeret. Vnde et locus ipse in hodiernum vsque diem Caninus Campus vocabulum sortitus, argumentum relatae tunc per Boleslaum de Cæsare tam famosae victoriae sua nuncupatione renouat, et conseruat, Et quamuis clades ipsa fatalis et ignominiosa Almanis extiterit, non secus tamen apud illos et alias finitimas gentes post relatum de Cæsare triumphum, Boleslaus Polonorum Dux celebratus est, quam Marcus Marcellus post deuictas Siracusas, et diruta Romana moenia, et Annibal post Trasimeni lacus, et Cannensem pugnas. Ex qua plane constat nil gloriosius, nil vberius, virtute. Haec quoque Boleslai victoria nomen eius gloriosum inclitumque reddidit, gentisque Polonicae gloriam dilatauit. Heroica quoque Boleslai vrbibus vulgata ferebantur facinora, praeclarum enim visum est sub vno eodemque tempore et Imperatorem armis, et Bohemum astu superasse. Admirandusque propterea Boleslaus Polonorum Dux apud proprios et exteros effulsit sapientia praestans et re militari pro singulari sua virtute, prudentia, audacia, belli peritia, militari disciplina, et suorum et hostium vno ore dux atque imperator vigilantissimus decantatus, eo triumpho omnibus locis maxime celebratus, nec iniuria, nam si sincere, passione circumscripta animaduertimus, non Cæsarem solum Henricum et eius exercitum, sed vniuersos Almaniae populos profligatos fuisse, illo vno eximio praelio fatebere

Septima mensis Septembris Balduinus Cracouiensis Episcopus natione Gallus moritur, et in Ecclesia Cracouiensi sepelitur, cum annis septem Ecclesiam Cracouiensem rexisset. In cuius locum Maurus per Papam ordinatur Pascalem et secundum alios Gelasium secundum, Boleslao Polonorum Duce eius ordinationem acceptante, Vir genere Italus, Romanus, ex familia nobili ducens genus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS DECIMVS.

Cladem apud Poloniam in Psiepole vir ignobili Henricus Romanorum Rex acceptam, etsi molestissime ferret, alteram quoque in Poloniam meditaretur agere expeditionem, ignominiam superiorem detersurus, negotiis tamen imperij et viagio quod pro suscipienda imperiali corona dudum futuro Romam faciendum erat, arcebatur, Simulque Boleslai Ducis Polonorum animum expertus, probe noverat, aut secum congressurum, aut si congredi propter imparitatem metueret, exercitum suum gravibus dispendijs et incommodis clandestinis et subitis incursionibus lacessiturum, Verebatur insuper ne se absente Boleslaus Polonorum Dux suas naturales, et imperij terras, Regno Poloniae vicinas, in ultionem belli contra Poloniam a se gesti, invadens vastaret, atque exureret. Multorum etiam sui imperij nobilium militum, qui superiori bello per Boleslaum Poloniae Ducem captivati erant, ipsum vexabat detentio, quos antequam Romam iret, solvere, magnopere ne eorum captivitas in maiorem suam ignominiam recideret, satagebat, His curis vehiculatus maxime atque distentus, secretiorum compendiosiorumque, partim affinium, pacem a Boleslao Polonorum Duce superiori anno petitam, et a se negatam, dare eidem suadentibus id Consiliarijs disposuit, quod ut familiaribus proveniret, per communes egit amicos, ut Boleslaus Polonorum Dux mutatum animum Caesaris intelligeret, et ad se in Bamberg personaliter veniret, neque pacem, neque amicitiam, neque quicquam aliud se digrum sibi negaturum. Diu an ad Caesarem iret Boleslaus Polonorum Dux deliberavit, multis tamen suis et dominij sui profectibus, qui ex transitu suo secuturi erant, pensatis, in apparatu pulcherrimo ad Henricum Romanorum Regem in Bamberk venit, et verbis

benignis

honestis atque ad persuadendum compositis pacem petiit, quae sibi et genti suae non in infamiam, sed in gloriam et decus verteretur. Se de sanguine Poloniae Regum satum, omnia communia cum Regibus praeter nomen retinuisse, scire se et Poloniam et eius Reges atque Principes nunquam tributi servivisse, sed semper plena libertate usos in eam diem fuisse, pro qua tuenda conservandaque arma necessitate impulsum induisse, et contra Caesarem dimicasse, prius quoque omnia se et gentem suam extrema passurum, quam Regnum suum et gentem tributis dediturum. Sed nec Caesarem expeditionem in eum, nisi falsis Swantopelconis Bohemiae Ducis et fratris sui Sbignei suggestionibus incensum, cum imperium Romanum in nulla re offendisset, tentavisse. Orabat deinde Boleslaus Caesarem ut illum amicum imperii quam hostem habere mallet. Henricus Rex Boleslao benigne appellato, et omnem indignationem ab invidis contra illum apud se commentatam, se illi offert remissurum, et eum inter principes Catholicos iusto honore velut suum et imperii amicum habiturum, et quaecunque petere vellet honesta largiturum. Ad hanc tam munificam et favorosam Henrici Romanorum Regis Boleslaus Polonorum Dux oblationem, sororem Regis sibi in sponsam, filio vero suo Uladislao ex Ruthena genito, filiam Regis Henrici Cristinam nomine, virginem forma venusta coepit petere in uxorem, quae omnia Henricus Rex sine cunctatione Boleslao concessit, et celebratis in Bamberk nuptiis cum sorore Caesaris, tam novam nuptam sibi quam filio Uladislao virginem Cristinam iuvenculam et minorennem cum dote duplici, comitatus militibus Caesareis, in Poloniam deduxit, et omnes captivos Almanorum in praelio et guerra captos Henrico Regi Romanorum remisit. Magnaque extunc et deinceps pacis, charitatisque amoenitas inter dominia imperii et Polonorum terras, homines subditos viguit et Henricus Romanorum Rex castris et terris in Polonia conquisitis, et signanter castro Lubuscensi, quod ab eo in donationem perpetuam Maydburgensis Archiepiscopus acceperat, expresse renunciavit

Audiens Bohemiae Dux Borzywoy filius secundo genitus Brzetislai Primi Regis Bohemiae, quem ex regina Swatawa susceperat, qui cum Germano suo Sobeslao, et pluribus Bohemiae baronibus in Polonia apud Boleslaum Polonorum Ducem annis aliquot exulabant, fratrem suum natu minorem Vuladislaum, post occisionem nepotis sui Swantopelk, Bohemiae principatum, qui nulli alteri, nisi sibi iusto iure debebatur, Otthone etiam fratre Swantopelkonis ab eo depulso, assumpsisse; supplicat Boleslao Polonorum Duci, ut illi pro recuperatione Ducatus sui dignetur solatium ferre, et aut personaliter cum eo vadat, aut gentem expeditam transmittat. Boleslaus autem Polonorum Dux conditionem suam Ducalem miseratus, cum robusta militum suorum manu, ipsum versus Bohemiam, comitantibus illum pluribus Bohemiae Baronibus, qui secum ibi exulaverant, suo sumptu omnibus provisum conducit, Sobeslao altero fratre in Polonia remanente. Et cum iam in metas Bohemiae et Sylvam Ercineam, quae Poloniam a Bohemia dividit, devenisset, plures Bohemiae Barones, cognito Borziwoy Ducis sui adventu, ei obviam eunt, ipsumque cum magna laetitia suscipiunt, precanturque, ut Dux Boleslaus Polonorum in principatus suos redeat, daturos se ordinem, quo sine bello Dux suus Borziwoy Ducatum Bohemorum possideat. Victus itaque Boleslaus Polonorum Dux, tam Borziwoy Ducis, quam Bohemiae militum precatione, in Poloniam regreditur, et nihilominus cum Borziwoy Duce insignem militum suorum Polonorum cohortem destinat. Borzywoy itaque Pragam a suis devotis, et solenni processione susceptus, civibus et castri Vuissegradensis plenam, frater enim suus Vuladislaus in Pilszno tunc agebat, nanciscitur possessionem, et Hermannum Episcopum Pragensem comprehensum in carcerem damnat. Fabianus vero Vuissegraden. Capitaneus, omnibus relictis, de manibus Borzywoy elapsus, effugit, plures etiam alii cives Pragenses, qui sibi erant conscii, quique partem alteram sectabantur, relictis uxoribus, filiis, et possessionibus ad vicinas regiones diffugiunt.

Fit magnus in universa Bohemia tumultus et rumor villarum, vicorumque incensio, vastatio, et praedatio. Otto interim Swantopelconis frater una cum Vuarzhoni Baroni qui tunc potens in Bohemia habebatur, congregatis gentibus Pragam ingredi tentant, castrumque Vuissegradense a Praga repulsi obsidione cingunt. Vuladislaus Dux occupatam a fratre Pragam et Vuissogradum dolens, cum gentibus Pragam venit, ad quam petenti ingressus negatus est. Mittit proinde nuntios ad Henricum Romanorum Regem de expulsione sua queritur, petens ut illi sua authoritate Ducatum ademptum restituat. Qui in Bohemiam duobus Ducibus circa se, Dipoldo et Berengario destinatis, pacem mandat inter dissidentes super Ducatu inter fratres reformari, et omnes dissidentes ad se personaliter venire, plenam decisionem super quaestione recepturos. Qui cum ad illum venissent, Vuladislao quidem Ducatum Bohemiae reddendum decreverunt, fratrem vero suum Borzywoy in captivitatem venerit. Vuladislaus vero Ducatu Bohemiae suffragio Henrici Regis Romanorum potitus plurimos Baronis nobilisque Bohemiae et cives Pragenses, quos favisse fratri suo Borzywoy intellexerat, variis poenis, exiliis et tormentis afficit, Nepotemquoque germanum Ottonem suspectum habens, ne illum in Ducatu supplantaret, ad se pacifice in Saczka accersitum captivat, quem primum in castro Vuissogradensi, deinde in Krzivoklat triennio detinebat, Vuarzhonis Baronis consilio ad id plurimum animatus et permotus

ANNVS DOMINI MILESIMVS CENTESIMVS VNDECIMVS

Captivitatem fratris et alumni sui Borzywoy Bohemiae Ducis, per Vuladislaum fratrem ejusdem Borzywoy, et Ducatus Bohemiae occupatorem, Boleslaus Polonorum Dux moleste ferens, validissimo congregato exercitu, cum Dobeslao Duce Bohemiae, Duce Borzywoy fratre apud se exulante, Bohemiam circa festum S. Michaelis ingreditur, fratres ipsos aliquibus sinistris conditionibus per quas et Borziwoy Dux a captiuitate absolui posset, pacificaturus. Sed dum Vladislaus Dux pluribus nuntijs et literis a Boleslao Duce Polonorum inuitatus, vt ad se secure et in pace veniret, decisionem differentiae inter se et fratres suos Borziwoy et Sobieslaum, ipso eorum communi fratre et amico arbitro super Ducatu Bohemiae recepturus, nullatenus vocationi et inuitationi suis mota acquieuerunt, sed in vocatione et inuitatione praefata dolum latere praetendens, et nuncios cum inuitatione respulit, et exercitum Ducis Polonorum Boleslai inuadere decreuerunt. Quod cum Boleslaus Polonorum Dux sensisset, omnem oram circa flumen Albiam incendijs et spolijs vastauit, praefatoque Vladislao Duci occurrens ipsum graui caede Octauo Idus Octobris circa flumen Czidlina, multis primoribus Bohemorũ aut occisis aut captis afflixit, et fugere in Pragam coegit. Multisque spolijs et exactionibus in Bohemia patratis, et incolumem victoremque exercitum suum, et Sobieslaum Bohemiae Ducẽ sanum in Poloniam cum ingenti praeda reduxit. Quae clades Bohemis tunc per Polonos inflicta, etiam Bohemorum annalibus apud incredulos et dubios [illegible]

Vehementi dolore Swathawa Vratislai vidua Bohemiae Regina Boleslai Polonorum quondam Regis filia, super filiorum suorum Borzywoy, Vladislai, et Sobieslai collisione mutua afflicta, dum vnum captiuũ, alterum exulem, et tertium victum videret, mediatricem se posuit, et pluribus sanis et prudentibus tria Statibus interpositis, filium Vladislaũ, quod fratribus suis Borzywoy et Sobieslao par ius in Ducatu habentibus, aduersus et infestus esset, correctum cum fratre Sobieslao in Polonia exulanti, venia ne ampliores strages inter ipsos consurgerent, pacificauit. Reuocatus igitur Sobieslaus tam matris quam fratrum nuntijs et literis ex Polonia in Bohemiam venit, et Tarzen ciuitatem cum suo destructam et provinciam, ita enim inter eos Sunatsaima matrimonio Surat, et possessionem et Sanctitatem accepit

Pontifex Crusviciensis alias Wladislaviensis Ecclesiae Paulinus, cum eandem Ecclesiam annis duodecim rexisset, debitum carnis in aetate matura solvens moritur, in Ecclesia Crusviciensi sepelitur, et in eius locum Balduinus Gallicus de annuentia et consensu Ducis Polonorum Boleslai velut Patroni ordinatur.

Victoriis superioribus de Polowczis relatis, Ruthenorum Duces animati, qui aegre alias Polowczorum bella repellebant, ad inferendum ultro Polowczy bellum accinguntur. Expeditione itaque indicta Swantoslaus Kijoviensis Dux cum filio Jaroslao, Wlodimir cum filiis et David cum uno filio secunda Quadragesimae Dominica copias pedestres et equestres sola spe in Deo et Angelis eius reposita, in campum educunt. Superatoque flumine Sula venerunt in Chorola, ubi cuneos instruunt, et acies ordinant. Abinde ad flumen Olsa perventum est et aliquot diebus stativa habita. Ex Olsa ad aliud aquae magnum flumen Vuorskla traxerunt, quibus quidem fluviis superatis ad flumen Tanais quod Don appellamus magnitudine varia priora flumina excedens, exercitus pervenit. Illicque arma induens et signa militaria extendens, agmine composito, ita ac si in conspectu hostis esset, incedebat. Ad castrum deinde Szuhanye applicans, a viris qui in illo erant pacifice et honore exceptus, ad aliud castrum Szuwrow pertingens, illud exurit, et iterum ad flumen Tanaim remeant. Polowczij itaque suarum regionum vastationem non ferentes, Ruthenorum Ducibus agminibus occurrunt, praeliumque conserunt. In quo adhortantibus se mutuo Ruthenorum militibus et mori prius quam fugere decernentibus, primi Polowczorum aciebus caesi fusique reliqui diffugiunt. Post paucos quoque dies novo et ferventi exercitu Polowcze ex multis legionibus in staurato fortunam tentaturi ad congressum veniunt. Sed parem priori referentes fortunam a Ruthenis et Ducibus eorum certamine inito conflicti et victi sunt. Fugientesque Polouczos Rutheni in plura milliaria persecuti quatuor diebus castris eorum equis pecoribus camelis, uxoribus et parvulis et omni alia suppellectili potiti, duplici praelio victores Russiam reversi sunt maximo gaudio et honore processioneque a suis excepti

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS DUODECIMUS

Quietem, quam hactenus Pomeranis et Pruthenis Boleslao circumvicinis bellis assidue occupato praebuerat, Pomerani et Prutheni non ferentes, clandestinis et secretis propriis inter se habitis et celebratis conventibus contra Polonorum regnum coniurant et assumunt bella. Et quoniam Boleslaus Polonorum Dux partes Posnanienses et Cuiavienses crebrius solito tunc invisebat, in Pomerania quoque plura castra valido praesidio superimposito in suam ditionem redegerat, potentiam suam resistentiamque barbari velut fulmen veriti, in remotiores provincias apud quas non credebat eorum incursionis adventum bellum convertentes clandestina et secreta et nunquam alias denunciata hostilitate provinciam Masoviae invadunt, praedis, spoliis, conflagrationibus virorum, villarum et aedium tumultuario bello patratis, antequam Boleslaus Polonorum Dux rescire posset eorum irruptionem, in sua cubilia remeaturi, aliter tamen quam rebantur ipsis illis respondit. Regebat siquidem pro ea vice regionem Masoviensem Magnus Comes, quem in superioribus Wratislaviensem oram rexisse monstravimus. Is quamprimum Pruthenorum et Pomeranorum contra se et regionem suae fidei et regimini commendatam sensit adventum, nullatenus illos praedas et spolia ex Masovia efferre aut incendia aut depopulationis agere permisit. Sed extemplo cum omnium

Masoviensium nobilium et popularium manu, quos sub tanta celeritate cogere potuit, eis cum spoliis et praedis praecedentibus occurrit. Illosque quiescentes et quieta omnia suis exploratoribus denunciantibus esse existimantes, inopinati priusquam dies illucesceret aggressus, tanta clade soporatos oppressit vicitque, ut pauci fuerint quin aut occiderentur, aut caperentur, evaderentque. Subito enim adventu atque insperato hostes perterriti, neque consilii habendi, neque arma capiendi spacio dato, veluti dormientes et inulti, et non secus quam pecora trucidabantur. Sexingenti occisi, mille ducenti capti, eo praelio hostes referuntur. Simon Plocensium Antistes rarae vir probitatis et devotionis victoriae Polonorum ex Prutenis et Pomeranis tunc relatae, maximum creditus est adiumentum praestitisse. Qui sub omni tempore quo hostes Pomerani et Pruteni patriam ingressi sunt, continuis singultibus, precibus, ieiuniis, et lachrymis una cum clero suo obsecrare pietatem divinam pro victoria Polonis danda non destitit. Sed nec prius et mentem et corpus ab oratione, ieiunio, et obsecratione laxavit, donec certificatus est Magnum Comitem et Masovienses plenam et magnificam victoriam de hostibus retulisse, quam tam feraciter et abunde promeruerat, ut Pomerani et Pruteni tunc a Polonis victi et debellati, qui se in sylvis et nemoribus fugiendo abdiderant, pluribus diebus nedum a viris sed matronis et puellis gratia legendi fraga sylvas frequentantibus caperentur et armis exuti, vincti, ligatique a tergo in victorum ducerentur conspectum. Eadem felicis fortuna apud Slesienses affulsit, qui Sbignevi milites et satellites praedas apud eos agentes et incendia, singulari certamine superatos, aut extinxerunt, aut in captivitatem diram converterunt.

Henricus Romanorum Rex inter Imperatores quartus, sed quantum ad Henricos quintus, cum Tusciam cum magno exercitu triginta videlicet millibus armatorum coronam imperialem recepturus advenisset, nuntios ad Paschalem Papam Secundum, investituras Episcoporum refutando, et illis se perpetuo abdicando, praemittit, sciens aliter sibi Papam munus Coronationis nullatenus impensurum.

Expost Romam veniens, cum ab omnibus processionibus Ecclesiarum honorifice susceptus esset, Paschalis etiam Papa cum Cardinalibus ad gradus illi occurrens, ad portam argentiam eum deduxit, et osculo dato Imperatorem designavit. Verum postquam ad Rotam Porphyream ventum fuisset, et Papa super abdicatione investiturarum Episcopalium instrumentum ab Henrico requireret, Henricus Rex de consilio suorum Paschalem Papam cum Cardinalibus et tota curia sua captivavit, et Ulrico Aquilegiensi Patriarchae custodiendum tradidit, et in carcere duobus mensibus donec petitioni de abdicatione Investiturarum renunciasset tenuit. Liberatus ergo Papa et solutus Henricum in die festo Paschae coronat, et in Almaniam redeuntem nova censurarum fulminatione, ut se investituris Episcoporum abdicet, percellit. Henricus Imperator toto tempore quo Paschalis Papa vixit in pertinacia perduravit. Captivitatis Papalis author fuisse dicitur Albertus natione Lotharingus, qui postmodum factus fuerat Maguntinus Archiepiscopus, tunc vero Regis Cancellarius, quem post reditam Rex captivatum et in carcere positum diversis tormentis et incredibili famis inedia afflixit, et pro acerrimo pestiferum hostem tenuit, divino iudicio hoc illi iustissimam inferente ultionem. Nonnulli insuper scelerati filii ex clero Romano per Imperatorem inducti post liberationem Paschalis, tres haeresiarchas videlicet Albertum, Arnulphum, et Theodericum, in Papas erigere praesumpserunt. Qui etsi Paschali Papae multas intulissent molestias, in extremum tamen ab eo prostrati et devicti sunt

Sextadecima die mensis Aprilis Swantopelk Kyoviensis Dux et sororius Boleslai Polonorum Ducis in Kyow moritur, et in Ecclesia S. Michaelis in Kyow, quam biennio ante sumptuoso opere deauratum ei fabricando verticem fundaverat, sepelitur. Cuius morte sequuta, missi sunt a Kyoviensibus nuncii ad Wladimirum

Germanum Swantopelkonis, qui moriens sit veniret, et sedem Kyouiensem paternam et auitam susciperet. Eo vero in bello occupato venire tardante, milites in seditionem versi, curiam primum Putatae Palatini Kyouiensis, viri ea tempestate locupletis, deinde singulos Iudaeorum in Kyow existentium inuadunt et diripiunt. Novi itaque nuntij ad Vladimirum et maturaret aduentum missi, qui spolia, quae mala apud Kyow emerserant, edicunt, simulque denunciant veriti Kyouienses si venire negligat, militarem furorem et licentiam in templorum, in monasteriorum, et Ducalium curiarum spoliationem grassaturum. Quibus rebus Vulodimir Dux non secus, quam sperarat, motus, cum magna festinatione ad Kyow peruenit, et a Kyouiensibus ciuibus suppliciter exceptus ortam et crescentem militarem seditionem suo aduentu oppressit. Iaroslaus autem filius Swantopelkonis, et Germanus Sbislauae Polonorum Ducissae, in Ducatum suum Vladimiriensem diuertit. Gentem Iatwingorum infestam molestamque per frequentes excursiones Ruthenis Swantopelkonis Kyouiensis olim Ducis filius Iaroslaus Vuladimiriensis Dux oppressurus, cum exercitu illuc ire pergit. Quibus illorum regione in parte notabili vastata, copias etiam eorum proelio interfecit, victorque rediens filiam Mscislai et neptem Vuladimiri accepit duodecima Maij in consortem. Gens autem Iaczwingorum natione lingua ritu religione et moribus magnam habebat cum Lithuanis Pruthenis et Samogitis conformitatem, cultrix idolorum et ipsa dedita, principalis eius et Metropolis erat arx et ciuitas Drohiczin

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS TREDECIMVS

Pomeranorum et Prussorum clandestina in Mazouiam irruptione Boleslaus Polonorum Dux graui indignatione offensus, parum putans eos pro sua socordia, a Magno Praefecto Mazouiae poenas pependisse, expeditionem in Pomeraniam indicit, et copiis equestribus et terrestribus in unum coactis, primum ad Cruswiciense oppidum peruenit. Ubi uniuerso exercitu inspectato

et statim a

et stativa sua ex Crussvicia movente, adolescens quidam forma venustissima in pinnaculo Oratorij Sancti Viti, quod in urbe Crusviciensi consistit, cuius mirandus splendor non oppidum tantummodo Crusviciense, sed etiam eius vicina campestria illustraverat, apparens, omnium in se Polonorum Ducisque praecipue Boleslai converterat aspectum. Cumque miro modo et stuperent et mirarentur, adolescens ipse motis castris e pinnaculo desiliens, exercitum praecedebat, et recto itinere ducens, exercitu universo suo ductum sequente, ad Nakiel pertendit, pomumque aureum quod in manu gestare visus vibrans et versus urbem Nakielensem proiciens disparuit, capiendae urbis certam spem relinquens. Qua fiducia Boleslaus Dux et exercitus eius plurimum animatus exhilaratusque, castrum et oppidum Nakiel quod tunc a Pomeranis tenebatur, et ex quo plurima Regno Poloniae inferebantur damna, invasiones, et spolia, obsidione vallavit. Ad quae expugnanda machinarum provectione crebra usus, et arietis, caeterisque expugnationum illa quaternus generibus, omnia praestantiora castri et oppidi firmamenta, aut diruit, aut debilitavit. Cumque castellani et oppidani se a Boleslao, quamprimum exercitum ad moenia admoverit, comprehendendos vidissent, ne urgerentur capta urbe extrema experiri, postquam iam essent extrema desperatione fessi, promissumque a principibus Pomeraniae subsidium tanto tempore praestitum non esset, caduceatoribus ad Boleslaum in castra missis secum paciscuntur, ut infra dies quindecim castrum et oppidum dedant, si a suis principibus requirendum interim subsidium non acceperint. In hunc modum inducijs conclusis ab oppugnatione castri et oppidi cessatum est, et nuntij ad Principes Pomeranorum et Prussorum cum festinatione missi, eos tam paratos et in armis congregatos laturos obsessis suffragium commonent, in quanto versentur periculo edicunt, et quae cum Boleslao de dedendo castro

et oppido

et obsessis, ni illis tempestiva proveniat subventio, pacta inierint, ex ordine declarant. Magnus illico rumor, fremitus et indignatio, apud Pomeranos exorta est quod urbem et munitionem tam utilem et necessariam in hostium potestatem deventuram, ni feratur auxilium, agnovissent, qua amissa, multa sibi pro sui commodo et pernicie detracta, et Polonis profutura adjicienda ominabantur. Accedebat ad indignationis cumulum, quod oppidum Nakiel ea tempestate capitalis principalisque urbs apud Pomeranos habebatur, qua adempta grave se dispendium et dedecus, Metropoli sua exuti subituros quaerebantur. His et pluribus aliis respectibus incensi vniti se devovent in pugnam, Et quo certior proveniret victoria tam a veteranis quam tyronibus novo Sacramento iuratum est, cum magnam iuventutem non ingenuam solum sed agrestem in id bellum exarmassent, non se ex acie pro liberanda patria nisi victores redituros. Nuncijs itaque Naklensium remissis, et de suffragio illis prius quam dies quintadecima laberetur, ferendo bene sperare iussis, ipsi de modo et ordine gerendae cum Boleslao pugnae consultant, Et quamvis ex urbibus suis bellatoribus supra quinquaginta millia armatorum se habere comperissent, in pluribus tamen praelijs Boleslai Polonorum Ducis virtutem et felicitatem experti, etiam de tanta multitudine diffidebant, astuque et dolo et Stratagemate non viribus aut armis de hoste tam felici audaci et exercitato referendam sibi victoriam concludebant, Celeritas et clandestina praeoccupatio ad id plurimum conferre ostentabantur, ut et inopinati et celeriter advenirent, priusquam hostes illos venisse praesumerent, incautosque et imparatos adorti facilius opprimerent, equos insuper relinquere domi et pedestri certamine pugnam inire placuit, quatenus adaequato periculo fiducialius pertinaciusque praelium ab universis gereretur, et fugae spes nulli subesset, simul quoque ne equorum hinnitu adventus eorum apud hostem prodi posset. Silenti itaque et composito agmine ex castris media nocte signo dato egressi, omni itinere publico campo et planicie evitato, per Sylvas, borras, et nemora gradientes, tandem ad Naklo tam improvise et latenter, ut quoslibet exploratores Boleslai et eius custodias fallerent, perveniunt, tanto diligentiori explorando omnia cura, quanto nocturna caligo, neque enim tunc lucebant sydera, amplius sibi providentiae ademerat. Et quanquam non venit tam audax inceptum ad destinatum finem, tamen haud omnino vanum fuit. Agebatur tunc Sancti Laurentij martyris gloriosi, qui apud Polonos magna cultu veneratione, solennis dies. Et Dux Boleslaus universusque exercitus suus, quod et induciae essent, et hostis nulla suspitione, auditione divinorum occupati, arma exuerat, dum subito exercitus Pomeranorum duce, et Polonis, suscepta Sacerdotali benedictione, in tentoria divertentibus, conspicitur, magisque nunciatur advenisse, Plures tam inopinatus hostium adventus ex Polonis terruit, tumultuarioque more ad arma induenda a singulis Duce Boleslao cogente, concursum est. Apparebatque Pomeranos extemplo victores, si eadem celeritate qua ceperant Boleslaum invasissent. Verum quo tutiores adversus hostes consisterent, loco satis sibi tuto et apto quo decreverant electo, etiam illum vallo ~~fossa~~ fossisque communiunt, sudes insuper praeacutas et oblongas igne in extremitate duratas tam in fronte quam a lateribus densas et frequenti ordine terrae infigunt, qua universum Pomeranorum exercitum egregie a qualibet invasione tuebantur. Eo opere Pomeranis occupatis Boleslaus interim spacio dato, acies ordines, aciemque tumultuarie magis quam deliberate explicavit, exercitumque suum longe numero hostibus imparem et inferiorem, in duo tantummodo distinguens agmina, unum Scarbimiro Palatino Cracoviensi, qui et Princeps militiae suae tunc erat, commisit, alterum ipse ducebat, militibus non paucis qui et machinas, et opera, castraque ne ab obsessis, infra pugnae tempus irruptione facta violarentur, custodirent, relictis, paucisſimis autem verbis pro temporis brevitate milites alloquutus. Non ſubest, inquit, milites ſpacium, quo vos, ut ſolebam pugnaturos alloqui poſſim, hostis enim quem ſaepe vicistis in conspectu vestro praesens multa me loqui non ſinit. Animo non verbis opus est ſi vincere volumus. Nihil me verbis meis vobis additurum reor, ſi probitas vestra vos deſeruerit. At ego de vestra probitate dudum mihi cognita et experta certus certam me victoriam repromitto, quam ut eripiatis hosti in multitudine et feritate ſua confidenti, praesens etiam neceſſitas et amor patriae moveat. Agrum quem calcamus, ſi patriam, ſi penates, ſi uxores, ſi templa, ſi liberos, et quaeque chariora revidere aestuamus, Pomeranorum et Ruthenorum hostium infestorum nobis ſanguine inundare oportet. In ſola divinitate et Beati Martyris Laurentij, in cuius honorem dicatam ſibi festivamus diem, ſuffragio, ſpes omnis, atque in audacia figenda nobis est. Ego pro et Beato Laurentio proprio vel pulcherrima et insigni morte pro vobis hodie defungar, vel ſi vos adniti volueritis, glorioſam victoriam de ſuperbo et idololatra hoste apud posteros etiam famam et nomen habituram reportabo. Omnibus moriendum eſſe aut vincendum repromittentibus nominisque Sancti Laurentij invocationem, ut ſuis ſuccurrere dignaretur, crebra et varia ſupplicatione ingeminantibus, Boleslaus ad hostem ducit, et Quem cum vidiſſet vallo, foſſatis, et praeacutis ſudibus, hastis, lanceisque transversaliter defixis, in terram et in altum cuspide porrectis undique munitum, antequam ad teli iactum veniret, gradum premere, paululumque, ne a ſagittis hostilibus, in quibus hostis maiorem vim ſuae fiduciae locaverant, violarentur, ſuos ſubsistere iuſſit. Cum paucis quoque agmen hostile miro modo glutinatum glomeratum et preſſum, ſicubi penetrandi illud eſſet aditus obequitans, atque girans, cum ingens et patulum periculum, ſi a fronte vel latere hostis invaſio fieret, imminebat, animadvertit tergo hostilis exercitus ſudibus, lanceis, et haſtis tectum non eſſe, irruptioniq; locum exiſtere. Quo non ſine alacritate notato, Scarbimirũ cum agmine ſibi commiſſo inuadere tergum hoſtile iubet, Cum ego inquit in frontem et in primas hoſtium turmas impetum fecero, et in certaminis ardore me fore ſenſeris, tum tu quoq; tergum inuade, et perculſis ſigna infer, diſſipatos enim et ocioſos, raros quibus ferrum in manu ſit, inuenies, quoſq; prius, quam aduertere et ſe reuoluere poſſint, cede ſingulos, cruentamq; illis inuaſionem redde. Deinde quaſi cum hoſte commiſſurus, aciem ſui agminis in hoſtem reflectit ut hoſtem a Scarbimiro in ſe conuertat. Scarbimirus imperata executurus mira celeritate et curſu ad terga hoſtilia directus, quanto maiori potuit impetu tergaq; penetrans irrumpit, valloq; et foſſato ſuperato hoſtes inuadit, truncat, diſſipat. Boleslao frontis aciem et iacta ab hoſte tela ſuſtinente, clamor illico ab his qui a Scarbimiro a tergo cedebantur, ſublatus, omnes de Pomeranico et Prutenico exercitu qui contra Boleslaum a fronte pugnaturi iacula ſagittasq; emittebant vehementer turbauit, dumq; quid agerent, quoue ſe verterent, ſuccurrerent ne ſuis laborantibus, an ex vallo foſſaq; contra Boleslaum prorumperent, conſilij inopes, detinent. A Scarbimiri interim exercitu magna cedes et trucidatio in Pomeranos et Prutenos confuſis ordinibus et vno alterum impedientibus facile edebatur, breuiq; ad ſpem euentus reſpondit, poſtquam et imbecilliores tyronesq; a tergo locati eſſent, nec ex primis ordinibus poſſent aut auderent, ad poſtremos laturi auxilium recurrere. Magna iam parte hoſtilis exercitus a Scarbimiro caeſa Boleslaus morae impatiens dolens ſe et ipſe in dimicationis parte non eſſe, equo concitato, periculoq; ſudorum ſagittarum et lancearum nequaquam penſato in hoſtem a fronte irruit, vbi impedientibus ſudibus lanceisq; aliquanto tempore non ſine periculo certatum eſt, nonnulliſq;

milites insignes qui ordines ducebant, iniquitate loci et sudorum aestuumque ab hoste, de exercitu Boleslai obtruncati sunt. Equorum quoque magnus transfossus et necatus numerus, equites in pedestrium conditionem redegit. Succedentibus deinde novis et recentibus militibus, et periculo superato, dum hostes et a fronte et a tergo circumvenienti impeterentur, sustinere vim Polonorum non valentes, conuictionis et roti obliti, passim in omnes partes quo quemlibet sors ferebat diffugiunt, Omnibus una cura fuit propinquiores sylvas petere, et earum velamento vitam sperare. Haerebant in tergis fugientium Poloni, fugientesque etiam in nemora persequuti, magnam stragem de hostibus peregerunt, plures tamen et locorum praesertim periti, nemore et frondibus tecti, fuga salvati sunt. Quadraginta hostium Pruthenorum et Pomeranorum millia caesa, duo capta eo die sunt, Nonnulli in paludibus stagnisque et limosis locis, ne in persequentium venirent manus perire. Tam magna hostium caedes, tantaeque victoriae tunc relatae congeries, haud parvum collem effecerunt, in quem hostium cadavera, ne faetore contagio sequeretur, congesta, et sabulo obruta sunt, extat in diem hodiernum monumentum etiam certaminis ipsius demonstrans locum et renovans effectum. Omnis victoria tunc parta, proprio Deo et suo venerando Martyri Laurentio attributa, in quem universus exercitus pro relato triumpho et evitato periculo gratiarum actiones celebrans, cum iocunditate resonabat, Castrum illico Nakel cum oppido a Castellanis et oppidanis, qui omne suum robur evanuisse perviderant, in potestatem Ducis Boleslai deditum est. Traxit et haec clades in Pomeranos tunc edita, sex alia oppida vicinora, in similem deditionem, Strage enim suorum audita missis nunciis se suaque oppida et municiones in ditionem Boleslai et Polonorum plenarie dediderunt. Castrum autem Nakel et oppidum, sexque alia oppida sibi tunc dedita Boleslaus Dux Swantopelcom

Baronum

Baroni et Consiliario suo uni ex Poloniae primoribus eni-xius partes suas adiuvante, in tutelam et gubernationem suo nomine tenendam favorabiliter, sperans eum sibi et Regno suo pium et fidum, concessit. Praestabat eminentibus, non tam generis nobilitate et divitiarum opulentia, quam dexteritate, factis, et fide. Nam et generis illi origo, ex domo Gryffonum, familia veteri Polonicae gentis, lingua quoque promptus, et manu, pluribus se probitatis et virtutum meritis, ipsa quoque diuturnitate et militaris disciplinae peritia, in frequentibus certaminibus et pugnis Boleslao Polonorum Duci charum gratumque effecerat, nec fraudis et suspitionis venenum in tam generosa et probata propagine poterat praesumi, in quam plurimae bonae actiones et artes notabiliter concurrisse. Verum ille dominandi principandique studio ardentior, coepit consilium videri, quam ratione accessu, conditionibus et moribus suis conveniret, et impatientius se atque superbius gereret, varias exquirens vias, quibus et iugum subiectionis excuteret, et in principando imperandoque neminem ferre cogeretur potestatis suae superiorem vel consortem.

Sobieslaus Bohemiae Dux ex multorum Bohemorum sibi faventium avisamento intelligens, Vladislaum Bohemiae Ducem, fratrem suum, qui tunc in Bohemia principabatur, sibi infestum esse, et de consilio et suggestu Vuarzeli Baronis captivitatem suam conclusisse, positis insidiis Vuarzlonem obtruncat. Veritusque Vladislai Ducis pro patrata in Vuarzlonem nece, iram, per Sirbiam in Poloniam cum suis omnibus tentavit refugere, Sed cum per Chembertum castri Domini quod tunc nomine Imperatoris tenebatur, praesidem invitatus in dolo captus esset, diffugientibus ab eo in Poloniam militibus, ipse in Saxoniam vinctus delatus est. Sed cum

uno

vno lapso mense de captiuitate fugiens euasisset, in Poloniam et ipse venit, et a Boleslao Polonorū Duce cum suis omnibus benigne exceptus, et liberaliter habitus fotus et tractatus est.

Singularis deuotionis et zeli in Deum et in religionem Christianam comes Michael natione Polonus, de domo et familia Habdank fundato et dotato de bonis proprijs Monasterio in Lubien ordinis Sancti Benedicti moritur, et in eodem monasterio sepelitur, Eodem etiam anno Monasterium de firmitate fundatur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVARTVSDECIMVS

Ferox Boleslai Polonorum Ducis pectus cuiuslibet quietis impatiens, et a domesticis ad externa se conferens, Pomeranis et Prutenis superiori bello et clade domitis, ad Bohemos se conuertit, quamuis domestica, necessitati gessisset, externa, voluntati; Sobieslaum quidem Bohemiae Ducem affinem suum in Bohemiae Ducatum vnde a fratre natu minore expulsus erat, suis potentijs, suis impensisque, suo brachio reducturus, copias ex militaribus animo et manu promptis comparat, ac cum illis habens secum in comitatu ~~Boleslaum~~ Sobieslaum Bohemiae Ducem, et omnes Bohemiae fugitiuos in Bohemiam descendit. Missis ad fratrem Vladislaum Bohemiae Ducem nuntijs sollicitat, et requirit illum quatenus fratrem Sobieslaum in fauorem et gratiam reassumens, porcionem etiam illi paternae haereditatis iusta diuisione cessuram largiatur, Vladislaus Bohemiae Dux contra respondit, se illi amplam gratiam, quam seruare nesciuit, praestitisse, et notabilem sortem largitum esse, nihilominus a se aduersi passum, principaliori suo Consiliario et Barone sub specie colloquendi euocato mire impie et dolose trucidato, ex Bohemia in Poloniam cum consortibus facinorum confugisse, et omni gratia et fauori se abdicasse, et indignum reddidisse. Nuncijs vero Boleslai Polonorum Ducis, iuxta instructiones, scilicet Sobieslai

Bohemiae Ducis purgantibus, et eum, maiori quam ante favore, pro eo quod eum qui inter fratres lolij dissidium seminare et unum contra alium suo sermone exarmare solitus erat, iusta ira provocatus extinxerit, dignum censentibus, respondit, non magnopere recusaturum se fratrem Sobeslaum in favorem et gratiam recipere, si et Boleslaus Polonorum Dux fratrem suum naturalem Sbigneum apud se in Bohemia exulantem in parem gratiam recipere consensisset, divisionem vero Bohemiae Ducatus Caesare inconsulto sibi cum fratre celebrare non licere. Quo responso Boleslaus accepto, dum cogitaret Wladislaum Bohemiae Ducem nullam aequitatem exhibere velle, Boleslaus Polonorum Dux exercitum in interiora Bohemiae promovit, agrosque vastari et vicos atque villas et oppida incendi. Sobeslao Bohemiae ne funditus conflagratio patriae suae fieret intercedente, orantique, iussit, campo populationem et exustionem. Vladislaus Bohemiae Dux solicitus, in campum et ipse copias eduxit, castraque haud longe a castris Boleslai Poloniae Ducis, posuit, subsequuta quoque certe dimicatio inter Duces et eorum exercitus fuisset, nisi fluvius Czidlina limosum alveum habens, utrosque separasset, cum Poloni illum supra et inferius vadare tentantes, profunditatem illius Bohemis qui cum Polonis erant, periculosam asserentibus extimuissent, eo enim obstante nulli parti sine evidenti periculo patuit transitus per illum. Rogabat deinde Boleslaus Polonorum Dux missis nunciis Wladislaum Bohemiae Ducem, ut vel cum copijs suis eo permittente fluvium securus transiret, vel sibi et suo exercitui eandem conditionem praestaret. Utrumque vero Vladislao Bohemiae Duce abnuente, Boleslaus Polonorum Dux castris motis versus Albam contendit, nec longe a flumine Alba fluviolo Czidlina sine iactura sua et exercitus sui superato, cum festinatione ad loca, ubi statuta Bohemorum dimicatio erat, perrexit. Sed cum Bohemos ex castris illis discessisse, solaque castrorum et focorum vestigia comperisset, densae siquidem nubes fulmina et tempestatis horrida absconderant diem, quam opportunitatem Vuladislaus Dux Bohemiæ sortitus, silenti agmine discesserat. Id simulavit ne Vuladislaus Bohemiæ Dux quo improviso gravior accideret mobilitate ingenii varium atque belli mutari solitus diffugerit, verum exploratum est, sequendine Bohemi essent, an in Poloniam redeundum, vastandane Bohemia esset: frequens consilium adhibuit. Et cum singulorum sententiæ requisitæ variarent, senioresque post tot Bohemiæ durato vastationes, post tot quesita et nusquam requisita prælia maturam reversionem, iuniores vero non nisi universa Bohemia usque ad Pragam peragrata vastataque et hostibus debellatisque redeundum censerent, illius futurus iuniorum consilii Boleslaus videbatur, nisi omnium quæ secum ex Polonia ferebant commeatuum numerata defectio animum Boleslai ad sequenda seniorum consilia duxisset. Revertendi itaque sententiam complexus, licentiam hactenus ad petitionem Sobieslai Bohemiæ Ducis suspensam populandi agros et exurendi vicos et ædes militibus dedit, populationemque et exustionem iussit quam latius extendi. Cum autem ad oppidum Cleczsko ventum esset, portas oppidanis claudentibus, Boleslaus suburbia eorum incendi iussit, ex quorum inflammatione et civitas Cleczsko ab igni vicino vento flante contacta, quamvis oppidani diversa remedia afferrent penitus conflagrata est, reliqua vero civis in prædam militi data. Largitione siquidem prædæ quam et tunc et crebro alias Boleslaus Poloniæ Dux militibus permittebat, comitate insuper universis benigna adeo militum suorum animos promeruerat, ut mira aviditate et pugnas certaminaque sub suis auspiciis deposcerent, et singulos labores atque pericula impavidi subirent, comitatis liberalitatisque Boleslai ad huiusmodi labores et pericula accensi.

Oppido Cleczsko et villis circaque in circuitu igne combustis reditui via in Poloniam itum est, depopulatioque agrorum et villarum non intermissa, militum speciali caterva eos qui ad populandum agros vicosque tecta disturbarent provide tutante. Iam ad sylvas, quæ magnæ vocantur, Poloniam disterminantis a Bohemia, ea enim via per quam Boleslaus in Bohemiam intraverat, et pleraque alia

Succyy

Succisq; arboribus clausa muniebantur, perventum erat, dum noctis conticinio Boleslao solitis orationibus incumbenti, falsus ortus rumor et strepitus de adventu hostium, universum exercitum clamore ab uno sublato, commotum, trepidantiumq; quasi ex templo pugnandum esset, conturbant. Quod quum sedandum Boleslaus illico ex papilione, in quo orationi vacabat, prosiliens, et in locum eminentiorem, ut ab omnibus exaudiri posset, ascendens, suos milites bono animo esse, pavoreq; quolibet falso magis quam vero vulgato, sublato, strenuos et audaces in praesens et futurum imminens cum hostibus certamen esse iussit orationeq; prudenti et audaci gliscentem tumultum sedavit. Cumq; altera illuxisset dies, apparuitq; Bohemos et suspicione evidenti et exploratorum speculatorumq; relatione sylvarum loca insedisse, habita opportunitate ex loco aequo, Polonis in quo pugnaturos, missa in totius exercitus Poloniae conspectu ordinante Boleslao Poloniae Duce solenni cantu celebrata, et praedicatio vulgaris habita est, pluresq; milites tanquam de crastina pugnaturi confessione suorum peccatorum facta, Eucharistiae divinissimo sacramento procurat. Fuit, tum quoq; exhortatio Boleslai Ducis in haec verba ad exercitum subsequuta. Certos inquit vos arbitror quibus ex causis in Bohemicum bellum, etiam domesticis interea neglectis vobiscum me una contulerim, ut videlicet Sobieslaus Bohemiae Dux nobiscum praesens de portione ducatus sui exclusus, me reduce, et vobis bellum nancisci, Bohemorumq; quoq; superba iactantia, crebro terras nostras cum Sbigneo fratre meo patriae nostrae naturali hoste infestantium, aliquando reprimi eludiq; posset. Et quidem si verum fateri oportet in nostro praesenti in Bohemiam ingressu, ea quam gessimus agrorum depopulatio villarumq; et oppidorum exustio, etiamsi superiora quae adversus illos gessimus bella non extarent, sufficerent omnia damna et iniurias per eos nobis crebris invasionibus illatas, compensant, cum nos terram eorum gravando, plures destructas, villas et vicos, vel spoliavimus, vel exussimus, signisq; relatis si

ans.

aug. diceremur: sufficerent in certamen illos vocaremus, nunc vero ex insigni loco nobiscum pugnaturi feruntur advenisse, sylvasque quas transituri sumus insedisse. Itaque unumquemque vestrum, non segnem, non cunctatorem, aut dissimulatorem, non somnolentum aut pigrum, sed animosum, strenuum, et ad singula pericula bellique subeunda paratum esse volo. Cum Bohemi non nisi in victoria segniciei et securitati suam victoriam positam habeant. Sed et hodierna dies quis iustius arma induerit, velut certissimus arbiter dijudicabit, nostram erga illos bonitatem, humanitatem, benevolentiam, charitatem, amicitiam, et fidem, illorum vero erga nos parentesque nostros continuas invasiones, odia, despectum, fastum, superbiam, et elationem, ultionem Deo nobis propicianti vindicatura. Sed et praelio inito consertoque, memores estote, oculisque vestris obversetur, quas praedas in patria nostra saepe egerint, quanto spolio Gnesnensem Ecclesiam matrem et Metropolim nostram afflixerint, quantis eam thesauris despoliaverint, quot captivos in Bohemiam abduxerint, quantis contumeliis, stupris, et violationibus matronas nuptas innuptasque affecerint, quoties nos cum externis hostibus pugnantes a tergo invaserint, vexaverint, offenderint. Et dum horum memoria mentem subierit, tanto fortius ferociusque illos aggrediemini, tanto gloriosius de infesto hoste aut magnificam referetis victoriam aut animam effundetis. In hunc modum cum agmina suos Boleslaus non sine amaritudine belli Sobeslai Bohemiae Ducis eorumque Bohemorum quos hospitio foverat, descivisset, Polonosque ad subeundum quodcunque periculum, in ultionem variarum iniuriarum, quas a Bohemis pertulerant, animasset, in interiora sylvarum itum est, et agmine quadrato magno, in quo et fortissimi quique milites a tergo et a fronte et in medio, infirmior aetas et impedimenta locata erant, praecedente, caeterisque subsequentibus Scarbimirus Palatinus Cracoviensis Princeps militiae cum expedita cohorte sinistrum latus, Boleslaus ipse dextrum, expeditos et ipse milites habens a tergo distantia aliquali interposita, tutabantur. Substiterat paululum cohors una quae Gnesnensis vocabatur, milites enim cum regionibus sub ea militabant, maiori parti sylvae transita, planicieque reperta Ducis sui praestolatu re adventum, pausam agebat. Quam Boleslaus dum in ea loca pervenisset, hostium ratus, parum abfuit, quin illam extemplo invaderet, nisi signa agnita errorem monstrassent. Sylvarum extrema pars iam restabat, dum Bohemi certi de victoria, Polonos existimantes in fine sylvarum solitum ordinem et diligentiam remisisse, in Polonos in locis varijs faciunt impetum, et tam Scarbimiri quam Boleslai cohortis, illudque quod praecedebat agmen, adorti, pugnam diversis committunt locis. Magna vi ab utraque parte bellum geritur, et Scarbimiro quid apud Boleslaum maius agmen, Boleslao quoque quid apud Scarbimirum actum ignoranti, utraque pars pro victoria adnitebatur. In Boleslai tamen cohorte Boleslaus ante omnes progressus, eum qui primus ex Bohemis occurrerat, hasta confodiens interemit, Ducalis pincerna Deoslaus Ducem sequutus alterum ante aciem progressum ex equo deiectum occidit. Qua re ceterorum militum ardor addito incensus est, ut primis et melioribus de exercitu Bohemico audacissime confectis, Boleslai cohors prior hostes devicerit, instrumentumque et cetera victoris fuit. Dum enim Vuladyslaus Bohemiae Dux qui in eo certamine aderat, suos tam facile vidisset cecidisse, veritus eandem fortunam caeteros subituros, signum receptui dedit, quo accepto illico ubique fuga non receptu Bohemorum fieri cepta est. Retulisse primum Bohemos ex industria, non ex pavore, nec fugam sed secessionem rati, fugientibus primum non instant, convalli quadam inter Polonos et Bohemos media, suspicionem magis secessionis quam fugae apud Polonos augente. Postquam vero vera fuga ambiguitate depulsa comperta est, tum Polonorum primi milites in tergis fugientium haerentes, magnum numerum eorum praesertim qui equis deficientibus fugere non valebant, occidendo, capiendo impleverunt. Elapsus est et tunc hostis patriae suae Sbigneus naturalis frater Ducis Boleslai fuga, qui ad interitum excidiumque Polonorum cum Sygnicius obstinaciam sequebantur, laturus Bohemis auxilium advenerat. Dux quoque Bohemiae Vuladyslaus cum militibus suis sius atque Baronibus ex acie fugiendo fuga salutem requisijt. Boleslaus ea victoria obtenta, sauciatos secum vehens, Bohemiam repetijt, et maximis praedis, spolijs, et incendijs circumcircaque patratis, onustus praeda ingenti, et longum captivorum ordinem de Bohemis secum trahens, humiliata superborum cervice et fastu, victor gloriosus, iubilans Deo cum omni exercitu suo de praestita victoria canticum gratitudinis et laetitiae, in Poloniam cum Sobieslao Bohemiae Duce redijt

Tercio Nonas Februarij Colomannus Pannoniorum Rex moritur et in Alba regali, regali honore condite sepelitur. Hic tantae crudelitatis perhibetur fuisse, ut Ducem et consanguineum suum propinquum Almum obtrudere machinatus, dum effectus machinationi non respondisset, et Almus in Poloniam in exilium abijsset, filium eius Belam de materno gremio extractum, in infantili aetate positum, ne filijs suis in successione Regni Vngariae impedimentum afferret, excaecari iussit, ut ineptus et calamitosus ad suscipiendam coronam regalem redderetur. Cui filius eius Stephanus gener Boleslai Polonorum Ducis, filiam eius Iuditham ex prima uxore genitam habens consortem, successit in regno, et a Strigoniensi Archiepiscopo Laurentio caeterisque Episcopis et Baronibus Vngariae coronatur eius apud Albam regalem in Regem, et Iuditha consors eius in reginam perfecta est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINTVSDECIMVS

Ad infringendum alterum Bohemiae Duci Vladislao bellum, Boleslaus Polonorum Dux expeditionem militibus indixerat, non prius quieturus, donec Sobieslaus Dux alter Bohemiae apud eum in Polonia exulans in Ducatus Bohemiae sortem aequo iure admissus esset. Quod cum Vladislaus Bohemiae Dux agnovisset, neque enim cum pluribus Bohemis in Polonia pro exulibus machinantibus futuri belli Bohemiae inferendi latere poterat apparatus, mittit ad Boleslaum Polonorum Ducem nuntios, offerens aequas pacis conditiones, et pollicens subito Sobieslaum fratrem suum ad certam sortem Ducatus Bohemiae admissurum, petens postremo suorum Bohemorum, qui in praelio in sylva Sabato capti fuerant manumissionem. Boleslaus autem Polonorum Dux tractatu cum Sobieslao Bohemiae Duci, et his qui partes suas sequebantur, Bohemis, super pace habito, pacem se respondet suscepturum, et captivos dimissurum, dummodo Sobieslaum Bohemiae Ducem certificatus fuisset portionem sui patrimonii adeptum, Quod ut facilius perveniat nuntii alii a Boleslao in Bohemiam ad Wladislaum qui pacem huiusmodi sub certis conditionibus componerent mittuntur. Gratus fuit Wladislao Bohemorum Duci illorum adventus, honorificeque illos habitos, pacem cum illis composuit, portionemque iustam Sobieslao se daturum, omnibus odiis, iniuriis, damnisque hincinde irrogatis, perpetua oblivione deletis, iuramento firmavit. Ad solemnem consummationem condicto die et loco inter Wladislaum Bohemiae Ducem et nuntios Boleslai Polonorum Ducis convenisset, pro die Sancti Procopii ad flumen Nissa, tam Wladislaus Bohemiae quam Sobieslaus cum Boleslao Poloniae Duce conveniunt, pacemque statuunt, firmant, et corporali interposito Sacramento roborant. Accipitque tunc Sobieslaus Bohemiae Dux pro sorte sibi debenda oppidum Hradecz cum aliis quatuor castellis, cum eius provincia et districtu in Bohemia, et Olomucensem provinciam et civitatem in Moravia. Reconciliationeque mutua tunc solemniter celebrata et peracta, captivisque omnibus solutis et donis inter se largitis, et exulibus restitutis, cum magna animorum hilaritate in domos reditum est. Rara autem et tenuis et non nisi sub hibernali tempore ab armis interponebatur quies, a bellicoso Duce, nec res ulla amplius sibi voluptatis afferebat quam bellum, et illum tantummodo ad Martis opera eidem Deus a natura productum.

Ne autem post pacem cum Bohemis confectam marcesceret ingens militum virtus, Boleslaus Polonorum Dux hyeme sinus anni cum levi militum armatura Prussiam ingressus est, cum propter lacus et paludes et loca limosa in aestate non tam convenienter potuisset adiri; et primo quidem effusis populationibus direptis incendiisque infestarat Prutenorum fines, deinde regionem interiorem ingressus, castris militem tenuit, dimicandum cum hoste ratus.

Audierat enim Ruthenos in armis esse, dum autem universam Russiam peragrasset et Ruthenos in Sylvas, montes, paludes, locaque invia secedentes pugnandi copiam, quam Boleslaus magnopere requirebat, non facerent, videbant enim se ad decertandum multo Boleslai viribus inferiores, Boleslaus mutata belli gerendi ratione, incensionem vicorum et villarum et agrorum populationem militibus iussit latius extendi; Cumque nec sic posset barbaros elicere ad pugnam aut deditionem, iussit milites praedas non pecorum solum, sed hominum praecipue agere. Cumque milites dicto parentes, maximum hominum de utroque sexu numerum coacervassent, Boleslaus cum ingenti hominum et pecorum praeda, universis fere oppidis, vicis et villis in Russia concrematis, in Poloniam feliciter reversus, Ruthenos tunc captos per colonias ad operandum terram distribuit, pluresque villas ex Ruthenis, quibus etiam ex nomine gentis appellatio tunc indita est, in eandem manet, populavit

Imperator Romanorum Henricus quintus, sumpto Diademate ex Italia descendens, et processu dierum Belgas ingressus, Reinaldum comitem in Castro Barri ob sidione longa angustiatum in deditionem, Lotharium vero Saxoniae Ducem nudis pedibus coram eo procumbentem in gratiam accepit, Curia deinde Maguntiae instituta virginem Mathildam Anglorum Regis Henrici filiam sibi matrimonio copulat, et regio apparatu nuptias Maguntiae celebrat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEXTVS DECIMVS

Succisam ubique spem de re habenda aliqua in Polonia sorte, Sbigneus naturalis Boleslai Polonorum Ducis frater, viam belli perspiciens, cum omnis invasio ex Bohemia in qua tunc degebat, et suffragium a Bohemis ferendum, in quibus residua spes sua sita erat, per foedus anno superiori cum Uladislao Duce Bohemiae ad Nissam flumen ictum, sibi nosset interdicta, Pomeranos quoque audierat gravi caede a Boleslao debellatos, caeterasque machinationes et spes suas ad irritum videns recidisse, solam spem in clementia et propensione fratris sui Boleslai Polonorum Ducis relictam licitam fore, mittet in Poloniam nuncios Boleslao pro venia supplicaturos. Qui cum dicendi potestate concessa verba facerent, profunditate miseriarum et extrema pauperie, quam Sbigneus postquam in exilium meritum detrusus erat, incurrerat, quamque annis pluribus non sine sui et Boleslai grandi sugillatione pertulerat, declarata, suppliciter orabant, ut exilio suo finem imponeret, et eo in Poloniam revocato, aliquam porciunculam in regno Poloniae, ne pannosus, inops, et exul in exteris regionibus delitesceret, de mera pietate et gratia largiri dignaretur, pollicentes Sbigneum de caetero in omni subiectione, fide, mansuetudine, et humilitate, Boleslao Polonorum Duci velut domino suo gratioso serviturum. Virtutem et efficaciam verbis nunciorum inesse Boleslaus ratus, continuo ad misericordiam flexus est, pluribus quoque periuriis, proditionibus, et tradimentis, quibus in eum et patriam quam gravissime deliquerat commemoratis et coram Nuntiis suis exponendo detestatis, etiam sibi a vere consiliariis nequaquam improbantibus et dissuadentibus, ignosciturum, et districtum aliquem in possessionem, dummodo poenitentiae et humilitatis verae reconciliationisque et probitatis integrae signa de se monstrarent, largiturum. In hanc spem Nuntii dimissi Sbigneum de gratia et clementia Boleslai Polonorum Ducis securum in Poloniam reducunt. Qui ad conspectum Boleslai Ducis accessurus, sive naturali, sive malevolum animum gerens et seductus consiliis, omnium eorum, quae Nuntii eum facturum spoponderant, oblitus, in fastu et pompa cum superbiaque arroganti, ense praecedente, modulantibus et cantantibus cantoribus, tubis, organis, et tympanis, caeterisque generibus musicorum psallentibus, modulantibus, ac sonantibus, gloriose et magnifice ingreditur, ut prorsus declararet se fastu tam elato non de exilio sed de triumpho, non castigatum, sed erectum, non humiliatum, sed stomacizatum, non serviturum sed regnaturum, non pariturum sed imperaturum, non precario sed necessario in Poloniam redisse, et singulis proditionibus atque hostilitatibus quibus alias Poloniam afflixerat, feracius usurum esse. Gestaque sua illi non ingrata solum atque delira, sed et arrogantia cunctis videbantur incertumque erat dignoscere, in se ne, an in patriam, an in fratrem sceleratior extiterit, et extare deberent in futurum. Boleslaus autem Polonorum Dux etsi Sbignei stultam arrogantiam prudenti dissimulatione tegens, benigne illum et excepisset et tractasset, illico tamen sparitateque animi subeunte dolere coepit vehementer, quod virum dolosum et suae vitae atque fortunae insidiatorem, cuius mores, ingenium vafrum et hostilem probe, multiplici experientia doctus, nosset, in gratiam assumpsisset. Exulceratum sueapte Boleslai animum contra Sbigneum fratrem, consiliarij et barones, quibus Sbignei revocatio semper molesta, acerba, et suspecta erat, accendentes, longo sermone nacta occasione ex suo superbo et arroganti ingressu amplius exulcerant et inflammant. En inquiunt accepisti fructum credulitatis et clementiae tuae, qua nobis abnuentibus Sbigneum in Poloniam revocasti, quem potius debueras in ultima terrarum, velut omnium scelerum, dissidiorum, proditionum, guerrarum, et tradimentorum satorem domesticum translegasse; qui assuetus fraudibus, argutus mendatijs, artificio simulationis eruditus, veterem in te et nos suae malignitatis morem donec vivet observabit. Quietiorem illum a flagitijs quibus hactenus nobilitatus est, et furore, quo rapinis, dolis, et omnibus ex vitijs publicis plurimos pavit, et mores suos atque ingenia a natura illi tradita dispositurum credis? qui nec pro eo temporis momento, quo se tibi exulis et humiliati more offerre debuit, poterat illa abdicasse; qua sperer illum sub tua ditione et imperio credis victurum, qui aequalem principatum non tulerit ~~tuu~~ nisi eam indolem cum a iuventa gessisti, iam spe et ambitione universum Poloniae regnum complexum, et in senecta te superiorem et dominum futurus videatur, quod illud dum amplius temeritas sua exercuerit, dum omnium malignorum mentes et animos sibi conciliaverit, facturum censes? immo in tuum tuorumque natorum excidium omnia ingenia sua clandestine, postquam apertis non licet, ut sibi soli regni tui cedat successio, conversurum et in tuam necem cuiuscumque sortis hominem, qui te veneno aut ferro ex rerum natura tollat, amplissimis promissionibus tio rudenti implendis, subornaturum, quod bello et aperta vi consequi non poterat, callide consequuturus. Neque tibi nobis satis dici et explicari potest, quantis ille sceleribus, quantis exitijs mentem in tuum et patriae excidium inquinatam, gravidatamque habeat, pestem atque istam quam diu in te et in nos omnes

eandem

iamdiu machinatur in ipsum retorque, et non tam perniciosum fratrem, quam acerbissimum hostem, furiam, et facem luctuosam, exitiosum prodigium, priusquam te et nos ab eius fallacijs oppressum iri contingat, ob scelera plurima, et in te et in patriam ab eo edita, opprime, vitaque suam iustis debitisque supplicijs eripe, ac hominem bonorum omnium inimicum, hostem patriae, latronem Poloniae, interfice; et cervicibus quoque tuis et nostris impendentem falcem depelle; idque celeriter age, ne per fugam elapsus fiat infestior. Nec ut hostis modo tibi et nobis habendus est, sed ut veneficus proditor geminato afficiendus supplicio, quamvisquidem difficilius est cavere ab occulta quam ab aperta peste; et perniciosius solet comparare periculum vafer proditor, quam hostis publicus. His Boleslaus Polonorum Dux sermonibus certatim et instigatus et coargutus, dum ira et indignatio misericordiam pervicisset, et procerum sententia in dolorem accensus, ira quoque extimo longius propo digressus, Sbigneum quod dudum impedierat, eo tempore necare, suadentibus assensus est, et in mortem destinat, non aliter se patriamque securam fore ratus, nisi bellua tam immanis et perniciosa occidisset, insanabile illius pro comperto habens ingenium varium, et callidum, et non laudis quoque rebus et exercitamenta perfidia non cessaturum. Esto nonnulli procerum Poloniae viri religiosi et timorati ipsum deprecarentur, ut naturae contemplatione molliret conceptum indignationis nubilum, fratrique ignosceret, nisi naturae plus quam actionem aestimasset, atque inolitum in honore quod debebatur solvi. Quidam exhorrendo saluti fratris ij consulebant ut in ultimas relegaretur regiones, sibi et scituris alibi fatum suum. Milites itaque quibus negotium Boleslaus mandaverat, captata loci et temporis opportunitate Sbigneum aggressi, facinoribus quibus Poloniam vexaverat, exprobratis, contentione suborta, Sbigneum fidem et defensionem fratris Ducis Boleslai nequicquam implorantem interimunt. Sunt qui illum non necatum sed excaecatum scribant, et perpetua caligine damnatum, ab omnibusque desertum non post multos annos diem obiisse. Boleslaus post Sbignei interitum maerore

Angebatur ingenti, quod fratrem origine et vita et re-
bus a se gestis occiderat non indecorem maculam diutius
a se vitatam iuisse; feliciorem se arbitratus, si illud faci-
nus perosus mundas manus a fraterna caede servavisset.
Itaque parum consentaneum videtur, parumque civile et huma-
num, principem alioquin magno animo praeditum tam te-
trum et tam crudele facinus in fratre occupasse.

Ad undas fluvii Olszen Ungariam et Moraviam
discriminantium, dum Stephanus Ungariae Rex ab una,
et Vladislaus, Sobieslaus, et Otho Bohemiae Duces par-
tibus ab altera ex composito pro reformandis quibusdam
dissidiis inter subditos hinc inde exortis et pace utrinque
firmanda convenissent, Sathanae suggestione, paucisque
tractatibus per nuntios habitis una pars alterius sermo-
ni amplius non deferens in aciem pugnatura armis
correptis, tam subito venit, quasi non pro pace consti-
tuenda, sed pro certamine indicto illos credens veni-
sse. Dum autem strage magna plurimi a parte u-
traque cecidissent, et Vladislaus Bohemiae Dux ab Un-
garis confusus, in Bohemiam refugisset, Sobieslaus
et Ottho in altera parte pugnantes praelium restituunt,
et Ungaris victis et in fugam versis, castra eorum
et spolia diripiunt. Stephanus Ungariae Rex beneficio
sui Archiepiscopi Strigoniensis Laurentii servatus, in Unga-
riam sospes rediit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS DECIMUS SEXTUS

Victis Pomeranis et Pruthenis populis, inter ipsos quoque
victores bellum exortum est. Scarbimirus siquidem Craco-
viensis palatinus, et militiae Boleslai tertii Polonorum
princeps, qui ea tempestate inter Poloniae Barones gene-
re, consiliis, ingenio et manu nemo maior habebatur, dua-
rum victoriarum, quarum ex Bohemis in sylva magna
unam, alteram ex Pomeranis ad Nakel, sub auspiciis
tamen Boleslai Ducis retulerat, insolens factus, coepit
Domino suo Duci Boleslao contumax et rebellis esse; et blan-
dictis subinnuitationibus illum sugillans, gloriam
antiactorum triumphorum sibi vendicare, deducens se vero
non exigitati, videlicet de Bohemis, Pomeranis et Pruthenis

frumentum nõ tulisse

prouenturam non fuisse. Aequioribus auribus id primum a Boleslao Polonorum Duce latum est, postquam vero Scarbimirus Palatinus clandestina sugillatione non contentus ducem Boleslaum frequentibus probris carperet, et aspergerit, ad tistatas inimicitias, controuersias, et odia res perducta est, adeoque Scarbimiri Palatini ascenderat intemperataque temeritasque et in authoritate sua et amicorum fratrum et consanguineorum et horum quos beneficiis deuinxerat assistentia confisus, in apertam rebellionem et hostilitatem contra Boleslaum dominum suum prodiret, aperta acie cum his quos in suum adiutorium adunauerat, contra Boleslaum, si quid Boleslaus mouere vellet, dimicaturus. Boleslaus autem communem perniciem deuitans Scarbimirum Palatinum iussit vinciri et aliquantis diebus firmatum in carcere custodiri. Quo facto diro superimpendens annis procella quam Scarbimirus factione sua excitaturus erat conquieuit. Magistratu insuper, Palatinatu videlicet Cracouiensi, illum priuat et pro crimine lesae Maiestatis Palatinatus titulum qui prior fuerat Castellanatui postponit

Quinta Martij mensis die Maurus Cracouiensis Episcopus dum annis septem Ecclesiam rexisset Cracouiensem moritur et in Ecclesia Cracouiensi sepultus, Radogost Polonum genere a Paschali Papa secundo ordinatum habuit successorem. Hic Ecclesiae et coenobio Andrzeiouiensi nondum fundato et dotato fabricato tamen, in consecrationem Ecclesiae per ipsum factae contulit decimas manipulares mensae suae Cracouiensis in villis Marouicze, Przeczlawicze, Conari, Nechouo et Nieglouuo

Borziwoy Bohemiae Dux a captiuitate quam apud Henricum Imperatorem annis octo pertulerat solutus, fratrem Vladislaum natu iuniorem principatum Bohemiae occupantem, et qui eius captiuitatem procurauerat, plurimum terruit ne cum Boleslai Ducis Polonorum et fratris Sobieslai qui in Morauia principabatur assistentia et a Ducatu Bohemiae excluderet, et in similem quam ipse sibi texuerat coniiceret captiuitatem. Ad componendum itaque dissidium inter eos Bolislaus Polonorum Dux ab utraq; parte arbiter electus, Bohemiae Ducatu inter eos diviso, ita ut Vuladislao ora Aquilonaris versus Albam sita cederet, reliquam omnem sortem Borzywoi dux administraret, pacificat.

Wlodimir Russiae Dux qui germano suo Swantopelkone duce Kiyoviensi obeunte sedem Kiyoviensem acceperat, suspectum habens Jaroslaum filium Swantpelkonis nepotem germanum, ne illum ex sede Kiyoviensi propelleret, opprimere illum quamprimum statuit, et Daniele Vuasilkone, Roscislao Vuolodowonicz, filijs quoq, electis, armorum solatia sibi praestantibus, vadit contra Jaroslaum, et in castro Vuladimiriensi, in quo eum cum tot Ducibus tutum putabat decernere se velle minimum, obsidet. Jaroslaus autem cum nihil sibi conscius esset ex castro ad Ducem Vuladimirum caeterosq; Russiae Duces veniens inermis verbis pacificis et modestis Vuladimirum sibi assentatorum falsa suggestione infensum placat et reconciliat, qui continuo obsidionem solvens in Kiyow reversus est, Jaroslao tamen proprijs pluribusq; sermonibus obiurgato

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS DECIMUS OCTAVUS

Parantem in Pomeranos Bolislaum Polonorum Ducem expeditionem, iam siquidem intellexerat Swantepelconem Ducem in cuius fidem Nakel castrum cum sex alijs oppidis et munitionibus commiserat, ad vacillationem temerato quod sibi praestiterat iuramento rebellaturum fore, imbres et pluviae tenuere. Dum enim verno tempore coepissent, etiam in aestate remittebantur, continuaq; pluvione et defluxu non solum Poloniae regnum sed et vicina regna atq; provincias quamplurimas vexerunt incommodis, et inundatione sine exemplo in universa terra ex assiduis tempestatibus secuta et agros seri et sata meti in plerisq; locis prohibuit, ea tamen loca, huiusmodi inundatione, quae ~~flumi~~ fluvij minores circumfluunt, aquis ultra solitum inflatis, et ripas egredientibus fuere oppressa et afflicta. Eodem insuper anno post Solis occasum, caelum totum in tantam rubedinem versum est, ut velut ignis vel flamma tribus horis colluxerit, quae res in prodigium et admirationem apud multos versa, magnum aliquem effectum productura tunc insinuasse

credita est, Nec multo post tanti imbres descenderunt,
in terram, tot exorti sunt pluviae, et tempestates, tanta
denique eruit fluviorum innundatio, ut alterum Catha
clismum nonnulli pertimescerent proventurum

Metropolitanus Ecclesiae Polonicae Martinus primus
Gnesnensis pontifex dum annis sex et viginti sedisset mo
ritur, et in Ecclesia Gnesnensi tumulatur, In cuius locum
Iacobus primus ex oppido Zneyna et parentibus Consu
laribus ortus per Calixtum papam secundum suffectus est.

Kiyouiensis Dux Vladimirus maioribus suis
gestionibus iniudorum gravi contra impotentissimum Iarosla
um Vladimiriensem Ducem quasi ille sibi mortem et ex
pulsionem diceret Kiyouiensi machinaretur, concepta cum
adse in Kiyow literis et nuntiis accersit, qui non aliter
se venturum renuntiat, nisi iuramento Vlodimirus
firmet nihil se hostile illi daturum, Et quamvis ~~Iarosla~~
Vladimirus huiusmodi sponsionem pro maiori securita
te Iaroslai fecisset, Iaroslaus tamen Consiliariis et mili
tibus Vlodimiri Kiyouiensis, de periculo et laqueo quod
illi imminebat, vereri an subdole invitatum est, anxian
tibus, venire in Kiyow negant, Falso deinde et vafro
suorum militum seductus et persuasus consilio, cum uxo
re filiis et omni suppellectili, castro Vlodimiriensi mili
tibus commendato, in Poloniam ad Boleslaum Polonorum
Ducem sororis olim suae Sbislavae maritum confugit, ubi a
Boleslao Polonorum Duce humane et benigne exceptus,
quadriennio illic mansit, Boleslao Polonorum Duce singula
sibi subministrante necessaria, Infra id autem tempus ca
strum Vlodimiriense Vlodimiro Kiyouiensi per milites
Iaroslai deditum est, verentibus Ruthenis ne eo Poloni
potirentur, qui ad principandum illic filium suum Roma
num transmittet, Quo quartadecima die Ianuarii mor
tuo, alterum filium Andream Vlodimirus Kiyouiensis
Dux ad regendum Vlodimiriam surrogavit

Imperator Henricus in Italiam reversus, absente pontifice
Paschali ingreditur Romam, ibique conveniente populo et ad
missentibus patribus cum vellet coronari non obtineret Mau
ricium sive Pertho Archiepiscopum vocavit, et ab eo sibi coronam
imponi iussit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS DECIMUS NONUS

Dilatam anno superiori in Pomaranos expeditionem Boleslaus Polonorum Dux, non obstante quod eo etiam anno tempestate quassata ventorum vis fortissima multa disrumpens, et comminuens aedificia, clades cepisset continuatiores, militiam suam armari iubet. Et copiis convenientibus in Pomeraniam exercitum deducens, quicquid vel reparatum vel reedificatum fuerat, iubet demoliri aut incendi. Congregant itaq; Pomerani et Pruthen validum exercitum, et universa iuventute exarmata, evadis etiam agrestibus, Boleslao occurrunt, fortunam tentaturi. Nec Boleslaus dimicandi semper avidus, distulit pugnam, sed quamprimum Pomeranorum et Pruthenorum apparuerunt acies, signa canere, et acies suas ex adverso procedere iussit. Et cum ex utraq; parte magna vi magnoq; animo acies concurrissent, aequo Marte aliquanto tempore pugnatum est, Polonorum pectus armorum varq; plenum habendo fervorem singularem in certando deprompserant. Verum dum Pomeranorum primis victis ad iuventutem deventum esset, acies illico Pomeranorum inclinari coepit. Quod ubi Boleslaus advertit novam militum cohortem in perculsos induxit, frequentioriq; pugna Pomerani conturbatisq; ordinibus contriti, et in fugam versi sunt. Capi autem non caedi fugientes, et parci iuventuti et agrestibus, ut essent qui terram incolerent, mandavit; plures numero capti, et ad Boleslaum reducti, clementiam suam experti sunt, plures siquidem dimitti etiam vestitos iussit. Eo praelio Pomerani et Pruthoni velut fatali et extremo victi, quod ingentem luctum simul et pavorem apud eos concitaverat, quippe in eo, quod floris, quod roboris in restanti iuventute erat amiserant, se in gratiam Boleslai Polonorum Ducis dediderunt. Nec apposuerunt ultra cervicem suae rebellionis contra Boleslaum movere. Ex eo quoq; tempore Boleslaus Dux usq; ad vitae suae tempora utramq; terram Pomeraniam videlicet et Pruthenicam possedit

Gente Pomerania et Pruthenica Boleslaus debellata, subacta, et in deditionem accepta, versus Nakiel ad

Suantopolcum

Swantopelcum esse inimicum, qui famosus et inter suos ob temeritatem et flagitia notior, Boleslao insuper Duci et Poloniae provinciis infestior habebatur, Pomeranos adversus Boleslaum arma moturos incenderat, continuit. Nakiel quoque et oppidum et castrum obsidione cingens etiam Swantopelconem in eo inclusit. A festo autem nativitatis Sanctae Mariae usque ad festum natalis Domini nive, frigore, et pruina, crebro militem affligentibus, obsidionem ipsam usque perduxerat. Nec sub tanto tempore Nakiel, quamvis Boleslaus et miles suus plurimum adniteretur, poterat resistenti Swantopelcone cum suis expugnari. Clade enim Pomeranorum et Pruthenorum audita, et rebellionis timore territus, insurgendi in Boleslaum versurus, viris, armis, et victualibus, in annum et amplius sufficientibus, per se portum arcem et oppidum communiverat. Sed nec ea sibi singula quietem securitatemque praestabant. nocturnis pariter et diurnis meditationibus angoribus vexabatur, ne aliquo casu urbs et arx in potestatem Boleslai recideret, et ipse supplicio capitali pro fraude et perfidia in Dominum et benefactorem suum admissa merito mulctaretur. Quam civitatemque frequentibus Nuntiis fatigabat Boleslaum, ut sui misertus gratiam illi et veniam concedere dignaretur, offerensque de caetero sinceriori fide maleficium suum, data insuper quam Boleslaus imperaret pecunia, datis insuper et obsidibus, pensaturum. Abnuebat primum et iterum iterumque Boleslaus Polonorum Dux Swantopelconis preces, neque eum miseratione dignum respondebat, qui semet ipsum ea indignum effecisset, tum quod proditorem et fidefragum frangi et lacerari, tum quod sagitta ipse de oppido vulneratus ultum iri vulnus suum aestuabat. Dum vero spei expugnandae urbis et arcis effectus non responderet, cum et moenia munitionesque egregie defensa essent, et machinas bombardasque illuc conducere, in tempore praesertim hiemali terrae ex resolutione in locis praesertim paludinosis limosis et lubricis deficiente, onerosum et parum utile videretur, milites insuper non aestivo solum tempore sed et hibernoso se in bella trahi, et multorum dispendiorum perferre iactura quererentur, etenim cum multi in ea ipsa obsidione aegrotarent in

eum dies

comminus nulla tamen res aeque ut vigiliae sub dio et noctibus hyemalibus et protentis alta congerebant, precibus itaque Suantopelconis assiduis fidem et correctionem astruentibus, Boleslaus Polonorum Dux expugnatus, magis tamen querela suorum militum, militiam pro eo tempore detrectantium, fractus, veniam Suantopelconi, pecunia qua illum pro salario perfidiae militaverat, et filio suo pro obside in pignus conservandorum promissorum recepto concedit, et obsidionem solvit

Cum Romanam sedem annis decem et octo mensibus quinque diebus decem Paschalis Papa secundus rexisset, Romae moritur, et in Eclesia Lateranensi sepelitur. Qui etiam Albertum, Arnulphum, et Theodoricum, qui Papatus dignitatem diversis temporibus usurpare nitebantur et qui postea mala interierunt morte, habuit hostes, et in Papatu competitores. Et in eius locum Joannes Cardinalis de Gaieta natione Campanus, per electionem Cardinalium est substitutus, et Gelasius secundus vocatus. Qui dum Imperatoris Henrici persequutionem formidaret, conabatur enim suam electionem, cum tunc in Italia ageret, quod absque suo scitu et consensu peracta esset, irritare, aliumque sufficere, in Gaietam se transtulit. Quo Henricus Imperator audito maiore furore actus Hispanum quendam Burdinum nomine in Papam assumit, et eum Gregorium, caeteris Antipapam vocitantibus, appellat. Quod intelligens Gelasius in Gaieta, in transmarina cum collegio Cardinalium fugit, in Franciam, veniensque in Cluniacense monasterium illic infirmatur et moritur et in eodem monasterio sepelitur, dum anno tantummodo uno et diebus quinque sedisset

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS VICESIMUS

Suantopelcone Pomeraniae Duce et Naklensi praefecto pacta violante, quae se servaturum et iureiurando et filio in obsidem Boleslao Polonorum Duci dato astrinxerat, Boleslaus perfidia sua et tot periuriis suis motus ex ea aestate exercitum iterum in Pomeraniam deducit, perfidiam Suantopelconis ulturus. Verum quia intelligebat hostem parvas vires habere, et Pomeranos debellatos et sub sua iam ditione consistentes illum non adituros lustrato exercitu, et infirmis, pauperibus, et timentibus in domos remissis, cum expedita tantummodo militum veteranorum et exercitatorum manu, fortalicia, munitiones, et oppida quae a Suantopelcone tenebantur, aggressus, expugnare contendit. Et primum quidem ad oppidum et munitionem Vuszegrad perveniens et diebus sedecim in eius expugnatione moratus illud vario genere tormentorum, machinarum, et missilium, perurgens, capit, et in suam redigens ditionem, octo diebus illic dando quietem militi circa oppugnationem continuam fesso, stativa habuit. Praesidio deinde militum frequenti Vuszegrado imposito, ad alia rursum oppida castra et munitiones itum est, et Nakel castrum et oppidum cuius anno transacto expugnatio non provenerat, expugnari et obsideri coeptum. Dum autem prima luce manu corona aggressus esset, credens pavore animos oppidanorum et Castellanorum conterritos dedituros se esse, constantius tamen quam illos Boleslaus facturos destinaverat, viris moenia defendentibus, feminis omnis generis tela, picem ferventem, aquam bullientem, et saxa afferentibus frustra deditio tentata est. In pluribus itaque locis admotae bombardae muros et structuras quatiebant, Nec a Nakelensibus quicquam quod aut opere aut hostes arceri posset, praetermissum est, aut enim pro diruptis nova reficiebant munimenta, aut eruptionibus subitis, nunc in opera hostium, nunc in stationes deturbabant. Turres blinde altitudinem moenium excedentes Boleslaus propterea extructas prope muros, fossis primum, terra, lignisque completis, admovet, magnoque hostis damno sagittarum infusione ex illis afferens, ut nec in moeniis consistere possent submovens, castrum et urbem se recepturum portendebat. Castellani vero et oppidani Suantopelcone qui intus aderat eos adhortante, ne vivi in manus Boleslai venirent, ad depellendum imminens periculum, congeriem lignorum picatorum et arundinum ad turres comportant, proiectioneque frequenti lardi, butyri, picis et aliae materiae qua ali solet ignis, ignem subiiciunt, ac sic Poloni nequicquam incendium depellere satagentibus materia pingui conatus Polonorum peruincente turres consumit. Nouis in conflagratarum turrium locum Boleslai sollicitudine et opera cito surrogatis, dum eodem animo et adnisu, eadem quoque prouidentia et arte a Pomeranis simili ingenio fuissent succensae et exustae, tertiae rursum eadem celeritate qua et primae secundaeque, a Boleslao surriguntur, illis quoque per Pomeranos igni depastis, quartae rursum tam propinqua locatione moenijs admotae sunt, ut manuale personaleque inter obsessos et obsidentes fieret certamen, atrox quoque pugna saepius coorta, Pomeranis incumbentibus, Polonis prohibentibus turrium conflagrationem, in maiorem diei partem producta, utrumque partium studio accensa feruebat, per quam non parua strages aut vulneratio quotidie in Polonis, maior tamen in Pomeranis edebatur. Tamque obstinata a Pomeranis resistentia opposita est, ut plus in dextris, quam in moenibus spei esse facile assererent, pax deinde, ut obsessis liceret abire incolumibus, a Boleslao petita est, quam dum petentibus abnuisset, Treugae in dies aliquot magna instantia deposcebantur. Sed cum has quoque Boleslaus maiori constantia denegasset, Pomeranisque iam vires, iam tela, iam victualia, iam ante omnia animus ex Boleslai constantia deficeret, in desperationem omnium animis spectantibus, rursum nuntijs ad Boleslaum missis, ut saltem vitam illis donare dignaretur, precibus eorum Boleslao deferente, deditionem faciunt. Swantopelcus vero vinctus tractus perpetuae captiuitati est damnatus. Nakel capta, caetera oppida et munitiones spontaneam fecere deditionem. Sancitumque ab eo tempore est, non castra, non oppida, non munitiones, aut castella, Swantopolco aut filijs velut hominibus dolosis et fluxae ambiguaeque fidei committenda. Ex eo autem tempore in Boleslaum Ducem Polonorum milites propensiori incitati sunt amore, quod viderant illum nullum formidare discrimen, nullo laborum sed nec bellorum genere fatigari. Consequutum praeterea esse patientiam in re qualibet administranda, industriam in prouidendo, celeritatem in conficiendo.

Exiguo tempore inter Borzywoy ab vna et Wladislaum Bohemiae Duces germanos, partibus ab altera, qui Ducatus

Bohemiae regimen inter se, principalitate tamen, circa Borziwoyum velut natu maiorem remanente, partiti erant, vnodecim vigenti, rursus cum ad priores contentiones, lites, et differentias, Bohemia odio alterius, in alterutrum assentatorum aut suggestorum suggerentibus, res redijsset, Borziwoy dux fratris sui Vladislai ira ferunda iam certus, veritus ne in se aliquid gravius improbitate suggestorum per fratrem consulti contingeret, Bohemia deserta, in vetustissimum hospitium, in Poloniam ad Ducem Boleslaum convenisset, Cumque illic aliquanto tempore moratus, et a Boleslao comiter habitus fuisset, in Vngariam dedurimde temporis cursu transductus, illic dum obijt

Gelasio Papa cum anno tantummodo vno et quinque diebus sedisset, in Cluniaco mortuo, Cardinalium vniformi electione in Cluniaco celebrata, Guido natione Burgundus, comitis Burgundiae filius, et Archiepiscopus Viennensis, Calixtus Secundus vocatus in Papam assumptus est. Qui ex Cluniaco Romam cum favore omnium pergens, Burdinum pro Papa se gerentem in Sutrio conclusum capit. Quem super mula transversa ad caudam facie impositum, caudamque muli pro freno tenentem Romam deductum, et in turrim coniectum, in squalido carcere mori fecerunt. Hic cum vir animosus et cautus esset, et vniversis propter suam affabilitatem charus, Imperatorem Henricum de investituris Episcoporum se ingerentem anathemate novo percelleret. Quem cum videret Henricus Imperator et propter animum et favorem populi vinci non posse, investituris Episcoporum perpetuo renunciaturum apud Wormaciam, consilium frequens Germaniae Principum indicit, et veritus propter anathema imperium a se diferre, iam enim senserat plerosque principes adversum se coniurasse, patris interitus exemplo territus, investituram Episcoporum legato Sedis Apostolicae Lamberto, qui postmodum in Papam suffectus, Honorius dicebatur exigente resignavit, per eumque ab anathematis vinculo absolutus est.

Zroslaus Vratislaviensis Ecclesiae Episcopus, soluto naturae debito Vratislaviae moritur, et in Ecclesia Vratislaviensi sepelitur, cum annis octo et viginti Ecclesiam Vratislaviensem prouide et modeste gubernasset. In cuius locum per Calixtum Secundum Heymo alias Imislaus natione Polonus de nobilitate Lesczitarum alias Arvnnorum succedit, ordinatus

natus, Dux Polonorum Boleslao cuius personam per nuncios et literas velut unico patrono promouente, apud Treine.

Ordo Praemonstratensium coepit. Cuius fundator Nortbertus vir Dei de partibus Lotharingiae oriundus, genere et nobilitate clarus, pater extitit primarius atque fundator, qui in breui tempore magna religione fulgens multos habuit ex viris illustribus fundatores, Qui progressu temporis dum magnopere germinasset tandem nostris temporibus vidimus illum et praecipue in Regno Poloniae in magna ariditate corruisse.

Hoc etiam tempore ordo Sancti Ioannis Baptistae Ierosolimitani inchoatur, a venerabili Ragimundo viro operibus misericordiae dedito, et in breui tempore valde creuit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS VICESIMVS PRIMVS.

Annos nubiles Cristina filia Imperatoris Henrici quarti, et secundum quosdam quinti, quam Boleslaus Polonorum Dux filio suo nati maiori primi matrimonij Wladislao desponsauerat, quamque in Poloniam ex Almania deductam, decennio iam exacto nutriuerat, eo tempore dum impleuisset Boleslaus Polonorum Dux diem designans nuptiarum, Stephanum Vngariae Regem generum suum, cum Baronibus Vngariae primoribus, Iaroslaum Ducem Wladimiriensem socerum suum, item alios Principes Russiae, suique regni Poloniae Praelatos, Barones, et Proceres ad huiusmodi nuptiarum solennitatem nuntijs et literis inuitat. Quibus in frequenti numero Cracouiam conuenientibus, munificentiam suam, potentiam et gloriam Boleslaus ostensurus, in dies plures conuiuium produxit, et singulos inuitatos necessarijs omnibus abunde tractatos, singulis etiam dona mittentes et acceptanti digna misit. Ludos plures hastatorum praecipue et gladiatorum ad laetificandum et honorandum conuiuas praemio victori proposito instituit, et cum magna omnium hilaritate et comitate solennitatem huiusmodi consumauit. Praefata autem Ducissa Cristina, ex fastu et superbia communionem singulorum aspernabatur Polonorum, a mensa quoque et conuictu illos abijciens, Teutonicorum obsequijs ad singula quoque officia utebatur, asserens Polonos olidos esse, et in conspectu suo foetere, nec habitum eorum et amictus ferre posse. Sacerdotes insuper Polonicos non secus quam saeculares pertaesa, nullo honore illos dignans, nullam illis reuerentiam exhibebat.

Mensibus tribus et continuis Martio videlicet Aprili et Maio validissima siccitas, et aestus terram pressit. propter quam non aestivales solum sed et hyemales segetes exterminatae et arefactae, annum illum effecerunt apud Polonos annonae caritate turbidum et sterilem, Vicinae quoque regiones et provinciae eandem siccitatem et sterilitatem expertae, fame et inedia aliquanto tempore premebantur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS VICESIMUS SECUNDUS.

Nuptiarum primogeniti filii Vuladislai solemnitatem non inferior alia solemnitas transacta cumulatura vel potius renovatura gaudia sequuta est. Ducissa enim Adleida conjux Boleslai Polonorum Ducis, filia Imperatoris Henrici quarti et soror quinti, sterilitate quam decennio pertulerat in fecunditatem commutata, filium feria quarta ante festum assumptionis Sanctissimae genitricis Dei virginis Mariae produxit, De cuius nativitate miro modo pater Dux Boleslaus exultans, in Cracoviensem urbem pluribus Praelatis, et Baronibus convocatis, solemnitatem baptisteriorum magno sumptu magnaque pompa exegit, et infante per Radostium Episcopum Cracoviensem, in Cracoviensi Ecclesia sub frequentia multorum Procerum et plebis baptizato, nomen suum et avitum coaptans, Casimirus nomen imposuit.

Terminos Polonorum Volodar Dux Premisliensis ex castro Przemysl crebro infestanti praedamque agenti Boleslaus Polonorum Dux, missis ad Volodimirum et alios Russiae Duces nuntiis, de iniuriis quae Regno Poloniae per Volodarum inferebantur apud eos querebatur. Sed videns suarum iniuriarum gravamina a Russiae Ducibus dissimulatum iri, mandat militibus et praefectis suis ut iniurias suas de castro multas esse non sinant. Volodaro itaque Polonorum fines spolianti, milites quibus id a Boleslao Polonorum Duce munus mandatum fuerat, occurrunt, et praelio inito insignioribus suis militibus occisis victum, praedas quas ex Polonia tulerat, eripiunt, fugientem etiam persequuti, in loco qui Vuyszohr appellatur, comprehendunt, et captivum Cracoviam ad Boleslaum Polonorum Ducem perducunt, ubi vincula aliquanto tempore sustinuit. Processu autem temporis nuntii Vuasilkonis Premisliensis

Ducis

Duces Cracouiam adueniunt, et cum Boleslao Polonorum Duce, qui pro liberatione Vulodori octuaginta millia marcarum argenti petebat, de soluendo Vulodoro argento, de viginti millibus argenti pro solutione Vulodori agendis conueniunt. Datisq; tunc duodecim argenti millibus, de soluendo residuo Jaroslai filium obsidem ponunt. Ex post vero quingentis vasis argenteis scutellis videlicet pateris, ciphis de opere Graeco alatis plenam solutionem impendunt. Vulodor itaq; solutus Boleslao Polonorum Duci reconciliatur, et tam cum illo quam Colomanno Rege Vngarum fratre foedere icto et iureiurando firmato Vulodor reuertitur Premisliam vicesima secunda die Julij mensis

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS VICESIMVS TERCIVS.

Grandis commotio in Bohemia inter Germanos, Vuladislaum et Sobeslaum Duces orta, grandem simultationis procellam inter vtrosq; excitat. Dum siquidem Sobeslaus Morauiam obtinens Vuladislao Bohemiam obtinenti subesse detrectaret, Vuladislaum insuper multis probris et querelis propter alterum fratrem Borzywoy in exilium actum et in exilio iam tunc consenescentem sugillaret, carperetq;, in apertam hostilitatem, inter illos creuit aemulatio. Ad arma quoq; ab vtroq; concursum est, infestisq; signis velut inter hostes seuissimos non sine interitu multorum pugnatum est dimicatum Victumq; Soberslaum et fuga elapsum Morauia exuit possessione, et Morauiam inter Leutoldum filium quondam Conradi senioris et primogeniti fratris olim Vratislai primi Regis Bohemiae, et Ottonem atq; Suantopolcum filios Ottonis praedicti Vratislai, consortis etiam Soberslai fratris, fratrij ordinem et iunctionem iure credita diuisit in manus. Soberslaus autem acie a Vuladislao victus, in Almaniam ad Henricum quintum Imperatorem, suffragio suo cladem acceptam reparaturus, confugit. Verum cum preces suas crebro ad Imperatorem fusas aspernatum iri aduertisset, se insuper in fauorem Vuladislai fratris et hostis sui capi et ab Imperatore detineri pertimescens, Almania deserta in Poloniam cum suis omnibus ad Boleslaum Polonorum Ducem diuertit. Qui calamitosum et profugum Ducem recolligens, et singulis rebus necessarijs, quae illi et suis deesse videbat, munifice reficiens, collapsum erexit, et diffidentem vacillantemq; suffragio sibi ferendo repromisso confirmauit, pessima vicissitudine. Haec et tanta Boleslai Poloniae Ducis sibi et fratri suo Borziwoy

in necessitate

in necessitatis articulo praestita beneficia, et in sequentibus narrabimus, pensaturum. Coniunx vero Sobieslai Almussa nomine, a Vladislao Duce Bohemiae victo, cum esset Stephani Ungariae Regis consanguinea, in Ungariam se conferens illic omne tempus exilij egit

Affinem suum Jaroslaum Vladimiriensem Ducem quadriennio prope in Polonia commoratum, Boleslaus Polonorum Dux ad principatus suos et dominia restituturus, exercitu ex Polonorum militibus comparato, in Russiam pergit, cui circa Przemislam stativa agenti Colomannus Ungariae Regis frater solatia et ipse Jaroslao exuli contra Vladimirum Kiyoviensem Ducem laturus, cum notabili Ungarorum exercitu advenit. Duces insuper Russiae Vpolodor et Vuasilko Premislien. Item Vladimir Vulodorowicz Jaroslai partibus suffragaturi Colomanno Ungarorum et Boleslao Polonorum Ducibus cum suis copijs se adiungunt. Dantur autem Jaroslao Vladimiriensi Duci ex Ungaris et Polonis septem equitum millia, cum quibus exercitum Colomani et Boleslai quadrigis et impedimentis gravem anteibat. Vallati autem sunt ab exercitu praefato Belscirvinensis, Vladimiria, et alia castra Jaroslao per Vlodimirum Kiyoviensem ablata, quae paucis diebus obsidione parumper tolerata, Jaroslao deduntur, quibus in potestatem suam redactis, ad Metropolim Ruthenorum Kiyow ad opprimendum Vlodimirum singula copiae traductae sunt. || Jaroslaus autem Vladimiriensis Dux dum iuxta morem, Colomannum et Boleslaum cum militibus sibi adiunctis, diebus aliquot Kiyoviam praecessisset, cum peditibus ex Kiyow contra eum egressis, pugnam committit. Quos dimicans usque ad portam quae Polonica appellatur illos persequendo sternit, capit, et obtruncat. Reliquis autem peditibus in eorum qui ceciderant supplementum, in maiori quantitate occurrentibus, instauratur pugna, et pluribus Polonorum et Ungarorum militibus, qui Jaroslaum comitabantur, a cohorte peditum Kiyoviensium occisis, equus etiam Jaroslai Ducis multis telis confoditur, qui eorum acerbitatem non ferens Jaroslaum Ducem sessorem suum deiecit in terram. Ruthenis autem capere illum, Polonis vero et Ungaris de periculo eripere satagentibus, durum certamen fervebat inter utrosque. Praevalentibus tamen Polonis et Ungaris Rutheni Kiyovienses in castrum refugere pugna relicta coacti sunt. Jaroslaus vero Dux ex pugna humi modo aliquot vulneribus confossus, paucis post diebus moritur. Colomannus tamen Vngariae et Boleslaus Polonorum Duces, coeptam obsidionem castri Wlodimiriensis continuant. Sed Andreas Wlodimiriensis castri praefectus a Vladimiro iussus in illo consistere, ante adventum Colomani et Boleslai ex castro egressus, pacem supplex a Colomano et Boleslao petere coepit, qua Vuolodaro et Vuasilcone Premisliensibus Ducibus suffragantibus illi, a Colomano et Boleslao minus cunctanter, dum Iaroslaus Dux gratia cuius id bellum assumpserant extinctus esset, concessa est. Icto autem foedere inter Colomanum Vngariae et Boleslaum Polonorum Duces ab una, et Volodarum Vuasilconem et caeteros Russiae Duces partibus ab altera pollicentibus, in qualibet necessitate sibi invicem auxiliatores, Colomanus in Vngaros Boleslaus in Polonos recessit

Tartari circa haec tempora permissione divina, montem exisse putantur, in quo clausi fuerant per tempus diuturnum, in magna miseria et fame, genus vile et sterile

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS VICESIMVS QVARTVS.

Triennio integro iam in magna parte exacto, hostibus undique in circuitu lacessitis vel subactis et tranquillae res apud Polonos essent, Boleslaus Polonorum Dux qui in tractandis bellis et armis omnia studia sua, voluptatem et ingenia converterat, marcescere defluereque ocio se et milites suos turpe et inglorium reputans, flore totius militiae suae collecto, navibusque apud Gdansk caeterisque maritimae orae civitatibus frequenti numero praeparatis, imposito, in Daciam traicit, prosperoque vento et prospera fortuna usus cum omni classe et integer et incolumis Daciam pervenit. Sua autem in Daciam traiectione, non ambitione invadendi regni alieni, non praedae rapiendae, non opprimendi quenquam, sed iusta et necessaria causa incitabatur. Dum siquidem Boleslaus Polonorum Dux non apud vicinas solum, sed etiam remotius porrectas gentes et regiones, tum fama bellica tum naturali in cunctos, in exteros tamen praecipue benivolentia, comitate, dexteritate, et largitione celeberrimus haberetur, multique milites ex oris longinquis causa consequendae gloriae et disciplinae militaris ad eum confluerent, inter alios adolescens insignis ex Dacia et cunctos Dacos ea tempestate forma divitiis, nobilitate, et ingenio praestans, cuius pater, qui et ipse inter Barones et Proceres Daciae primus et potior omnium Regni Daciae negociorum moderator arbiter et director habebatur, vnicus et charus esset, Petrus nomine, in Poloniam aduenit. Et cum a Rege suo Daciae commendaticias suis epistolas ad Boleslaum Poloniae Ducem, quibus eum in familiarem recipi supplicabat, et inter Curtenses respectu, et sui merito a Boleslao fauore praecipuo exceptus, moribus ingenuus, actionibusque a luxu et leuitati abhorrentibus magis quam verbis facile se quis posset, Boleslao insinuauit, breuique effecit, ut pro robore corporis, et strenuitate in armis, saepe ostensa, et pro virtute ingenij supra aetatem frequentius deprompta, pro morum placida et benigna conuersatione in singulos demonstrata, non ipsi solum Boleslao Duci et suis aulicis, et his cum quibus vna militabat, sed vniuersis Poloniae proceribus Et Satrapis, omni liuore, quod raro in homine praesertim aduena et forensi contigit, circumscripto, charus et gratus haberetur. Adeo autem in addiscenda lingua Polonica operam dedit, adeo se morigerum et tractabilem, cum res exposceret, praebuit, adeo rempublicam Polonorum sibi cordi fore, cum quid arduum agendum esset, monstrauit, ut non ex Dacia ortus, sed in medio Poloniae genitus credi posset. Obligare cum amplius Boleslaus Polonorum Dux sibi regnoque suo, et ut patria sua obliterata perpetuum domicilium in Polonia ageret inuolatum, satagens, multis illi castris, oppidis, curiis, villis, et possessionibus, et inter alias oppido Skrzyn et villis vicinis et vniuerso Skrzinensi comitatu, donatione perpetua largitus, etiam illum splendido coniugio, data illi virgine decora Ducissa Russiae Maria nomine, quae primam vxorem Boleslai Ducis Polonorum affinitate propinqua contingebat, in vxorem dignificat, et amplius nobilitat, erigit, et extollit. Triste interim et inserabili casu, quo Daciae Rex Henricus a germano suo Regnum Daciae vsurpaturo Abel nomine pluribus vulneribus obtectus et necatus est, emergente ingens thesaurus a Rege Daciae interfecto, a superioribus Regibus Daciae longo tempore congestus, in manibus et potestate patris Petri de Dacia paucis consciis relictus est. Qui cum se grandaeuum et propediem moriturum non dubitaret, veritus ne se obeunte tantus thesaurus in tyranni et fratricidae Abel, qui fratre Henrico occiso, regnum inuaserat, potestatem veniret, secreto et experto fidei nuncio in Poloniam misso, filio Petro Regium thesaurum ad se peruenisse, et in sua manu situm, nulli alteri quam sibi se tradditurum esse denunciat. Daret proinde ordinem, et ea potentia stipatus, alterius in Daciam veniret, qua et tutus a Tyranno Rege consisteret, et thesaurum sua sorti a patre eum destinatum in Poloniam referret. Quam sibi prout erat et absque Boleslai Polonorum Ducis suffragio nullatenus aggrediendam rem ad se a patre delatam prudenti discursu ratus, eam ad Boleslaum Ducem refert, anxius supplicans, duci in occasionem bene gerendae rei quae perfecta non suus tantummodo sed et Ducalis et totius Poloniae status illustramentis dilatandusque esset, intermitteret et negligeret. Quo pleniora, veraque a Petro narrabantur, eo magis Boleslaum Ducem moverunt, erogata in eos milites, qui secum transfretaturi in Daciam erant, pecunia, caetera omnia, quae ad classem opportuna noscebantur, et per se et per praefectos, summa cura summoque studio administrabat, primoque tempore, quo felix et tempestiva navigatio patuit, mare et praemissum habens Petrum, gratiarumque classem illam paraverat, in suo comitatu, circa oppidum suum Ducale Gdansk, peregrinationem illam etsi sumptuosam, sibique aequoris fastidia inexperto, difficilem, nullum respuens pro dilatando insigniendoque Regno suo periculum vel laborem aggressus conserendus, in Daciam pervenit, Destinata autem exequuturus, quo minus in suspicionis plus favoris et gratiae adventus sui apud Dacos haberet, ad ulciscendam se occisi innocentis Regis mortem amici sui advenisse insimulans, universos fere Dacos ad induendum contra Tyrannum et fratricidam arma, et ad adiuvandam partem suam pellexit. Itaque ocyor et tyrannus a suis desertus, ne vivus in potestatem Boleslai veniret, de regno quod sanguine fraterno effuso rapuerat fugitivus et tristis fuga abscessit. Castrisque omnibus Dacie Boleslaus Polonorum Dux potitus, ea in potestatem et ditionem primorum Daciae Baronum resignans, ut sibi de Rege legitimo et provido providerent, eosdem exhortans, sublato universo a Patre Petri propter quem venerat thesauro, universam etiam cognationem Petri secum vehens, gloriosus et sospes in Poloniam reversus, geminato Poloniam gaudio, et pro suo incolumi reditu, et pro apportato thesauro exhilaravit. Eo autem thesauro Petrus Dacus, qui processu temporis Magnus et Palatinus comes Piotrek appellatus est, et septuaginta septem Ecclesias de sectis aut dolatis lapidibus, ignominiam Poloniae, cum tunc in ea infrequentes Ecclesiae ex muro essent, detersurus,

fabricat

fabrefecit, et Monasteria duo, unum Strzelno, Monasterium autem Sanctimonialium Praemonstratensis ordinis quod nunc etiam in Strzelno cernimus, praefatum Comitem Petrum de Skrzin constat in villa Chalino prope Rzstborza in Wratislaviensi Dioecesi fundasse, et Ecclesiam sub titulo et honore Mariae Magdalenae, quadro et molari lapide, quam in diem hodiernum cernimus, illic fabricasse. Ex post vero ad locum magis fecundum et cultum ex loco sterili et parum culto ex Chalino videlicet in Strzelno praefatum coenobium Sanctimonialium propter ubertatem Dioecesis transtulisse. Aliud Sancti Vincentij extra muros Wratislavienses quadro etiam lapide et sumptuoso opere aedificatum de ordine Praemonstratensi, qui sub eo tempore velut novus, multum venerationis habebat, Duce Polonorum Boleslao permittente, fundat et munifice dotat. Sed et genus et cognatio Petri pro insigni Cygnum seu olorem in campo rubeo deferens, frequenti germine, in plures familias dilatata, in Polonia in hanc diem perseverat, et nominibus cognominibus Petrum se habuisse, et ex Dacia ortam esse insinuat, et designat. Pro ea autem tempestate cygnum deferebat super galeam, in clypeo vero pro insigni et armis in campo albo literam quandam capitali literae R similem tribus in eius crucibus in parte anteriori adornatam gestabat, quae iuxta picturam inferius positam effigiata est



Wolodor Premisliensis Rex intelligens Boleslaum Polonorum Ducem in Daciam transfretasse, foedere quod cum Boleslao Polonorum Duce in Kyow pepigerat, et iureiurando firmaverat, violato, filium suum Wolodimirum cum exercitu ad vastandam Poloniae regionem transmittit. Qui illam improvise et nulla diffidatione praemissa ingressus vastando agros, et cremando tecta usq Lovecz Brzez hostiliter nullo repressionem opponente grassabatur, captaque et congesta grandi pecorum praeda in Russiam illam deduxit.

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS VICESIMUS QUINTUS.

Varijs felicibus successibus Poloniae Regno pace et foris et ab intra provenientibus, sub Boleslai Polonorum Ducis regimine et auspicijs multifario decori [illegible], florenti, ordinarium suae felicitatis successum, emergens casus turbavit. Incendium enim fortuito casu in Cracovia exortum, urbem praecipuam, et aedificiorum, lignorum tamen, pulchritudine, et divitiarum, merciumque quae a circumiacentibus provincijs in eam inferebantur, copia et magnitudine gloriosam et insolitam, depastis et consumptis templis, sanctuarijs, et domibus, reddidit deformem et longo tempore tenuem et pannosam. Asserunt nonnulli incendium civitatis Cracoviensis non fortuito sed Bohemorum hostilitate accidisse; qui civitatem ipsam clandestina incursione ingressi, ipsam flammarum dederunt incendio, amaricati, quod Boleslaus Poloniae Dux hostem suum Ducem Soberslaum ubique spretum ubique contemptum, et quem nec Imperator Henricus in suis dignabatur fovere dominijs, calamitosum et inopem exceperat.

Longa aegritudine Vuladislaum Bohemiae Ducem cruciante Soberslaus germanus suus, quem in Polonia apud Boleslaum Poloniae Ducem exilium egisse monstravimus, Bohemiam sumptibus et militibus Boleslai Polonorum Ducis illum associantibus reversus est. Provida quoque mater eorum Svatava de collisione filiorum molesta et pacificationis sollicita, operante, inter fratres ipsos diuturno dissidentes litigio, reconciliatio tandem plena secuta est, eo minus quidem per Vladislaum Bohemiae Ducem rata, quo se ad limen mortis propinquius [illegible] accessisse. Secundo deinde Idus Aprilis, dum Vuladislaus [illegible] bo quo vexabatur consumptus esset, Soberslaus cum inter Bohemiae Ducis nullus eo natu maior relictus foret, cum favore Baronum et populi, quamvis Ottho filius senioris Otthonis nepos suus pluribus calliditatibus illum assequi ausus fuisset, Bohemiae principatum eius impedimentis quae sibi ab Otthone instabantur confutatis, quintodecimo Calendas Maij iure haereditario successit.

Vastationem Regni sui Poloniae per Vuolodorum et filium suum Vuladimirum contra ius fasque violationeque foederis attentatam, Boleslaus Polonorum Dux iusta ira eum stimulante ulturus, cum omnibus potentijs suis Vuolodori et Ducatum suum Premisliensem invadit, et populationem, quanto longius poterat, extendit, oppida, vicos, et rura exurit. Cui Vuolodor Dux cum suis et aliorum Ducum Russiae copijs occurrens, in loco qui Velesow appellatur, pugnam committit, et

sub ab

Sed ab exercitu Polonorum frequentissimo exceptus, in stipulae modum plurimis Ruthenorum cadentibus fusus victusque et castris exutus est. Duoque tunc insigniores Ruthenorum milites et in armis strenui videlicet Nawrotnik et Zabelnick cum pluribus aliis caesi, captivorum quoque ingens numerus fuit. Wolodar Dux suos in fugam effusos inhibere non valens, pariter et ipse fugit, et usque in Halicz sese conferens colligebat exercitum, volens denuo cum Boleslao Polonorum Duce, qui post victoriam regionis Russorum caede et igni singula invadens vastabat confligere

Hyems saeva et horrida in qua multa pecora hominesque frigore magno periere, et quassatis frigore frugibus famis subsequuta in regionibus Polonorum

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS VICESIMUS SEXTUS

Beneficia multiplicia quibus se Boleslaus Polonorum Dux propitia divinitate per frequentes et insignes triumphos et subactos hostes, gentes, et nationes, glorificatum, Regnumque suum Poloniae noverat illustratum, sedulitate qua poterat, et humanitatis studio, gratitudineque aliquali recogniturus, Ecclesiam Cracoviensem, ad quam miro devotionis ferebatur ardore, ultra ceteras Regni sui Cathedrales Ecclesias magnificaturus, et muros eius qui tunc bassi et humiles erant, altius erexit, et duas turres a fundamento illas initians adiunxit, calicibus insuper, cassulis, crucibus ex auro et argento fabricatis et contextis, ceterisque ornamentis eam decorans, pro ampliori suo cultu, splendore, et gloria, de speciali consilio et consensu Radosthonis Cracoviensis Pontificis, Canonicorum Cracoviensium veteri numero castigato quidem tunc et ~~aucto~~ augusto, viginti Canonicatus praebendatos de decimis manipularibus per Episcopum Radosthonem largitis, et villis aliquibus atque possessionibus liberalitate Ducali donatis, dotatas adiecit. Suaque munificentia, opera, et favore magni beneficii in Ecclesiam Cracoviensem, in eam usque diem perseverantis, reliquit perpetuo duratura monumenta. Omnium tamen Canonicatuum et praebendarum, tunc a se et Radosthone Episcopo Cracoviensi fundatarum et dotatarum collationem et iuspatronatus voluit in perpetuum circa Radosthonem Episcopum et suos successores Cracovienses Episcopos consistere

Decimanona Martij Vuolodor Premysliensis Dux moritur, et in Ecclesia Sancti Joannis, quam ipse fundaverat, Premysliae sepelitur. Duos filios Volodomirum et Roscziszlaum relinquens. Divisione autem celebrata, cessit Vulodimiro Sunigrod, et Rosczislao Premyslia. Collecto autem qualicunque exercitu, illum Duces soli ad vastandam Poloniam transmittunt. Qui et ipse pavore perculsus, vix fines Poloniae attingens, aliquot villis circa Vuisloka crematis, redijt. Decima Maij Vulodimir Kiyoviensis Dux obijt, in Ecclesia Sanctae Sophiae apud Kiyoviam sepultus in patris sepulchro, cui Mscislaus filius suus successit senior, et in Kiyoviensi solio consedit. Alter vero frater suus Jaropolk in Peryaslaw tenuit principatum. Audientes autem Polowczi mortem Vulodimiri, in terram Russiae hostiliter irrumpunt, sed a Jaropalco Peryaslaviensi Duce et sua militia, qui non expectato fratrum solatio conflixit cum eis, victi sunt, et plures in aquis suffocati.

Calistus Papa secundus cum sedisset annis quinque mensibus decem, diebus sex, Romae moritur, et in Ecclesia Lateranensi sepelitur, cui Honorius secundus natione Bononiensis per conformem Cardinalium electionem successit, qui ante Papatum Lampertus vocabatur Hostiensis Episcopus Cardinalis

Mortem Calisti Papae mors Imperatoris Henrici secuta est, qui dum apud Traiectum Phrisiae urbem morbo correptus curiam in diebus Pentecostes celebrasset, Sexto Calendas Junij obijt, nullum filium post se relinquens, sacrilegusq. Quae illi orbitas, ideo iusta divina ultione aestimata est accidisse, quia patrem suum Henricum Imperatorem, quem praecipuo Dominico honorare debuerat, captivans, et recludens, cum in carcere mori fecit, et in eo Henrico Imperatore quinto, Henricorum progenies a Saxonibus descendentium in totum extincta est. Obitu eius Honorius Papa cognito, legatos in Teutoniam misit. Electores apud Maguntiam pro electione futuri Imperatoris conventum agentes, pro uniformi electione principibus providentes, religiosi et devoti Ecclesiae fautores. Itaque Electorum consensu Lotharius Dux Saxoniae eligitur, et a Friderico Coloniensi Archiepiscopo benedicitur, et inungitur. Corpus Imperatoris Henrici quinti per Coloniam Agrippinam deportatum, in civitate Galliarum Spira, iuxta patrem, avum, et proavum Imperatores, cultu Caesareo sepultum est. Lotharius autem Romanorum regnum adeptus, omnibus cognatis Henrici

Imperatoris gravis esse coepit, et omnem Henrici progeniem Sumulavit, ex quo multorum mortalium periclitatio in corpore et anima sequuta est

Moritur et Episcopus Vratislaviensis Heymo, dum annis prope sex Ecclesiae Vratislaviensi praefuisset, In cuius locum Boleslao Polonorum Principe favente et consentiente Robertus successit, alias Ropertus Custos Vratislaviensis per electionem Capitularem viâ Scrutinij celebratam. A Jacobo primo Gnesnensi Archiepiscopo Boleslao Duce Poloniae et Monarcha in electionem suam consentiente, in Opatow confirmatus, et Calisiae consecratus, Polonus genere, de familia nobili Korabitarũ ortus.

Inter Bohemiae Duces Sobieslaum et Ottonem pro Ducatu Bohemiae dictum gliscente aemulatione, Sobieslaus cum potentia Moraviam veniens, parte quam in Moravia Ottho habuerat eum exuit, et eam Vratislao filio Odalrici in possessionem tradit. Ottho autem conspectum Sobieslai fugiens, ad Lotharium Romanorum Regem confugiens, petito ab eo subsidio, et obtento, cum redijsset habens Lotharium Romanorum Regem secum, circa oppidum Chlumech praelio inito non victus solum sed occisus est et plures de Alemanis aut occisi aut capti. Ipse quoque Lotharius Romanorum Rex suis ex acie cedentibus fugere coactus, primitias imperij sui clade insigni et fuga turpi faedavit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS VICESIMVS SEPTIMVS.

Consors Boleslai Polonorum Ducis Athleyda et soror germana Henrici Imperatoris quinti nuper defuncti alterum infantem Boleslao edidit, et maerorem de morte fratris Imperatoris Henrici habitum, nova filij nativitas temperavit. In Baptismo puer patre iubente paternum et avitum nomen sortitus Boleslaus accepit, qui ab ipsa infantia caesariem a natura crispam nactus, etiam cognomen ex ea adeptus Boleslaus Crispus tempore succedenti est vocitatus

Latebant usque ad ea tempora Beati Adalberti Martyris et Pontificis Gnesnensis, olim Pragensis, ossa, in Gnesnensi Ecclesia occultissimo loco, ne a Bohemis aut alijs nationibus raperentur scrupulose condita, et accuratissime custodita, quorum locum nonnisi soli Gnesnensi Archiepiscopo ab Episcopo, et paucis Prælatis et Canonicis scire et noſſe concessum erat. Verum Metropolitanus Gnesnensis Jacobus, inspiratione divina permotus, suorum prælatorum et Canonicorum Gnesnensium communicato consilio, non tulit, ut ossa viri beati amplius in occulto delitescerent, et proinde septimo Calendas Martii primum caput præfati Sancti Adalberti deinde universa sacri corporis ossa ex abditis locis in lucem et in publicum pro consolatione Regni Poloniæ et Polonorum universorum produxit, et ad colendum fidelibus universis perinde ac si noviter repertum esset, ostendit, et revelavit

Grandævus ætate, et senio confectus, Laurentius primus Posnaniensis Episcopus fato absumitur, dum annis uno et viginti sedisset, et in Ecclesia Posnaniensi sepultus, Martinum primum, Decanum Posnaniensem a Capitularibus electum concorditer, Polonum genere, de obscura stirpe progenitum habuit successorem. Quem Jacobus primus Archiepiscopus Gnesnensis post consensum Boleslai Ducis Poloniæ et Monarchæ apud Lanciciam confirmat, et ad ordinem pontificalem consecrat.

Clandestina simultates et odia inter germanos fratres Vulodimirum et Roscislaum filios olim Vuolodori Premisliensis Ducis exorta, ad tam graves testatasque prodiere inimicitias, et principatibus suis crudelissime vastatis, unus alteri mortem et excidium machinaretur. Et quo id facilius peragerent, exterorum subsidia uterque quærunt, Vulodimir Pannoniorum, Roscislaus Ruthenorum. Ungaris autem serius Vuladimiro solatia, quæ imploraverat, ferentibus, Roscislaus Ruthenorum nactus solatia, videlicet Msczislai Kyoviensis Ducis, et Gregorii ac Ivanii Vnaselkowij, contra Vuladimirum venerat. Interim vero per Barones et milites de pace inter fratres tractatus agi cœpit, qui cum apud Scirzecz pluribus diebus pacem conficere laborassent, re infecta ad arma reditum est. Et Roscislaus Premisliensis Dux de potentia auxiliariorum confisus fratrum, castrum Swinigrod vallat et oppugnat, facilem conjectans futuram expugnationem. Sed cum castrum prædictum a tribus millibus virorum quos Vuladimirus in eo locaverat strenue defenderetur, Roscislaus aliquot militibus de suis desideratis, soluta obsidione discedit. Quamlicet cum eisdem potentiis altera vice maiori conatu resumpsisset, Spei tamen suae videns adversum respondere effectum quoniam gentes obsessae Uladimiri eruptione ex castro facta, in gentibus suis cedebant stragem, ab obsidione discedit.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS VICESIMUS OCTAVUS

Concordem Lotharii Saxoniae Ducis ad imperium electionem superiori tempore, Summo etiam Pontifice Honorio secundo id procurante, factam, pauco interposito tempore, quidam ex Electoribus rescindere conati, Conradum Ducem Sueviae sororium germanum Imperatoris Henrici quinti in Regem eligunt Romanorum, pacificamque Almaniam bellorum stridoribus involvunt. Non enim deerant Principes et Barones Almaniae, qui adhaesione sua ortum Schisma nutrirent. Ignominiam autem et iniuriam sibi praeter aequum et meritum datam Lotharius Rex non ferens, ex omnibus Almaniae terris suae etiam parentibus contrahit exercitum, auxiliares quoque Principes in suum solatium conducens, contra Conradum competitorem suum ducit. Neque Conradus alter electus detrectavit pugnam, quippe et ipse ex plurimis gentibus et principibus suas partes sequentibus de hostilitate Lotharii non ignarus copias ad decernendum paraverat. Praelio itaque magno fervore partium inito, dum frequentes milites et pugnatores nobiles in parte utraque concidissent, ad extremum pars Lotharii praevaluit, et Conrado in fugam cum suis converso, Deo iustiorem aciem adiuvante, famosa victoriam pluribus de parte Conradi captis obtinuit. Ea quoque clade Conradus fractus, amplius ius suum prosequi destitit, sed communibus arbitris agentibus se Lothario reconciliavit. Cuius reconciliationis beatus Bernardus Claravallis Abbas fuisse scribitur praecipuus mediator.

Sobieslaus Bohemiae Dux post adeptum Principatum et post relatum de Lothario Rege Romanorum triumphum, in tyrannidem et insolentiam versus, nepotibus suis, filiis fratrum suorum intolerabilis esse coepit. Et primum quidem in Conradum filium Lutholdi fratris Odalrici captivans, eum in vincula in castro Wissogradensi coniecit. Paulo vero post et in Sobieslaum atque Bretislaum fratres germanos filios Conradi senioris fratris quondam Wratislai primi Regis Bohemiae, cum nec verbo etiam inclementiori nec facto in eum deliquissent, sola suspicione reos, manum extendit, et utrosque captos, ambos captivitati in castro Domie includit

Polonorum Dux Bolislaus cum notabilibus nuncijs ex regno Daciae ad eum transmissis, apud Vuerlen magnificum tenuit conventum, ubi Pyeslaum seditionis et furta agentem combussit, et filiam Regis Dacorum per Barones Daciae cum magnifica dote adductam filio suo accepit in uxorem, nuptiasque sumptibus profusis celebravit, Baronesque et Nuntios Daciae, qui virginem ipsam attulerant, donis plurimis muneratos Daciam remisit

Grauem hostem et adversarium suum Roscislaum Premisliensem Ducem, a quo saepius lacessitus et invasus erat, Vuladimirus Dux de Swinnygrod non ferens, in Ungaros cum uxore et familijs transijt, Ungarorum solatia contra fratrem Roscislaum, qualibet arte et ingenio quaesiturus.

Obeunte Balduino Crusuicensi Episcopo Swidgerus primus in Pontificatu Crusuicensi succedit, vir generis Almanici, suavium morum, comes et humanus ab Honorio Papa secundo provisus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS VICESIMUS. NONUS

Facinus suum Bolislaus Polonorum Dux quod in fratre naturali Sbigneo necando et Scarbimiro Palatino Cracoviensi excaecando admiserat, quamvis iuxta consilium et commissum Confessoris acta poenitentia expiasset, Pontifices quoque, Abbates, Monachi, et Sacerdotes in universis fere Regni sui Collegijs hostias et obsecrationes pro sui expiatione frequentius obtulissent, ampliori tamen poenitentia divinam clementiam placaturus, peregrinationem versus Monasterium Sancti Aegidij in Gallias assumit. Sancti quidem Egidij ex matre sterili se memorans meritis productum, illius etiam suffragio reatus suos quam maxime confidebat deleri. Et quo poenitentia sua atque peregrinatio voluntarie assumpta magis efficeret divinitatem propitiam et placatam, Quadragesimale omne tempus in magna abstinentia, varissime cibos gustans, in pane et aqua ieiunans, cilicio quoque carnem affligens, Summomodo quoque cilicio tectus, somno pressus, quietem acturus, in cinere se volutans, in largiendis quoque eleemosinis, in alendis pauperibus, in abluendis peregrinorum et miserorum pedibus, in orationibus, in vigilijs, adeo ut tam dura sua poenitentia plurimis esset in admirationem, absumpsit. Privato deinde habitu ne agnosci posset indutus, Sa cerdotibus vero et clericis, et aliquibus Laicis timoratis pro comitibus suis ubi timeret, cuius pauci ex Baronibus essent conscii, assumptis, in Franciam post festum Paschae, Sanctum Egidium patronum et alumnum suum aditurus, perrexit. Sed nec in peregrinatione huiusmodi de austeritate quicquam remisit, quin abstinentiam semel coeptam continuans etiam aliquid illi superaddere studebat. Nam et singulis diebus de hospicio egressus, horas maiores Canonicas, et horas beatae Virginis minores, deinde Psalmos Poenitentiales, frequentius etiam vigilias defunctorum adiungens, pedibus nudatis devotius psallebat, nec prius calceis usus est, donec universum officium horarum praedictarum explevisset. Ingenti quoque liberalitate in Deum, Ecclesias et pauperes usus, nullam Ecclesiam Cathedralem, Abbatialem, Collegiatam, aut Conventualem, cui donum in auro vel argento insigne non conferret, reliquit, nullum hospitale, nullum egenum sine consolatione munifica pertransiit. Cum vero ad Monasterium Sancti Egidii ventum esset, Abbas loci iam de eius adventu certificatus, processionis honore, quem sibi Dux noluisset deferri pertulit excepit. Cum vero Monasterii Ecclesiam ingressus ad locum tumuli Sancti Egidii cum magnarum lachrimarum effusione se prosterneret, gratiarum actionem in Sanctum Egidium, quod eius merito editus fuerat, quod eius suffragiis in multis proeliis victor evaserat, et tanto tempore vivens suum venerandum Sepulchrum adierat, celebravit. Quindecim tandem diebus in maxima devotione et abstinentia, ita ut monachos religione vinceret, in Monasterio Sancti Egidii magna charitate, abbate et fratribus eum tractantibus, demoratus, dona excellentia Sancto Egidio et Monasterio suo relinquens, eodem religionis, devotionis, et liberalitatis in redeundo quem in eundo praestiterat tenore servato, sospes Poloniam revenit, maximo gaudio, maximaque hilaritate ab Ecclesiasticis et saecularibus salvum illum voti compotem ex tam longinqua peregrinatione reversum esse, laetantibus, exceptus est.

Swantoslaus Kyoviensis Dux moritur. Cui frater suus Iaropolcus Peraslaviensium Dux in principatu Kioviensi succedit, Kyoviensibus ~~et~~ ultro pro illo nuntios mittentibus, et illum excipientibus cum gaudio et honore.

Nascitur Wladislao primogenito Boleslai Polonorum Duci cuj ex Cristina Ducissa filius, qui Mieczslaus nomen sortitus etiam Laszhonogi ob gracilitatem tibiarum cognominatur.

Septima die mensis May Simon Episcopus Plocensis dum annis uno et viginti sedisset, Capitis dolorem incurrens moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur. Cui aeque bonus vir Alexander natione Polonus genere nobilis de familia Dolunga per electionem Canonicam successit, instante et consentiente Boleslao Duce Polonorum et Monarcha, a Iacobo Gnesnensi Archiepiscopo confirmatus, ad sellam Plocensem consecratus. Meminit et huius Vincentina Cronica, et singulari illum laude efferens scribit Mazouiam consilijs esse fortem et venustissimam militiae flore et maiestate. Inter quos Alexandrum Plocensem Pontificem summa dignum admiratione duco, qui tam diuersis ac summis rebus sufficere potuit, idem agnus et leo, idem lupus et Dux gregis, idem praesul et miles, simul armatus et deuotus, et inter ingentes armorum excubias, nihil quod suum est deuotionis neglexerit. Magnus quidem Alexander Macedo in praelijs, sed in diuinis maior Plocensis Episcopus Alexander obsequijs. Nam ut extructas ab eo Basilicas cuiuslibet inuidia silentio sepeliat, indeuotus enim quo pacto estimabitur, qui tam conspicuum beatae virginis templum a primis initiat fundamentis et consumat, quod non solum intrinsecus et spiritualibus locupletat studijs, sed etiam armis communit materialibus necessarijs undique septum praesidijs

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS TRICESIMVS

Peregrinatione Sancti Egidij in Gallijs votiue obita, in aliam rursum Boleslaus Polonorum Dux, scelus suum maiori qua poterat poenitentia, et superiori fatiga aliam rursum adiecturus, se conuertit, et ad sepulchrum beati Stephani Vngariae Regis, cuius corpus in oppido Albae regalis, Dioecesis Vesprimiensis requiescit, pedestri itinere iter perrexit, Quem ad huiusmodi peregrinationem pergentem longus Ecclesiasticorum et militarium de regno Poloniae ordo sequebatur, at haec et comeatus et Ducalis suppellex in quadrigis et curruchonibus ducebatur. Non enim ille sub habitu dissimulato ut priorem sed notus

Dux Boleslaus peregrinationem huiusmodi peragebat. Stephanus autem Ungariae Rex et socerum et rarum hospitem honoraturus, plures milites familiares et curienses suos, qui Ducem Boleslaum et hospitijs cum suis omnibus exciperent, et omnibus necessarijs abunde tractarent, Ipse quoque Stephanus Rex ad Budam occurrit, et magno honore socerum suscipiens, in Albam Regalem usque perduxit, et pluribus donis se et socero dignis Boleslaum Ducem et comites sui itineris munerans, etiam qui redeuntem ijsdem officijs prosequerentur, in frequenti numero adiunxit. Boleslaus autem Polonorum Dux corpore sacro viso, et adorato, et Ecclesiae Albaeregalis caeterisque Ecclesijs Cathedralibus, collegiatis et conventualibus, per quas illum transitum facere contigerat, divitibus et munificis donis largitis, in Poloniam regrediebatur, Pontificibus et Baronibus Ungariae certatim eum divertere, per multas preces urgentibus, in sua domicilia atque loca. Quorum petitionis repudiatum iri turpe putans, et in eorum aedes descendens affligebatur, in peregrinatione pro maceratione et afflictione carnis suscepta, se splendide curari, cum in procurando eo Pontifices et Barones Ungariae vario officio et aemulatione certavissent. In Cracoviam tandem reversus, quamvis defatigatus et anhelans, Gnesnam rursum ad limina beati Adalberti Martyris et Pontificis gloriosi, patroni quoque regni sui honoraturus et visitaturusque limina contendit. Et quanto urbi Gnesnensi propinquior erat, tanto nudo pede iter faciendo maiori se devotione et afflictione frequentibus etiam fletibus rigans ora obstringebat. Quo cum pervenisset, multis diebus ad sepulchrum Sancti Dei Adalberti devotioni singulari intentus dimitti sibi scelus suum prostratus cum lachrimarum profluvio precabatur. Octuaginta deinde marcis auri purissimi, lapidibus insuper et gemmis rari pretij varaque quantitatis pro fabricando Sarcophago pro corpore sacro oblatis, Pontificibus quoque, Canonicis, et Ecclesiasticis personis, Baronibus, militibus, et singulis, qui una secum tunc erant de nobili indumento vestitis omnibus quoque Ecclesiae Gnesnensis ministris, ita ut nec Sanctuarios negligeret, donatis, inde discessit.

Sobieslaus Bohemiae Dux plures Bohemiae Barones et praesertim de cognatione Vrszowicensium, quosdam etiam familiares et caros suos et curienses, de nece sibi ex subordinatione Bretislai nepotis sui filii Conradi quem ceperat et captivum tenebat, inferenda, insimulatos, vario mortis et poenarum genere consumit. Et Bretislaum Ducem et nepotem miserabiliter excaecat, adeo insuper insimulatio ipsa in plures producta fuerat, ut etiam Menardum Pragensem Episcopum et nonnullos Ecclesiasticos contingeret

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS TRIGESIMVS PRIMVS

Primogenitus Boleslai Ducis Polonorum Boleslaus ex Almara susceptus, cum ex continua aegrotatione debilior sensim efficeretur, tandem morbo ingravescente mortuus, magno Boleslaum parentem luctu et dolore confecit. Sed cum Ducissa Boleslai, filia Regis Romanorum anno eodem alterum filium produxisset, cui in baptismate paterno iussu Mieczslaus nomen datum fuit, dolor parentum levigatus est. In tantum autem Mieczslaus infans cum natus prudentiam industriamque successu temporis evaserat ut omnibus, compositos eius mores, modestiamque et sapientiam, in aetate nondum matura relucentem, mirantibus, cognomen Senis a maturitate inditum sortiretur.

Stephanus Vngariae Rex et Boleslai Polonorum Ducis gener, filius Colomani, cum annis decem et octo mensibus quinque Vngariae regnum tenuisset, moritur, et in Varadino sepelitur. In cuius locum Vngari filiis Stephani iusto Dei iudicio, cum annis eorum Colomanus in aetatem infantilem deliquisset, contemptis et neglectis, Belam caecum filium Almi, quem Colomanus Rex successurum neglectis suis filiis et nepotibus veritus, de gremio materno dum adhuc infans esset ereptum excaecaverat, in Regem assumunt et in Albam regalem deducunt quarto to Calendarum Maij coronant. Hic procedente tempore cum ex Helena filia Imperatoris Constantinopolitani quatuor filios videlicet Geyszam, Vladislaum, Stephanum, et Almum suscepisset, instigante uxore sexaginta octo barones et nobiles, qui suae caecationis suggestionem dedisse ferebantur, et consensum, capite damnavit, et progeniem eorum exterminari praecepit. Bona vero Ecclesijs Cathedralibus distribuit

Honorius Papa Secundus cum annis quinque mensibus duobus, diebus tribus sedisset moritur, et in Ecclesia Sancti Joannis de Laterano, quae et Constantiniana vocatur, honorifice tumulatur, Post cuius mortem grandis in Ecclesia Dei turbatio propter discordem Cardinalium electionem sequuta est. Maior enim et sanior pars Innocentium secundum natione Romanum ex patre Joanne, pro vero summo Pontifice elegit. Minore parte Petrum Leonis, qui se Anacletum vocari iussit eligente. Cum autem Petrus Leonis potentior esset, cum et Romanorum maior pars et Rogerus Siciliae Dux partes suas promoveret, Innocentius cum suis Cardinalibus in domibus Frangepanensium in Collisaeo se, tyrannidem Petri evasurus abscondit. Verum cum tyrannidis Petri dietim cresceret, Petrus quoque ipse Ecclesiam Sancti Petri crucifixo aureo et xii coronis reliquoque thesauro, et ceteras urbis Ecclesias spoliasset, thesauroque ipso multos Romanorum corrupisset, veritus Innocentius, ne ab eo, invalescente potentia, caperetur, in Franciam cum Cardinalibus in duabus galeris per mare transijt, ubi partem Petri Leonis in Claromonte et Remis concilio congregato damnat. Et Lotharius Romanorum Rex de suffragio sibi ferendo requisitus illud devote obtulit se praestiturum, De quo Papam Innocentium per solennes nuntios videlicet Conradum Vuanurngem, Chibertum Monasteriensem Episcopos certificat

ANNVS DOMINI MILESIMVS CENTESIMVS TRICESIMVS SECVNDVS

Filij Stephani Vngariae Regis a successione Vngariae Regni, Bela caeco coronato exclusi, et ne extremum aliquod pati cogerentur, pavore constricti, cum matre eorum Judittha filia

Bolesla

Boleslai Polonorum Ducis, et nonnullis Vngaris partem eorum sequentes, ad auum suum Boleslaum in Poloniam veniunt, vitam, ne eriperetur, servaturi. Quorum pupillari conditioni Boleslaus Polonorum Dux consulturus et pupillos in Regnum paternum reducturus, expeditionem in Vngariam parat, eo quidem facilius quanto nulla suberat vicinae hostilitatis in dominia sua suspitio. Verum credulitati suae dispar effectus respondit, potentiam enim suam Bela Vngariae Rex veritus, cum Soborslao Bohemiae Duce foedus contra Boleslaum Poloniae Ducem init, quod a Soborslao et Bohemis eo minus cunctanter ictum est, quanto magis ad bellum Poloniae inferendum procliues erant. Horum omnium quae contra se gerebantur Boleslaus Polonorum Dux [illegible] ignarus, cum magnis copijs Vngariam ingreditur, et eam vastat, et perurit. Cui cum exercitus Vngaricus praesentia Alberti Marchionis Austriae, qui sororem Belae habebat, et suarum gentium adiutus, vastationem et exustionem Regni prohibiturus, a Bela Rege missus, in Sczepusz occurrisset, durum proelium conseritur, inter vtrosque, et Boleslaus Polonorum Dux victoriam licet non incruentam consequutus. Feruente deinde pugna, Vngarorum et Alemanorum res deteriori loco esse coepit, et his qui in primis ordinibus erant victis, reliqua multitudo cui Boleslaus Polonorum Dux parci iusset, sine vllo negotio in fugam acta est. Ad Budam Boleslaus Polonorum Dux exercitum suum ducturus iam pene medium iter exegerat, dum Soborslaus Bohemorum Dux, iuris hospitij, iuris quoque affinitatis, qua Boleslaum Poloniae Ducem contingebat oblitus, foederi cum Bela Vngariae Rege icto satisfacturus, Poloniae Regnum ingressus, illud in Vratislauiensi regione peruastat, depopulatur, et exurit. Quod nuntium ad Boleslaum in Vngariam perlatum, diu quid ageret, quoue gradum verteret, deliberabundum in ambiguo tenuit. Vicit tamen vicinior et vtilior causa, Polonis quoque omnibus salutis propriae quam alienae tueri conclamantibus, ex Vngaria reditum est, non sine filiorum Stephani Regis, qui et ipsi in castris iam tunc cum eo militabant, magna tristicia et moerore contra Sobeslaum Bohemiae Ducem directori via Ungarica relicta eundum erat. Sed agmen grave, longum etiam terrarum spacium emensum, tardius progressum, Sobeslao Bohemiae Duci spacium dedit ut se cum suis et praeda in Bohemiam reciperet.

Izaslao et Andrea Ducibus castrum Kyow cum gentium suarum robore obsidentibus, Jaropolcus Dux Kyoviensibus per tractatus et consiliarios communes pacificatur cum eis, et dat Andreae Perejaslaw, et Izaslao Swiantoslawicz dat Vladimiriam.

Produxit et hoc anno Ducissa Polonorum, consors Boleslai filium, qui in honorem et memoriam et avi Henrici et avunculi sui germani Henrici Imperatoris Romanorum Henricus primus est appellatus, eo quod in domo et genealogia Regum et Principum Poloniae id nomen primum tunc inditum est, ne stirpis Caesareae Henricorum penitus obliteraretur memoria.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMꝰ TRICESIMꝰ TERTIVS.

In bellum Bohemiae inferendum Boleslaum Polonorum Ducem, magno conatu, magnaque et iusta ira intentum, filii Stephani Ungariae Regis et nonnulli Barones, et nobiles Ungariae, qui Bela Rege deserto, ad filios Stephani Regis se contulerant, magnis precibus expugnatum fecerunt, ut et cum his gentibus quas contra Bohemiam paraverat, in Ungariam potius traiceret. Provinciaeque Vratislauiensi militibus ad opponendum resistentiam Bohemis relictis, ipse in Ungariam cum copiis ire pergit. In adventum suum multi ex Ungaris continue ad filios Stephani Regis Bela deserto deficiebant. Iamque parte filiorum Stephani continue crescente, Bela in castrum Vissegrad obsidionem toleraturus confugerat. Sobeslaus interim cum omnibus Bohemiae et Moraviae copiis Poloniam ingreditur, et Vuratislauienses milites im petum suum sustinere se non posse rati, in castra e campo delabuntur. Sobieslaus autem Bohemiae Dux, beneficia Boleslai Polonorum Ducis, quibus illum tunc exulem et calamitosum, fratris sui Wladislai Bohemiae Ducis conspectum fugientem obligaverat, facinoribus rependens, Monasteriis plerisque et Ecclesiis et trecentis et amplius villis in Slesiae et Wratislaviensi regione, una cum aedibus sacris incendio conflagratis, praeda etiam pecorum magna et spoliorum abducta in Bohemiam rediit. Tam foeda exustione terrarum suarum Boleslaus Polonorum Dux ad se perlata, bello Ungarico omisso, versus Moraviam transiit, et magna parte Moraviae ferro et continua flamma vastata, praedam etiam hominum captivorum et pecorum secum adduxit. Cuius autem discessu rebus filiorum Stephani Regis afflictis, et pene prostratis, solium Belae caeci Regis, partem suam divinitate iuvante prosperatum et stabilitum est. Nec addidit amplius Boleslaus Polonorum Dux ferre illis solatia, propriis bellis frequentibus occupatus, non solum etenim Sobieslai Bohemiae Ducis sed et Lotharii Romanorum Regis hostilitatem verebatur, Qui a Bela Ungariae caeco Rege per nuntios, quorum Petrus Albae regalis praepositus princeps erat, et per magni pretii munera sollicitatus assistentiam illi suam contra Boleslaum Poloniae Ducem et nepotes eius Stephani Regis Ungariae filios promiserat.

Decimo septimo Calendas Aprilis, Petrus Dacus Comes de Skrzyn fundat monasterium, et Ecclesiam quadro lapide fabricat ordinis Premonstratensis, in villa sua Strzelno, Crusviciensis Dioecesis. Cui quidem Monasterio praefatam villam suam Strzelno contulit, cum pluribus aliis in dotem in die Dedicationis Ecclesiae praefatae, quam sub praesentia Bernardi Episcopi Lubucensis et praefati Petri Comitis, Swidgerus Episcopus Cruswiciensis peregit, dedicando praefatam Ecclesiam Monasterii in honorem et titulum Sanctae Crucis et Sanctae Mariae virginis

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS TRICESIMVS QVARTVS

Duplicem regni sui Poloniae vastationem a Sobieslao Bohemiae Duce in multifariorum beneficiorum quae a Boleslao Polonorum Duce susceperat, vicissitudinem patratam, Boleslaus ipse Polonorum Dux molestissime ferens, omnium suarum terrarum potentijs congregatis, ascitis insuper plurimis de Russia solatijs, terram Bohemiae potenter ingreditur, et eam usque ad flumen Albeam vastat depopulatur, et exurit. Et quamuis Sobieslaus Bohemiae Dux frequenter nixus esset cum Boleslao decernere, et terrarum suarum vastationem exustionemque prohibere; vires tamen suas estimans, et cum hostilibus conferens, dum eas comperisset longe Polonorum viribus inferiores, in apertum et vniuersale prodire certamen, suorum certam subsequuturam cladem veritus, non ausus, Exercitum Boleslai Polonorum Ducis ex insidijs et inuijs locis pabulatores praesertim et eos qui a stationibus longius progrediebantur, lacessebat. Boleslaus vero Polonorum Dux et tunc et pluribus alijs vicibus ingenia Bohemorum expertus, sentiens quoque hostem de propinquo ad se offendendum succedere, explorate et cum magna in omnes partes cura, coacto agmine procedebat, incendium vicorum villarum et oppidorum quo ad longius poterat extendendo. Magna igitur parte Bohemiae depopulata et exusta, dum neque vastationibus agris neque incendijs tectis cum non villae solum sed frequentes quoque vici incendijs fumarent, Boleslaus Polonorum Dux Bohemos ad pugnam elicere posset, cum praeda et captiuis in Poloniam feliciter remeauit. Grauiter eam ignominiam et exustionem Sobieslaus Dux Bohemiae ferens, Bohemis et Morauis in quanto maiori numero poterat contractis, Polonico exercitu in diuersa loca abeunte et disperso, Poloniam ingressus agmine citato et torrenti nonnullos vicos et villas

Bohemicale

Bohemicali ora viciniores, et versus Odram porrectos tumultuario magis quam iusto bello, Boleslai enim reditum verebantur, vastarunt. Rex Boleslaus vastationem ipsam tam repentinam prohibere potuit, et militibus in sua data licentia dilapsis, et annum eum in Hyemem deduxit.

Ruthenorum interea Principes pluribus clandestinis conventibus, Jaropolco Vladimirowicz principe Kiyouiensi authore, celebratis, de excutiendo iugo, quo hactenus Boleslao et Polonis tenebantur astricti, frequentibus deliberationibus consultabant. Inter quos author repetendae libertatis Vladimirowicz princeps Jaropolcus in hunc modum disseruit. Grave inquit iugum quod hactenus pertulimus, quodque perpetuo in filijs et nepotibus nostris, nisi hoc tempore aliquid nobis prospectum sit, laturi sumus, magno nos et universum genus nostrum ignominiae cauterio oppressit. Cum ex ingenuis et liberis in servilem conditionem redacti, et tributa Polonis pendimus, et bella externa, cum Ungaris, cum Bohemis, periculo nostrorum capitum, procul a domo procul a patria, cogimur adire, et sub ductu et auspicijs alterius vitij Principij militare, non sine nostra irrisione et contemptu. Et si superiori tempore eam contumeliam metu ferre oportuit, ne Boleslai et Polonorum armis maioribus quam ante cladibus involuti pateremus, nunc Boleslao et Polonis, et Bohemico et Pannonico bello occupato, cum a tergo et a fronte gravis et potens urgeat hostis, ea nobis occasio, quam saepe venturam precabamur, successit, per quam si originis nostrae atque ingenuitatis reminisci volumus, facile iugum excutiemus, et in libertatem nos atque patriam nostram omneque genus nostrum vindicamus. Neque enim Boleslaum Polonorum Ducem ad tria simul bella gerenda sufficientem, credi fas est, si Ungarico et Bohemico bello nostrum tertium accesserit, postquam constiterit Ruthenos, per quos hactenus tam Bohemis quam Ungaris formidabilis fuit, sibi rebellasse, et ex auxiliaribus hostes factos esse. Itaque me authore,

me Duce

me Dux, restitute nobis et liberis atque posteris vestris et universae patriae libertatem, ne nos qui in libertate geniti eramus, in servitute consenescere, et hanc ignominiosam sortem posteris nostris relinquere contingat. Hanc orationem cum facile omnes primores assensi fuissent, omnes concorditer in rebellionem opportuno tempore patefaciendam conspirant, et ne prodi intempestive posset, coniurarunt. Non tamen coniuratio ipsa tam sincere servata est, quin extemplo ad Boleslaum Polonorum Ducem eius universus tenor et ordo non perveniret. Nam ut sunt Ruthenorum fluxa ingenia facile perfluunt, et secretum inter eos perrarum est, quod castius servaretur. Movet ea novitas Boleslaum, et plurimam illi, ne tot bellis sub uno et eodem tempore implicitus, periculis subiaceret, curam excitavit. Consiliariisque celeriter accersitis quid agi in tam periculoso negotio placeret, perquisivit. Et variis varias sententias dantibus, a singulis tamen, Ruthenorum gliscens conspiratio nisi celeriter opprimeretur, ingens vulnus statui Reipublicae allaturam concludebatur. Erat inter alios Poloniae Barones Petrus Wlosczowicz de Skrzynsko, comes, in quo inter alios Ducales Consiliarios, vis animi consiliique supra ceteros vigebat. Is sententiam iussus dicere, frustra ramos et sarmenta ab arbore decurtanda aiebat, dum illi, stipite et radice non succisa, nec posse undas arescere, vivo et originali fonte defluente super flumen. Deinde subinferebat, cum provinciis Ruthenorum rebellionem meditantibus frustra bella suscipi, si rebellionis et conspirationis author et omnium malorum concitator Princeps Wladimirus primum oppressus non fuerit, tum enim omnium aliorum Ruthenorum molimina cessatura. Cui sententiae cum omnes fuissent assensi, Petrus ipse negotii conficiendi onus, in totum Boleslao Polonorum Principe illum multis laudibus impensius adiuvanti, suscepit. Ut autem negotium quod confecturus erat facilius procederet, et votivum consequeretur exitum, cali ditate et ingenio vafro opus erat. Itaque Petrus Vulosczowicz Comes de Xiansz paucis suis comitibus, et his, quae agere inerant, penitus ignaris, assumptis, ad Vuladimirum Principem, cum vultum et habitum gerens, qui tristem eum et aliquid passum signabat, accessit. A quo rerum causam itineris princeps Vuladimirus curiosius sciscitaretur, exulem se et Boleslai Polonorum Ducis frequentibus iniuriis et gravaminibus lacessitum, postremo in quid gravius in se consultum iri experiretur, voluntarium exilium elegisse et ad Principem cuius sibi et comitas et humanitas dudum nota esset, declinasse, precari, ut se suscipere et confovere non aspernetur. Gravisus fuit Jaropolcus Dux Russiae Petri Vulosczowicz adventus, gratus et Ruthenis, opportunoque tempore, quo destinatam rebellionem exequuturi erant, illum sibi velut divinitus missum asserebant accessisse. Suam quoque accessionem magnum rebus suis praestare debere adiumentum, Unde et rebellionem conceptam maturius se posse perficere praetendunt, Petri quoque Vulosczowicz exulis et Boleslai ac Polonorum hostis ductu et consilio se portendunt Boleslaum et Polonos superaturos. Saepius autem Petrus Vulosczowicz a suis familiaribus quaenam causa eum in exilium egerit, cum nullam ipsi nossent intercessisse, sciscitantibus, quietos eos et nullis amphibolis quaestionibus super hac re se impeti, atque sub taciturnitate et silentio eventum rei a se agendae operiri, et quoque dum opus facto esset confestim armati paratique existerent iussit. Opportuno deinde tempore dum Principem Vuladimirowicz paucis comitatum pransum sedisse conspexit, exploratis suis ut arma capessierent, Jaropolcum, dicto parentibus, atrium quo Vuladimirowicz Jaropolcus accumbebat, ingressus, hostem se pro hospite professus, Principem corripit, et resistere conantem humi sternit, constrictumque vinculis in Poloniam celerrimo cursu omnibus fluviis quorum sibi navigia ante praeviderat superatis transportat, et pro fatali et insigni munere Boleslao Polonorum Duci praesentat. A quo benigne et in consiliis et coram laudatus quod solus sui capitis periculo grande bellum a patria avertisset, multis etiam possessionibus atque muneribus pro tam insigni facinore nobilitatus est. Vuladimirewicz princeps captivatis caeteros Russiae principes et Barones pro dicta coniuratione, et nonnullis aliis qui causam coniurationi praestiterant castigatis, in fide continuit, et bellum magna iam ex parte ordiri coeptum dissolvit

Constat insuper Petrum praefatum Comitem Skrzinensem, ingentis animi et spiritus virum extitisse, et pro amplificanda exornandaque Polonorum regione raram et homini magnifico et liberali dignam industriasse curam, Qui dum duas amplas provincias Calisiensem videlicet et Crusviciensem suo regimini a Duce Poloniae Boleslao Crzywousty commissas administraret, et frequenter itinera de una in aliam perageret, longitudinem itineris, qua una distabat ab altera, mensus, in earum meditulio columna de saxo, quam etiam in praesens in Cimiterio Ecclesiae Parochialis in Konin cernimus, locari disposuit. Cui etiam ea metra insculpi iussit

De Calisz sic medium in Cruswicze fore punctum.
Iudicat ista viae formula iustitiae, quam fieri fecit
Petrus Comes palatinus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS TRICESIMVS QVINTVS

Maioribus copiis maiorique instructione et apparatu in bellum Bohemicum Boleslao Polonorum Duci ultum suas iniurias profecturo, literae et nuntii a Lothario Romanorum Rege afferuntur. Quibus Boleslaus ipse benigne commonebatur, quatenus bello Bohemico omisso, ad se venire personaliter non fastidiret. offerens se inter eum et Ducem Bohemiae Sobieslaum aequis conditionibus pacem compositurum. Lothario enim Romanorum Regi praedicto in Italiam ad res Ecclesiae turbatas ordinandas, et pro adeptione Imperialis coronae ituro, a Sobieslao Bohemiae Duce suggestum fuit, ut dissidium horrendi prius belli inter se et Polonos tolleret. neque enim modum se reperturum, quo Lothario Italiam proficiscenti debitum in gentibus subsidium mittere posset, bello vicino implicatus. Boleslaus autem Polonorum Dux Lothario Romanorum Regi suaeque favorabili invitationi, quoniam et id frequens Polonorum consilium probabat, gesturus morem, in comitiva notabili et insigni ad Lotharium Regem in Alemaniam in Bamberk transijt. Quo cum una et Sobieslaus Bohemiae Dux advenisset, pluribus diebus de pace inter Boleslaum Polonorum, et Sobieslaum Bohemiae Ducem reformanda, Lothario Rege mediante casso labore certatum est, neque pax aequis conditionibus, utroque Duce plus iusto suas estimante iniurias componi poterat. Ne tamen negocio infecto, et plus animis ex his quae utrinque in se iactaverant probris, irritatis, quam pacatis, discessio Ducum fieret. ipse quoque Lotharius Bohemicali subsidio frustraretur, prudenti ingenio usus, Boleslaum Polonorum Ducem instantijs et precibus multifarijs pervicit, ut bellum triennali Treuga, quoad ipse ex Italia rediret, suspenderet. In hanc itaque conditionem Boleslaus Polonorum Dux Romanorum Regis Lotharij desiderijs pertractus, sufferencias triennales authoritate Lotharij firmatas acceptat.

Petri Vulosczowicz Comitis Xiansz vafricies, quantam Rebus publicis Polonorum Vladimiro principe in dolo capto, tranquillitatem commoditatemque afferre visa est, tanto illas altiori deinde casu et praecipitio afflixit et pessumdedit, pro iure hospitij utriusque gentium, quod a Petro Comite de Xansz publico consilio inito fucatum violatumque erat, stante fortuna. Jaropolci namque Kyoviensis Ducis nepos Vuasilko calamitatem patrui levaturus et in libertatem illum restituturus, omnibus quos habere poterat thesauris congestis, dato precio, quod arbitratu Boleslai impositum fuerat, patris procurat redemptionem. Dum insuper aperta vi suas et patrij iniurias, ulcisci non posse cognoscerent, pari dolo, parique proditione, quo pater suus praecipitatus fuerat, usuris, Ungarum quendam, inter suos dignitate et genere praestantem ad peragendum facinus. quo minus suspicionibus de homine externae gentis esset, cum de quolibet Ruthenio aperta fraus deprehendi facile posset, magnis donationibus, maioribusque promissis prolicit et subornat. Pannonius itaque ille ad Boleslaum Ducem in Poloniam confugiens, multis se a Bela Ungarorum Rege pro eo quod partes impotum fuerat, filiorum olim Stephani Regis constantissime prosequebatur, turbatum iniuriis, ad extremum singulis bonis quae in Ungaria obtinebat exutum, et nisi fugam praeoccupasset neci destinatum mentitur, ad Boleslaum filiorum Stephani Regis gratia quorum se illi accederant, amicum et cultatorem, dum sibi ceteras regiones vicinas, propter potentiam Belae Ungariae Regis videret obstructas, venisse. Nullam fraudem, nullum dolum, in verbis suis Boleslaus Polonorum Dux suspicatus, cum actiones suae transactae, quibus Boleslao Duce rem filiorum Stephani in Ungaria prosequente partes eorum adiuverat, fidem dictis astruerent. Ungarum suscepit, verbisque suis virtutem et fidem sinceram inesse ratus, praestruit sibi Pannonius in parvis fidem apud Boleslaum Ducem, ea tamen calliditate, animo, et respectu, ut cum operaepretium videret, magna mercede illum fallat atque circumveniat. Itaque non solum ad gratiam benevolentiae, sed et ad convictum et secretorum arcana illum admittit, quoniam morum suorum vitia sub umbra eloquentiae et obsequendi promptitudine latentia, non facile poterant deprehendi. Urbem quoque illi Vuslicensem cum villis et possessionibus circumiacentibus, pro manutenendo statu suo liberaliter consignat, urbem ea tempestate populosam et famosam, cuius naturalem et inexpugnabilem situm fas est mirari, cum in medio amnis iam tunc latissimi et aliorum fluviorum decursione inflati, Nydae paludinosi et pene stagnantis in corona medium in saxo posita, ad omnes hostiles impetus facile perferendos arte natura uberrime videatur communita, existimante Boleslao Duce et proceribus Poloniae animo illum gerere, quod mollibus et mellifluis proh dolor labiis offerebat. Boleslao itaque Polonorum Duce in Almaniam ad Lotharium Romanorum Regem prout in superioribus monstravimus, reformandae pacis gratia divertente, Pannonius ille nullum aptius tempus ad fraudem conceptam exequendam provenire posse ratus, fraudem ipsam exequi ire pergit, quam tali ordine rursum resumat. Vulgat siquidem pro comperto se et ex literis et ex nuntiis accepisse, Ducis Russiae cum omnibus copiis suorum populorum patefacta rebellione consurrexisse, et conceptu gravi Poloniam crudeli caede et captivitate pervastare, proinde publico edicto, ut omnes nobiles et populares Wislicam vrbem locum tutum ex omnibus viciniis commigrent et illic fortunas atque res suas magis charas deponerent, imperat. Et quo imperium suum formidabilius sit, poenam adiicit, omnium, qui iussa detrectarent, bona, in confiscationem Ducalem cessura. Et hostili invasione et poenae comminatione singuli perculsi, sine cunctatione, ita enim imperabatur, iussa peragunt, et in Vislicensem vrbem in frequentissimo numero universa cis Nidam regio populosa, res etiam, pignora et quaeque chariora secum vehentes confluxerat. Dum autem Pannonius proditor omnia iuxta suum arbitrium vidisset, quae proditioni necessaria erant, comparata, ad Iaropolcum Principem et filium suum, quatenus ad Vislicensem civitatem, cum multitudine populi et fortunis plurimis prodendam, sexto Idus Februarij cum exercitu maiori quo poterit venire non negligat. Qui cum festinatione nimia Vislicam advenisset, nocturnali tempore singulis securiter quiescentibus, proditor Pannonius, portis silentio ita ut singulos falleret apertis, Vuladimirum Ducem cum filio et suis omnibus intromittit. Qui ingressus crudelissimam in omnes edens caedem, nec ulli deferens aetati conditioni vel sexui ingentem stragem facit, et paucis qui inter tumultum fuga in flumen evaserant, exceptis, singulos cives et incolas et eos qui illuc confluxerant, suam rabiem satiaturus, aut necat, aut captivat. Vrbeque despoliata et igne conflagrata, sine ulla resistentia aut adversitate in Russiam revertitur, praedam rerum, hominum,

et pecorum

et piorum sceleri videns, et sanguine Poloniae madens. Ita proditio partibus initijs quibus a Petro Vulostzowicz acta erat, ab Ungaris caepta, eosdem imo multo tristiores exitus habuit. [illegible] autem retributionem, prout spoponderat, Russiae Dux Jaropolcus proditori largitur, linguam primum praecidit, deinde utrumque oculum evellens, postremo ne seminis proditorij ulla relinqueretur propago, genitalibus castrat et enervat. Boleslaus Polonorum Dux clade et excidio ad se Wisliciensi perlata, plurimum indoluit, et fraudem ac dolum a Pannonio conventitam admirans, quem multis comprobatum operis et noxium sibi et regno Poloniae perniciosum et infestum, serius intellexit, natura Pannonijs parum fidei fore

ANNUS DOMINI MILLESIMꝰ CENTESIMꝰ TRICESIMUS SEXTUS

Caedem a Vulodomiro et Russiae Principe Jaropolko in Wisliciensis urbis proditione ejusdem patratam, digna vicissitudine Boleslaus Polonorum Dux ulturus, non ingenuos solum sed etiam populares et agrestes arma sumere iubens in Russiam fremens et furens ingreditur, Vuladimirovez Ducem et filium eius omni conatu pro commisso flagitio puniturus. Implacabilem autem, patrati conscientia facinoris eum exagitante, Boleslai Polonorum Ducis sentiens iram, castris et munitionibus quantumcunque fortibus relictis, in ultima terrarum Russiae abiens, in sylvis, nemoribus, paludinosis, et invijs locis delitescebat. Boleslaus suorum sanguini indignatione peremptorum parentaturus, caedem passim in omnes Ruthenos iubet exerceri. Itaque trucidatio multorum mortalium tunc sequuta est, et pubentibus caesis, etiam in impuberes et in [illegible] innoxia est saevitum, et plus caedis aliquanto ab ira, quam a iusto bello editum. Nemini enim placerent parci, nullum fas erat quantumcunque amplam redemptionem offerenti excipi, et in compensationem excidij Wisliciensis universa Vladimiriensis regio cum suis adiacentijs crudeli excidio fuit vastata, et conflagratione consumpta, et magna vis tam captivorum utriusque sexus quam pecoris in Poloniam reducta

Innocentius Papa Secundus, quadriennio in Galliis Petro Leonis Papatum Romae per vim occupante exacto, a Franciae et Angliae Regibus maximo honore habitus, Italiam comparatis omnibus quae ad obterendam tyrannidem Petri Leonis Antipapae credebantur, necessariis, ingreditur. Cui Lotharius Romanorum Rex in introitu Lombardiae cum Archiepiscopis et Episcopis occurrit, ipsumque usque Romam honorifice deducit. Potenti quoque exercitu Romam intrans Petro Leonis cuius conspectum fugiente Innocentium in sedem restituit, coronamque imperialem in ecclesia Sancti Salvatoris quae Constantiniana dicitur, quoniam ecclesia Sancti Petri a Petro Leonis praesidio superimposito occupata erat, ab eo suscepit, et omnibus Romanis qui partes Leonis Antipapae sequebantur, extirpatis, Rogero etiam victo et ab occupatione Siciliae depulso, pace Ecclesiae reddita, in Almaniam Imperator rediit. Ex Almania Lotharius Imperator Saxoniam divertens novam militiam in Italiam reducturus comparabat. Rursum Boleslaus Polonorum Dux apud Bamberk offendens plurimis illum et insignibus exenijs honoravit muneribus, quibus susceptis Lotharius Imperator illum requirebat, quatenus de Pomerania et Rugianorum terris, quae Boleslao Polonorum Duci parebant, sibi faceret omagium et redderet tributum, asserens terras ipsas Imperij esse. Verum Boleslao Polonorum Duce, Pomeraniae et Rugiae terras suas et Polonorum terras naturales et nunquam ad Imperium sed ad Poloniae Regnum pertinuisse demonstrante: Caesaris quievit impetitio

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS TRICESIMVS SEPTIMVS

Ruthenorum regione in ultionem excidij Visliciensis per Boleslaum Polonorum Ducem gravi diraque quassatione contrita, et afflicta, Russorum Principes et Primores velut furentes et insani, vehementi dolore de suae regionis desolatione torquentur. Frequenti deinde conventu apud Vladimiriam habito, quamvis omnium sententia ad bellum cum Boleslao et Polonis aperte vi gerendum inclinarent, Iaropolcus tamen Valadimirowicz Kyoviensis Dux et aevo et prudentia gravis, negat id bellum Ruthenis cedere in profectum, quod iusta acie Boleslao fuerit illatum. Itaque de bello cum Boleslao gerendo, si superiores esse velint, oportere innovationem. Nec Boleslaum et Polonos a se non nisi latenti et simulato dolo vinci posse. Desinerent itaque de bello cum Boleslao gerendo solliciti esse, et sibi munus circumveniendi Boleslaum, cum id magis suae quam aliorum proprietati conveniret, relinquerent. Ipsique suo quoties et quando iuberent, obedientes essent, omnibus operam suam navare enixius pollicentibus. Haliciensis Princeps Iaroslaus, eo quod cum scium non sensisset, sed singula quae apud se gererentur, Boleslao denunciaturum esse pro comperto habebant, e Principatu Haliciensi eiciunt, deturbant et expellunt. Qui eorum rabiem fugiens in Poloniam, nisi cum qua alibi diverteret habebat, confugit, et a Boleslao benigne susceptus, notabiles illi possessiones conferuntur ad manendum. Tempore posthac paululum procedente, Haliciensium primi dolis et fraudibus Principis Iaropolci sufficienter instructi et imbuti, ad Boleslaum in Poloniam veniunt, supplicant ut eis Ducem suum Iaroslaum ad suam regionem remittat, et quo suus reditus sit honorabilior atque conspectior, illum suis gentibus suique praesentia atque personaliter in Halicz reducat. Nihil hostile verendum censent, hostes timore Boleslai procul velut feras in sua cubilia refugisse; omnia tranquilla et parata apud Haliciensem Ducatum fore, magnas postremo gratias Boleslao Polonorum Duci depromunt, quod eorum Ducem exceperit, foverit, adiuverit, eamque gratiam suo Principi praestitam humilibus et devotis obsequiis repromittunt se pensaturos. Nondum Ruthenis Haliciensibus certo reddito responso, Ungarorum nonnulli nobiles et Proceres Haliciensibus confrontati, et vicini, qui et ipsi in fraudem, quae Boleslaum oppressura erat, conspiraverant, adveniunt, qui Haliciensium legationi dum conformia et sonora retulissent, ut cum Haliciensium Principe non cunctetur in Halicziam procedere, preces et supplicationes adiiciunt, se enim ad eius restitutionem confirmationemque oportunam cum omnibus suis copiis asserunt adventuros

Dolum et venenum, a Ruthenis et Ungaris, cum utrisque potentia Boleslai et eius virtus molesta et formidabilis esset, conflatum, minime Boleslaus perpendens, quippe qui caeteris virtutibus clarissimus, credulitatis erat vitio obnoxius, ut iis quae ad eum perferrent, facilius quam sat erat, quamque suae gravitati conveniret, crederet. Quo evenerat ut armis et potentia invictus, sola credulitate, et dolo, quo impetebatur non discusso, vinceretur. Hungaris et Ruthenis laudatis, quasi rem ingenuam peregissent, offert se et Ducem Jaroslaum restituturum, et secum una pro Duce constituto personaliter adventurum. Itaque, secundam utrorumque legationem ratus, versus Haliciam quasi feliciter epulaturus, cum insigni militum agmine, ducens secum Jaroslaum exulem contendit, et ad diem ei qua inter eum et Ruthenos convenerat, venit. Ungarorum primo catervae venientem dum excepissent, in tergum omnes et in trans posteriores acies dilabuntur. Quae res Boleslao Polonorum Duci iam praesaga mente malum superimpendens ominanti, extemplo suspecta esse coepit. Dum deinde sequentiores Haliciensium turmae, quae et ipsae simulata amicitia et subiectione longius obviam progressae, utroque Duce excepto, in eandem tergi et caudae partem, quam iam Ungari occupaverant, abiissent, apparere itaque sine tergiversatione Boleslaum et suam gentem in illas insidias pertractum esse, Boleslaus Polonorum Dux in ipso negocio consilium a virtute et fortuna capere avidus, Vszeboro Palatino Cracoviensi principe militiae accito, Suspicari me inquit Vszebori, eam suspicionem quae mea insedit mente. At Vszeboro quid suspicaretur scrupulosius percunctante, Non vides inquit omnes tam Hunnorum quam Ruthenorum turmas, quae nos consalutatum advenerunt, officio doloso peracto, in tergi et posteriora nostra divertisse, et locum illum eo proposito ex composito praeoccupasse, ut aliis turmis, quas extemplo omnino adversum nos venturas, a tergo et fronte conclusi, in ferarum et pecudum caedamur morem. Quae difficultas priusquam nos adstringat, compendium reor, et antequam fortior et geminatus hostis accedat, belli tentanda fortuna, virtuteque et dextris, via, qua hinc evadamus, paranda. Ubi deinde fallacem gentem alia agentem, alia simulantem, et neque numero se neque magnitudine parem, optimum factu ratus, in tam periculosa necessitate, quamlibet belli tentare fortunam, licet etiam numero inferior, suos tamen pro tempore magnifice ac breviter hortatus, manum cum hoste conserere prius, quam ab eo invaderetur, decrevit, monens suos, ut potius animam honeste profunderent, quam miserabilem captivitatem subirent. Necdum sermonem finierat, cum subito acies confortissimorum Ruthenorum, quam Jaropolcus Livouiensis Dux prospero cursu ducebat, apparuit. Itaque non diutius differre certamen, cum enim in conspectu hostis erat valens, paucos suos iterumque iterum ut se viros meminerint, et ne multitudini cervicem praeberent hortatus, licet undique circumfundentia illum urgerent pericula, ~~ceptus~~ fretus tamen in non modico animo et victoria avido, a memoria periculi quod de fronte et tergo imminebat alienatus, primus irruit in eum, qui a fronte veniebat, hostem, acerrimaque ea ala, quam sibi assumpserat, cum adiuvante, pugnat contra hostes, magnamque Ruthenorum caedem edit. Stratis deinde omnibus obviis et acie disrupta, quamvis et a tergo et a fronte se videbat urgeri, victoriam tamen sibi destinabat, omnia fortitudinis suae priora opera in ea dimicatione supergressus, nec fortuna tunc succubuit, sed dum illa volubilem agebat rotam, pro victoria adnitebatur, non permittens illam in generosum suum spiritum ius vendicare, et necessitati humanae conditionis, quam maximo et praecipuo patrocinio in tali casu utendum ducens, certissima desperatione in pugnam impulsus, urget hostes ubique strenuus, ne animam inultus profunderet. Pugnatur utrinque acriter, fortunaque in Polonos translatura videbatur, benignitate divina adiuvante victoriam. Atque certamine in longius extracto, quamvis Boleslaus Poloniae Dux ex omni parte circumventus, victor tamen potuisset evadere, sed et spei suae brevi effectus respondisset, nisi unus de principalioribus Boleslai Palatinus Bewo, cuius nomen conditionem et originem omnes Polonorum annales nescio qua suppressere negligentia, qui et posteriores ordines ducebat, metu territus acie et pugna deserta, fugiens, in parem fugae ignominiam maiorem Poloniae exercitus partem pugna remissa pertraxisset, victoriamque concessisset Pannoniis et Ruthenis, tum demum Boleslaus Polonorum

Dux se magis victum quam victorem gerere cepit, non tamen pugnam cum his qui illum comitabantur remisit. Verum dum plurima caede hostes ubique funderet, unus ab omnibus iam telis eminus, iam lanceis et gladiis cominus, multifarie peteretur, equus cui insidebat ingentibus vulneribus confectus corruens, pugnantem deposuit. Nec haud multum abfuit quin et ipse deprimeretur. Equo prolapso et ruente dum nus dominus hinc a tergo hinc a fronte hostium impetus sustineret, saluti fuit gregarius miles qui Ducem suum pedes pugnantem dum agnovisset, veritus ne cum dedecore totius patriae aut occumberet aut vivus in potestatem veniret hostilem, equo raptim desiliens, ut se fuga eriperet, in equum proprium inter volantia tela, inter vibratos cominus ensibus Principi, vita sua neglecta, anhelans, imposuit, et voce alta protestabatur, Cape inquit Princeps clarissime hunc equum, nondum fessum, et non tam tuae, quam nostrae et omnium consule saluti, ne morte aut captivitate tua casum hunc nobis funestiorem, hostibus dolosa et iniquissima arte nobiscum dimicantibus laetiorem feceris. Mihi quoque aut vivo aut mortuo gratiam referes, quem vides tuam salutem suae praeposuisse. Huius quoque dicti atque huius horae meminero, insuper enim aliquanto celser debet, quam ut tibi venienti in regnum tuum incolumi possit excedere. Miles ipse obscuro quidem genere ortus, ceterum multis fortibus actis, in eo quod tunc agebatur praelio, ipsa etiam fide in ultimo necessitatis articulo expressa, in primis specimen suum, animo quoque et ingenio aliquanto quam pro fortuna in qua natus fuerat insignior, quibuslibet nobilibus tunc ex praelio Duce suo deserto turpiter diffugientibus, praeferendus. Equo deinde a gregario milite praestito, conscenso, Dux inclytus, intelligens ad restituendam pugnam, nihil rationi, nihil manu aut ingenio administrari posse, maximis audentiae et fortitudinis suae in ea pugna editis, et etiam hostes in sui admirationem convertentibus operibus, salvus propitia divinitate, suis quamplurimis et strenuis militibus desideratis aut captis, in Poloniam revertens et tristis de suo et suorum casu advenit. Nec mora Baronici qui de praelio fugerat, quique plurimos in fugam pertraxerat, et fugae causa multis extiterat, tria donaria in praemium suae timiditatis et ignominiosae fugae transmittit videlicet leporis pelliceam, colum, et fusum, feminam eum in colo, leporem in pelliceo, et in fuso versatilem designans, quae illi graviori fuere, quam mors supplicio. Gravius secundum vires contorquent probra militiae, quam viri pernicis. His donariis miserandus homo receptis, cum eorum significationem nullo prodente facile cepisset, tanta mentis angustia illico tortus est, ut in proprii Oratorii campanili funi, gulae propriis manibus innexo, suspendio miserum spiritum excluserit. Vir alioquin ex generosa imaginum stirpe ortus, teterrimo illo suo piaculo nobilitatis suae decus, et in praesens et in futurum gravissime fuscavit, ut esset domui suae portentum sordidum, mortis quidem crudelissimae, sed iusto genere consumptus. Cuius tam horrendus e vita excessus, in his ipsis muneribus sibi missis intelligebatur inclusus, in colo patibulum, in pelle vero timorem et in lepore fugam spiritus exprimens. Gregarium vero militem qui et ipse de loco certaminis evaserat, pro beneficio sibi tunc praestito nobilitat locupletat et extollit, nobilitate et insignibus honoribus adornat, paremque claris viris facit, nec solum villis et possessionibus sed et officiis atque magistratus honore effert inter suos cum progenie sua celebrem, et insignem, ex obscuro et inopi clarum faciens, atque opulentum, honoribusque insignibus affecit virum, nobilitatem contulit, et gratiae suae pignora impartiuit. Ad redemptionem captivorum cum omnes etiam veterum Regum et Ducum Poloniae fuissent thesauri erogati et emuncti, non tamen plena omnium captivorum ex Polonis redemptio poterat provenire, quin plures et milites nobiles et alii equestris ordinis viri, in barbaros, aerario publico deficiente, in servitutem miserabilem venditi, vitam illic infamem morte etiam subsequente peregerunt. Anxiabatur autem ingentis spiritus vir Bolislaus Polonorum Dux super casu infausto, dolo Panonico et Ruthenico ac fortunae iniquitate sibi inflicto, graves dolores, et assiduas, graviora trahens suspiria, sentiebat punctiones, execrationes crebras in Palatinum suo scelere atque nexu suspensum ingeminans, qui sua fuga tot legionum Polonicalium cladem effecisset, turpe sibi existimans, tot rebus gestis, fortibus exercitibus devictis, tot claris victoriis de hostibus in triumphum relatis, a viro vafro et iniusta simulatis amicis magis quam de hostibus se acrius deceptum, quem visum esse, fortunae suae conditionem obiurgans, quae post plurima beneficia quibus illum extulerat, ad casum durum et indignum illum servarat, nunquam alias nisi in eo certamine fortunae commutationem expertum, quae praeclaris et splendidis suis gestis, quod fieri plerumque solet, infaustum casum miscuit, et magnarum laetarumque rerum cursum et ordinem, naturae

suae

sua servans conditionem confudit. Incertum eo fusus praelio relinquens, utrum in admiratione virtus an casus praepolluerit. Multisque fastidiis et angoribus nobilis ille et invictus fatigabatur animus, quod post septem et quadraginta victorias ex hoste relatas cladem illam quasi vulnus ultimum acceperat, fortunae moris constantiam, conditionemque parum pensans, quae Iulium Caesarem, quae Hectorem, quae Annibalem, quae Scipionem, frequentibus victoriis ultimo tandem discrimine damnavit

PRIUSQUAM triennales Treugae cum Sobeslao Bohemiae Duce per Lotharium Romanorum Imperatorem confectae, expirarent, communibus Baronibus tam Poloniae quam Bohemiae, agentibus de pace perpetua, inter Regna et Duces firmanda, tractatus haberi coepti sunt. Post quos utraque parte in pacem conspirante expedire visum est, ut Principes personalem agerent conventionem. Cui cum Cladzko oppidum consignatum fuisset, utroque Duce illuc adveniente, Boleslaus Polonorum Dux coram communibus Baronibus plurima se indigne a Sobeslao Bohemiae Duce pro multifariis in eum praestitis beneficiis passum, deduxit. Sobeslao vero Bohemiae Duce obiecta surgenti, et in Boleslaum Poloniae Ducem suas quoque iniurias iactanti, interpositione communium Baronum omnes veteres inimicitiae, contentiones, querelae, iniuriae, et aemulationes, damna quoque sinistre secuta inter illos sedantur, complanantur, et compensantur, et pax perpetua inter eos eorumque regna et dominia stabilitur. Affuit huic compositioni Wladislaus filius Boleslai Poloniae Ducis maior natu, qui in signum fidelis foederis filium Ducis Bohemiae Sobeslai Wenceslaum nomine de fonte levavit. In hanc pacem Boleslaum Poloniae Ducem, ideo tam facile constabat consensisse, ut ora Slesitica pacata, et bello Bohemico extincto, cumulatius contra Ruthenos bellum gerere potuisset, cladem apud illos et per illorum dolosam fraudem acceptam omnimodo et utique reparaturus. Cuius cum tantus pudor et verecundia, tantus dolor et amaritudo ceperat, ut et coetus et colloquia hominum vitando, maerori, de amissis et desideratis militibus solitarius delitescens, indulgeret, obstinatum agens silentium, et surdas ad omnia quae illi ab amicis ingerebantur solatia aures obturans, quae singula non pusillanimitatis aut deiectionis, sed ingentem altionum molem, ex feroci et vasto pectore erumpentis, apparebant esse indicia. Ex omni siquidem numero Regum et Principum Poloniae, nemo fuit illo pugnacior, sed nec pugnando prius quisquam

in eandem

in eam decus ipsum aequarent. Alij sua aetate Reges et Principes nitebant purpura ac satellitum turba, voluptati praecipue venandi aut ventris luxu, vel somni ignaviae, aut rei domesticae cura et auri congerie occupabantur, Boleslaus tantummodo armis et virtute pollebat, nauseam ratus, si quando bellum non repelleret, aut non inferret. Remissior batq; animus, quoties vel pugnandum vel bellandum erat. Interdiu alacris, vigiliae patiens, praelio strenuus, industriosus, consilio agilitate et exercitatione corporis nemini cedebat militum, audacia vero facile cunctos superabat

Lotharius quartus Imperator Romanorum dum undecim annos in imperio et Regno exegisset, et placide et benigne imperasset, in Italia quoque rebus prospere gestis, Italiam et Siciliam pacificasset, ex Italia descendens apud Tridentum ab aegritudine invasus, Autumni tempore, in castro suo Rotsburch moritur, et in Brunswich sepelitur, plenus fide et devotione: Cuius immatura mors tam Ecclesiasticis quam Saecularibus Principibus plurimum fuit execrabilis et molesta, credebant enim per suam probitatem et industriam res Imperij reflorescere et Imperium suum decus et gloriam resumpturum. Asserunt alij eum non in Brunswich sed in Luther Monasterio Saxoniae quod vivens construxerat sepultum, Actus quoque eius ut nulla aboleri possent oblivione in plumbeis laminis descripti iuxta illum reconduntur

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS TRICESIMUS OCTAVUS

Ducissa Polonorum et consors Boleslai Ducis iterum fecundata filium effudit, qui in Baptismate Cazimirus vocatus. Sed nec secunda filij nativitas angores Boleslai Ducis, quibus ultra iustum atque modum, pro clade apud Halicz accepta afflictabatur, et paene desperabat, poterat leniri, quin continue acerbiori se doloris verme pro charissimis suis militibus et qui ceciderant, et qui capti fuerant, roderet et consumeret, praesertim cum et asperitatem Senilem, et casum cladem que militum suorum et exhaustionem quoque aerarij Ducalis, non facile ut animo et cogitatione aestuabat cum posset congerere exercitum, cum quo posset de Pannonijs et Ruthenis debitam sumere ultionem.

Adnarunt

Aduacans ex morte Lotharij imperium, per Principum Electorum concordem apud Confluentiam celebrato, in quadragesimae medio, Conradus secundus Dux Sueviae electus est, nonagesimus tertius ab Augusto. Fuit autem Conradus ipse secundus respectu Imperatorum, sed tertius quantum ad Reges, nepos germanus ex sorore germana Henrici Imperatoris. In cuius etiam privatum dominium iure illo, dum Henricus Imperator nullos reliquisset filios successit. Secundum alios Octuagesimus quintus ab Augusto, qui etiam Lothario quarto de Romano imperio in principio regni contendebat. Electionem autem tam confirmatio Conradi Theodwinus Episcopus Cardinalis ab Innocentio Papa secundo in Confluentiam destinatus effecit. Qui mox ad Palatium Aquisgrani veniens a praedicto Cardinali Theodwino, nam Coloniensis Archiepiscopus qui id iure facere debuerat noviter inthronizatus pallio carebat, cooperantibus Maguntinensi et Treverensi et alijs Pontificibus in Regem ungitur. Et licet Henricus Saxoniae et Bavariae Dux gener Imperatoris Lotharij, propter potentiam et divitias quibus pollebat, resistentiam Conrado in Alemania Regno oppositurus crederetur, ab omnibus tamen desertus, a Conrado quoque Rege proscriptus et Ducatu Goslarensi privatus et supra hominum aestimationem humiliatus est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS TRICESIMVS NONVS

Boleslaus Polonorum Dux ex clade apud Haliez accepta spiritum gerens afflictum, generosus enim ille et semper alias vincere assuetus animus, fraudis et per fraudem relatae de se cladis iusto gravius ferebat contumeliam, adeoque anxiebatur, ut non aliquid iocunditatis aut solatij amicis ingerentibus admitteret, dum maerorem suadentibus amicis non inhiberet sed augeret, et ne in aegritudine quidem quicquam iocunditatis admitteret, sensim deficiens et tabescens gravem sibi consciscit languorem. Is cum a medicis depelli succorum virtute potuisset, Boleslao Duce quaelibet Antidota fastidiente, grassari coepit. Et propter unius spacio anni Boleslaus a morbo in grabato detentus, languore invalescente, cum se debiliorem in dies conspiceret, fatale munus soluturus, frequentem ad se Praelatorum et Baronum convocat ordinem, dissolutionemque sibi testatus imminere, rogat ut se mortuo unionem retinere conentur, et consensum, ne ex Schismate, Reipublicae interitus subsequatur et ruina. quinque enim relinquens filios, quod a plerisque, ut erat, Polonorum applicabatur infortunio, dissidium Regni brevi inter parituro ominantibus, inter tot Principes concordiam non posse fore diuturnam. Nec fefellit opinio, ut in subsequentibus narrabimus. Et ne inter filios pro Regno, se absumpto, suboriri bella, odia aut contentiones contingat, Poloniae Regnum, cuius ipse in eam diem unus fuit Princeps et Monarcha, in filios dividit. Et primogenito quidem Vladislao ex Ruthena suscepto Cracoviensem, Siradiensem, Lanciciensem, Slesiam, et Pomeraniam legat, decernens ut circa eum primogeniturae iure, senioritatis et principandi maior est primaria autoritas consistat, omnibus aliis fratribus sibi parere et intendere iussis, asserens in Polonorum regno nisi unus fuerit ad quem totius semper cura referatur universa, ruinatum et solutum iri. Boleslao Crispo Mazoviensem, Dobrzinensem, Cuiaviensem, et Culmensem, Mieczslauo seni Gnesnensem, Posnaniensem, et Calisiensem, Henrico primo Sendomiriensem, Lublinensem, terras, districtusque et regiones. Restabat quintus filius Casimirus anno superiori genitus infantulus, et cunas adhuc observans, cui cum omnibus terris et provinciis ~~inter~~ inter quatuor filios distributis nullam sortem reliquisset, oblivione sive illum aut morbo neglectum fecisse, omnibus, qui ordinationi ipsi aderant, autumantibus, nomen et memoriam quinti filii Casimiri parvuli suggesserunt, monentesque, ut et illi velut teneriori aliquam inter fratres portionem relinquat, respondit, eandem inquit suam sortem delegavi, admirantibus cunctis et quaenam quinta sors esset, scrupulose inter se sciscitantibus, Non advertitis inquit inter quatuor rotas sedem quintam quae in Polonia Wasząg appellatur consistere, et in medio positam partem nobiliorem et appellationem a natura partium denominatam usurpasse, sic et illi infanti media inter quatuor tetrarchas fratres delegata successio, plus venerationis et amplitudinis quam aliqua illarum habitura, proinde desinite de pupillo isto et de meo inofficioso testamento esse solliciti, quoniam eam curam convenit tutoribus eius relinqui. Nonnullos ex filiis, praesentia quadam animi tenens quemadmodum in opinione sua falsus non est, non fore diuturnos. Id sive inspiratus, sive ut fit, in mortis articulo, a ratione alienatus senserit, sive ut maiorem divisionem scissuramque Regni abhorrens decreverit. Sane liquido patet, neque nostro decidetur iudicio salutem. Deinde sumpto viatico Dux Illustrissimus et suae patriae amator defensorque acerrimus, dum functus est, aegritudine potius animi et angore quam corporali extinctus, cum ad annum circiter sexagesimum vixisset. Mansuetudinisque et clementiae tum maximae gloriam existimationemque assequutus. Quem e vita excedentem universa gens Polonica longo luxit tempore. Corpus eius in Plocensem urbem relatum, in Plocensi Ecclesia iusto honore sepultum et cineribus paternis sociatum est. Mortuus est autem anno Regni sui tricesimo sexto, aetatis vero quinquagesimo quarto. Quem sola afflictio et maerore super caede suorum et clade ad Halicz in dolo sequuta, mortem tam immaturam et fati diem, pro comperto habitum est magis properasse quam solvisse; naturalis vita sua in multo longius tempus potuisset extendi. Natura strenuus et ferox, frequenter opportunitatem bella movendi, in quibus magnitudinem animi exerceret, affectabat, ab adolescentia bellis exercitatus, nullo unquam bellorum defatigatus genere, in suscipiendis et adeundis periculis studiosus, ad captandum honoris et gloriae magnitudinem cupidus, in tolerandis supra vires corporis laboribus patiens, corporis habitudine fuscus et mediocris, nimium confidenter relationibus tribuens, facilitate credendi levem se plerumque et incautum magis quam prudentem monstrabat, ad iram et gratiam exiguo porrectus, facile et surcentibus edolere, et ad obiurgandum succensendum, puniendum, hilaritate vero redeunte eodem tenore ad praemia movebatur, ad opera Martialia ab adolescentia pronus, corpore robustus, brachio validus, ad dimicandum ardens, in certaminibus acer et strenuus, vividus et vegetus corpore, natura vir ad remunerandum pronus et ardens, in largitione profundus, animo magnus. eo solo agere et credibile omne ducebat, quicquid ad illum afferebatur, pro vero, quodque illius tam bellica facinora quam frequentes pugnae declarant, animosus et strenuus, in ceteris vero sicut ad omnibus civilis et benignus. In ipsa autem fatali et moriendi die, militumque quorum frequens confluxerat numerus, celebrabatur, efferebaturque sermonibus, neminem eo bellicosiorem, neminem fortiorem, ad Martialia edenda opera promptiorem apud Polonos extitisse, neminem tot victoriarum numerum reliquisse. Quadragies enim et septies publica acie cum hostibus pro patria pugnasse, totidemque trophaea constabat illum retulisse. Appellabatur autem Krzywousty in vulgari Polonico, quod significat indirecti oris. Morbus enim Antrax in adolescentia proportionem vultus eius sua vexatione distorminans, oris curvitatem, a qua cognomen sortitus est, illi induxerat. Frequentius quoque cum hoste confligens, nunquam adversam, nisi semel cum deceptus est, expertus fortunam, maxima et honestissima aggressus et consequutus facinora. Iste Princeps Boleslaus pluribus villis et libertatibus donisque Monasterium Szeczechowiense ordinis Sancti Benedicti supra Wislam situm, sua liberalitate insignivit, propter quod in eodem Monasterio specialis illi quotannis innovatur anniversarius et memoria

Filij Olech Ducis Russiae Polowczorum quaesitis et obtentis solatijs terras Russiae hostiliter ingressi, circa flumen Szula exurunt oppida et villas, deinde in Perraslaw progressi caedes et multa mala committunt, et Usow exusto deseviunt, in Szupon. Contra quos Iaropolcus Dux Kijoviensis cum fratribus suis filijs Vladimiri egressus dimicat cum illis et multis utrinque cadentibus vincuntur filij Olech, et Polowczowie diffugiunt, quos Rutheni persequendo caedunt, et captivant. Et dum ex persequutione in certaminis locum redirent ab Olsowiczis invaduntur et caeduntur, Iaropolcus quoque Kijoviensis Dux et nepos suus Vasilko Dux cum pluribus Boiarijs captivatur, Iaropolcus autem captivitatem evadens in Kijoviam diffugit. Quam cum Olsowicze obsidione cinxissent, Iaropolcus Dux etsi magnum ex novo exercitum congregasset, noluit dimicare, sed aequis conditionibus pacificatus est cum Olsowiczis

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

INCIPIT LIBER QVINTVS

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS

Lugubris et maeroris Boleslai Polonorum Ducis e vita excessus, qui cum bello, ferro, et armis hostilibus consumi non poterat, dolore et maerore nimio tabefactus et consumptus est, diu Polonos, ne ad substituendum alterum Ducem, et ad providendum de Republica forma, ordine, et statu, procederent, tenuit. Mortui enim Principis desiderio adeo habebantur constricti, ut cuiuslibet alterius, illo sibi sub quo tam insignes, pavendi et gloriosi evaserant, sublato, principatum fastidirent. Accedebat altera non dispar pernicies Regni Poloniae in quatuor sequuta divisio, quam velut quandam pestem civilem collisionis proclivem quandoque exituram, et in civile malum recasuram, haud casso augurio perhorrebant. Ex regni Poloniae divisione se quoque ad interitum necessitate quadam pertrahendos ominati, cum omni divisioni cupiens interitum quoque capere necesse sit. Postquam deinde Rerumpublicarum vacillatio Principibus diversa sentientibus diversaque iubentibus oriri caepit, et Principes quatuor filii Boleslai iuxta paternam ordinationem ad Ducatus et terras eis designatas se admitti flagitarent, fit apud Cracoviam omnium terrarum generalis conventus, ubi post varios tractatus et deliberationes Vuladislaus primogenitus et natu maior Boleslao patri in Monarchia, omnium Praelatorum et Baronum Poloniae consensu, succedit, frequentique et fratrum, Principum, et Praelatorum atque Baronum assensu et ordinatione decernitur, ut circa Vuladislaum primaevitas et superioritas remaneat, ipse quoque caeteris fratribus videlicet Boleslao, Mieczslao, et Henrico parentibus imperitet, bella conformiter et ex aequo gerant, assumendique ea circa Vuladislaum authoritas consistat, caeteris non inferendi sed repellendi potestas permissa. His taliter ordinatis, tribus Principibus in suas sortes, Boleslao Crispo in Mazoviam, Mieczslao Seni in Posnaniam, Henrico primo in Sendomiriam secedentibus, Vuladislaus Dux et Monarcha in Cracovia relictus est, et illuc stando alios suos Principatus et dominia Regni sublimiter disponebat. Apud illum quoque Casimirus infans et glentus Dux relictus est. Sibique illius cura tam a caeteris fratribus Ducibus quam universis Poloniae Satrapis et Consiliarijs mandata. In hunc modum corpus Poloniae in plures partes scissum, discordantibus processu temporis Ducibus Polonia arma contra se ipsam sumpsit, ferrum quoque quod in hostes versura erat, in propria viscera convertit, et furentium instar iras concepit, gladios corripuit, corpus suum ac membra civili bello mutilatura, tuncque Regni Poloniae decus et fortitudo quae in partium consistebat integritate praecipitata sunt, regno quadrifarie scisso, et in monstruosam divisionem partito

Cum illis temporibus Cisterciensis ordo floridus et celebris haberetur, nobilis de domo Griffonum videlicet Joannes, aliâs Janek, vir venerabilis, primum quidem Vratislaviensis Episcopus, deinde Gnesnensis Archiepiscopus cum germano suo Clemente eius devotione attracti in praedio suo Brzesnicza vocato in Cracoviensi Dioecesi Monasterium Cisterciense erigunt, et oppidum Andrzeiow et septem villas videlicet Brzeznicza, Kalussyno, Sokoli, Lissalowo, Lanczno, Karsowo, Tharsczawa, Chorzowa, pro fratrum sustentatione in dotem illi perpetuo largiuntur. Ex Morimundo Monasterio in Burgundia sito fratres accersiti, primum locum illum capiunt. Unde et a plerisque Monasterium Andrzeiowiense, eo quod a Morimundensibus generationem habuit, Morimundus vocatum est, Plantationem novellam praefati Andrzeiowiensis Monasterij Beatus Bernardus, qui in anno vicesimo secundo constitutus cum triginta qui propter perfectionem vitae regularis quam in suo ostenderat ingressi Monasterium Claravallis regebat, visurus Poloniam cum fratrum agmine proposuerat, fratres qui in Andrzeiowiensi Monasterio degebant visitaturus, et eos in observantia et rigore verbo et exemplo confirmaturus. Cum autem in huiuscemodi itinere constitutus Spiram venisset, humanissimum

Propositum eius et Monasterio ad quod ordinandum pergebat et Polonij profuturum, adversa et gravis valetudo damnavit. Ea enim correptus et eius malescentiam veritus, in Claramvallem ad Monasterium suum rediit. Fundatores autem et dotatores præfat. Andrzeiowien̄ Cænobij Joannes Gnesnensis Archiepiscopus, et Clemens miles ad nihil aliud præfatum Monasterium volunt esse obnoxium, nisi ut in signum factæ a se dotis oppidum Andrzeiowiense sibi suisque proximioris stirpis mactatorum pecorum et pecudum venderet de singulis salium vasis in oppido præfato vendentibus aliquot salis repræsentarent. Quod quidem tam leve tributum ex gratia fundatorum per Abbatem Andrzeiowiensem . . . . . . redimi et aboleri contingit

Sobieslaus Bohemiæ Dux pactum et fœdus quod cum Boleslao Polonorum Duce iuiurando obstrictum pepigerat prævaricatus, audiens Boleslaum Ducem Polonorum obijsse, et Poloniæ Regnum quadrifariam scissum esse, Regnum Poloniæ et Slesianam oram cum exercitu hostili invadit, depopulatur et vastat. Sed neque vastatione hostili contentus, cum Vladislaus Poloniæ Dux, cui ea ora obvenerat, iniuriæ opportunus videretur, in animum induit, ut oram Slezitiensem sibi faciat aut proprietariam aut feudalem, Propter quod in vico Koscian vocato undique paludinibus et lacubus septo, et naturali situ plurimum munito, oppidum et munitionem constituere, et illi suum præsidium imponere satagens, plures dies in opere molliendo consumit. Verum ultio divina quæ in quoslibet fœderum transgressores ferri solita est, cito illum percussit, nam febribus correptus cœpto absistere compulsus, et a suis ambitionem suam et fœdus prævaricatum carpentibus, Pragam reductus, invalescente febri, se decimo Calendas Marcij mortuus, et in Vuyschegradensi Ecclesia sepultus, tres filios Sobieslaum, Odalricum, et Venceslaum relinquens, successit tamen ei filijs non obstantibus Vladislaus filius Vladislai filij Vratislai in Bohemiæ Ducatu.

Decima die Februarij Jaropolcus Volodimirowicz Dux Kyoviensis

Kyouiensis moritur, et in Ecclesia Sancti Andreae sepelitur. Et licet Vieczislaus frater suus sedem Kyouiensem accepisset, Vszewolodo tamen Olsowicz in Kyow cum militia sua veniente, ne dimicare secum cogeretur, per medium Metropolitae pacificatur, et de Kyow excedit, et vadit in Thurow, Wsewoldus autem Kyouiensem in pace sortitus est principatum

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

Regni Poloniae quadrisectura, quam demonstravimus, scissura, haud multo tempore aequis animis poterat perferri, sed pene in ipso sui initio intestinorum bellorum excivit stridores. Vladislaus siquidem Polonorum Dux primogenitus, et natu maior, etsi inter fratres potiorem et magis insignem portionem Cracoviensem videlicet Ducatum accepisset, et tam patris, dum viveret, quam Praelatorum, Baronum, et Procerum Poloniae designationem, fratrum insuper consensu superioritatem et Monarchiam Regni certa cum consisteret, omnes tamen eos principatus et dominia, quae in fratrum sortem cesserant, detracta et erepta sibi ratus, multifariis angoribus anxietatibusque spiritum gestabat turbulentum et afflictum, frequentesque coram amicis suis suae ignominiae et spolii repetebat querelas, Animum autem Vladislai Ducis suapte sponte nimidi, ambitionis et livoris peste flagrantem et infectum, superbum et iracundum consortis suae Ducissae Cristinae filiae Imperatoris Henrici sermones contumeliis et improperiis referti, ad suscitandum ampliorem in facinus bilem inflammabant, Non mi sat inquit tam truncatam et tenuem quae tibi relicta est portionem, sed in totius Regni Poloniae spem unius filia Caesaris et alterius soror, sponsa aetate viridis tibi tradebar, potentiori et ditiori, nisi sacer progenitorum Caesarum fefellisset desponsanda. En ad quam vilem et miseram conditionem te marito redacta sum, satis prospicio, in ampliorem, nisi interea aliquid provideris, cum

prole

Proli ex te susceptae, redigenda. Ex eo siquidem Regno
in quo te meritum patris voluntas, et maior sanguinis splen-
dorque quod ex me natus es coniugium, Sacredem et Monar-
chiam offerunt, in quartam tantummodo partem es detrusus
Laceratoque tuo principatu et in tres alios fratres, quos ma-
gis tibi servire et tuo parere imperio, quam ex aequo prin-
cipari conveniebat, translato, non nisi semiprinceps mereris vo-
citari, tribus filiis in spem totius Regni Poloniae genitis, e-
xiguam sortem et obscuriores fasces atque titulos relaturis
Optabilius mihi fuisset fatis absumi quam in tam ignobile
connubium generis mei splendorem fulcratum prolapsam
esse. Expergiscere itaque, et tam foedam conditionem tibi
et proli tuae perpetuum dedecus inusturam dissolve, omnesque
principatus a fratribus occupatos repete, et tam tuae
quam meae praesenti ignominiae et futurae, si virum te cen-
ses, non foeminam, dum licet, consule. Quod si te com-
munis nostra non movet conditio, saltem moveat prolis
communis respectus, sortem miseram, nisi prospexeris,
subiturae. His et pluribus aliis muliebribus colloquiis sedu-
lo agitatus animus Vladislai Ducis stimulabatur, et tam ani-
mo quam vultu suis vocibus illum et frangi et torqueri ap-
parebat. Iisque quoque et aliis pluribus suggestionibus incen-
debat virum, donec ipsum affectu germanitatis evacuato,
in bellum contra fratres pelliceret, et suis suasionibus
ad scelestas dementiae tenebras praecipitaret, ut ani-
mo obtemperans suo, germanis excidium inferret, idque
quod detestabilius est, quem cavendos illos paterno testamen-
to non exsaturandos suspicat
Cracoviensium Antistes Radost decimanona Ia-
nuarii cum annis viginti quinque Cracoviensem Ecclesiam rexis-
set, cum demortuus esset, et in Ecclesia Cracoviensi sepultus,
Robertus seu Rupertus, secundum alios Ropertus Episcopus
Wratislaviensis in sedem Cracoviensem ab Innocentio Pa-
pa secundo translatus, per ordinationem Ducis Vladislai qui
et Cracoviensem et Wratislaviensem gerebat principatum, su-
esset, Ad Ecclesiam vero Wratislaviensem per huius modi trans-
lationem vacantem Magnus in Episcopum est promotus,
per Innocentium secundum promotus, Gnesnensis Custos Wra-

tislaviensis et Cracoviensis Canonicus, Ducalis Cancellarius, genere Polonus, nobilis de domo Zaramba

Secunda Idus Februarij Bela caecus Vngariae Rex cum annis novem mensibus XI regnasset, moritur, et in Alba regali sepelitur, et quatuor filios Geysam, Ladislaum, Stephanum et Almum relinquit. Cui maior natu Geysa in regno successit, biennio post mortem patris in Dominica Invocavit coronatus. Coniux autem Belae caeci Regis Helena filia Imperatoris Constantinopolitani, septuaginta Vngariae Barones, qui caecationem Belae procuraverant, capite damnavit, et bona eorum Ecclesijs distribuit. Etiam post mortem mariti, in caecationis suae autores et omnigenus eorum sanguinis, aut exilio aut bonorum confiscatione mulctavit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS

Ad occupandum germanorum suorum Boleslai, Miecislaui et Henrici sortes et principatus Vladislaus Polonorum Dux animum dietim intendens et grandescens, dum iam muliebribus suggestionibus incitatus ad executionem propositi sui procedere decrevisset, frequenti numero Praelatorum et Baronum in Cracoviam advocato, an cogitata per eum prosequenda sint, cum illis deliberat. Adhibita est ad id consilium, quo in votum Ducale Consiliariorum sententiae facilius irent, Ducissa Cristina, pleraque ad colorandum ambitionis fervorem calido ingenio proposita. Inter quae id unum praecipuum erat, expedire Reipublicae Polonae unum esse Principem, unum rectorem, unum Monarcham, divisionemque Principatuum inter fratres celebratam, pro subsistentia totius corporis rescindendam, et fratres non provincijs non principatibus, sed aliquibus oppidis et villagijs donandos, eosque non pares, sed subditos et obsequentes, Vladislao velut Monarchae a patre et universo Polonorum consilio designato, fieri oportere. Secus vexata, et corpore Regni Poloniae in plures partes scisso, et Poloniam perditum cursuri, et in praedam vicinis regionibus opportunum virtute debilitata contendebat exponi. Ad haec et Sbigneus fratris naturalis Boleslai Ducis Polonorum defuncti opera, quibus et in fratres et in totius Regni. crebro grassabatur perniciem, minuebantur. Nec eo animo et simplicitate Poloniam a mutua caede et collisione, vicinorumque hostium expugnatione; nisi salubri consilio depressisset futuram ruinam fuisse. His et pluribus aliis veritatis maestum et pene obstinatum silentium Consiliarios aliquamdiu tenuit, asserebatque iam tum illos in sententiam Ducis Vladislai et suae coniugis Ducissae Cristinae minime transituros. Requisitis deinde Consiliariorum sententiis primores omnes fere propositum Ducale detestabantur, impiumque asserebant et crudele et ab humanitate alienum, fratres de suis sedibus atque sortibus exturbari, iuraque gentium et instituta tam divinarum quam humanarum legum pessundari, et confundi, nihil sancti, nihil pensi, nihil iusti inter homines hoc exemplo relinqui. Nec eam rem impune cessuram, sed divinitatem, laedendo contra ius fasque parti prosperaturam. Causam Sbignei naturalis fratris nullo pacto his conformandam, cum ille ex pellice susceptus, hi iusta matrefamilias, sua quidem matertera et imperatoria sorore sint producti, nulli facinori eorum quibus Sbigneus detestandis erat, obnoxii. Orabant deinde Vladislaum Ducem, quatenus a tam exitiali crimine sibi et suis nocituro animum averteret, et germanitatis memoriam subire in pectus pateretur, horrendos eventus stirpisque suae domus et principatus eversionem, clades insuper quamplurimas et non subditorum solum suorum, sed et forensium execrationes et caeteras res suo nomini indignas si destinata effectui mandare ire pergeret, subiturus, plerosque alios ipsis cladibus involuturus. In hanc sententiam cum pene omnes Consiliarii pedibus iissent, Dux etiam Vladislaus illam secuturus sperabatur, nativa tamen feritas et uxoris amor et paucorum Consiliariorum respectus qui assentando magis quam consulendo incumbebant, in dictum eius propositum et labefactavit et pervicit. Itaque uxoris tam consiliis quam precibus et impressionibus expugnatus, in facinus diudum cogitatum consensurus, primum quidem ne tyrannides sua ab omnibus notaretur, subventionem et tributum ab omnibus principatibus qui in fratrum suorum trum suorum sortem afferant, iubet sibi velut Monarchae Polonorum persolvi. Mox deinde iubet sibi et nulli alteri per singulas regiones pareri, nam cum esset invidus et ambitiosus, uxoremque sortitus fastu arrogantiae tumidam et procacem, in rebus etiam ad se trahendis rapacem, ipsum quidem per vitium invidiae Regnum Poloniae decernit fratribus suis communicandum non debere, ex ambitione vero decernit fratres ipsos de terra exterminare. Uxor vero sua fastu tumens superbiae consortia et mores aspernata Polonorum, officiales etiam suos pincernas et Dapiferos ad mensam suam vetabat accedere, dicens sibi taedium ex eorum aspectu generari, eo quod anhelitu foeterent, et amictu inculti eius displicerent oculis, unde et viros suos dedignabatur fastidiebatque. Per avaritiam vero praetextu palliatae honorificentiae sibi non immerito exhibendae, populo terrae mandabat, ut in magnis festivitatibus pullos gallinarum, porcos, aves, ~~mell~~ mel, triticum, avenam quilibet pro sua possibilitate et facultate honorifice ad mensam Ducis liberaliter praesentaret. Quibus aliquot vicibus praesentatis decrevit ut haec in posterum ad fiscum annuatim persolvantur, et per hanc astutiam populi libertatem in debiti necessitatem et servitutem obnoxiam converteret. Rebelles et contumaces aut verbere, aut carcere, aut bonorum ademptione percelli. Et quoniam Polonorum proceres Nobilesque ad id facinus tute perpetrandum verebatur sibi parum fidos, ex Ruthenis cum et ipse matre Ruthena genitus sit, quosdam auxiliares accersit, eorumque ministerio occupationem bonorum fraternorum peragit. Eo quoque progressit incuria ut ex omnibus possessionibus fratres deturbaret.

Idem pene furor apud Bohemos qui et apud Polonos ea tempestate, sive id caelestium vis, sive ambitionis fames causabat erat, Bohemi siquidem principatum Vladislai Ducis sui propterea quod vegetior senibus erat, et quosdam eorum officiis summoverat, quibusdam vero frena licentiae adegerat, non ferentes, Conradum Marchionem Moraviae filium Leutoldi, filii Conradi fratris Vratislai primi Regis Bohemiae ad occupandum principatum Bohemiae vafro et doloso ingenio subornant. Conradus itaque Marchio Moraviae praedictus ferentibus sibi solatia et ipsum personis et gentibus suis adiuvantibus innitentibus Othone Olomuczensi Duce, Vuratislao filio Odolrici fratris dicti Conradi. Vuladislao filio Sobieslai filij Vuratislai primi Bohemiae Regis, Spitigneo et Leupoldo filijs Borzywoy filij Vuratislai primi Regis, qui et ipsi a suis sedibus et Ducatibus pulsi ad nouandum res quibus illis suus status reddi posset, animum intenderant, cum valido exercitu Bohemiam ingreditur, et illam caedibus, igne, et spolijs plurimum velut terram hostilem vexat et contorquet. Eam vastationem Dux Bohemiae Vuladislaus non ferens, in monte Vuysoka, septimo Calendas Maij cum nonnullis militibus qui partes suas sequebantur occurrens confligit, et caede magna et plusquam ciuili vtrinque edita, Vuladislaus succumbit, et in Pragam refugit, sed ne illo subsistere tutum ratus, ad Conradum Imperatorem, cuius sororem Gertrudem nomine in consortem habuerat, auxilia petiturus diuertit, Conradus interim Marchio Morauiae validiorem exercitum ad Pragam admouens, Pragam Theobaldo fratre germano Ducis Vuladislai ad tuendum ciuitatem Pragensem relicto, nequicquam resistente expugnat, et conquirit. Ecclesiamque Cathedralem et Monasterium Sancti Georgij pleraque alia loca Deo dicata et prophana incendit aut subuertit, magnaque caede et crudelitate in Ecclesiasticos et saculares vsus, Ducatum Bohemicum sortitur. A quo post paucos dies Conrado Imperatore genero suo Vuladislao personaliter ferente auxilium deiectus est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS TERCIVS

Glisscente indies Vuladislai Polonorum Ducis in fratres suos Boleslaum, Mieczslaum, et Henricum Duces saeua tyrannide, dum iam pluribus castris, ciuitatibus, oppidis, munitionibus, et possessionibus, a praefato Vuladislao Duce, quem suae pupillaris conditionis protectorem sperauerant, exuti forent, quid agant, quo se vertant, cuius opem implorent, resistant ne fratri Duci Vuladislao, an suos principatus occupari sinant, prorsus ignorant. In publicum quidem venire cum fratre certamen, et aetas inferior, et fratris Vuladislai potentia suis viribus longe superior, eos, consulentesque proceres prohibebat, veritos etiam ne in illos grauius quicquam Dux Vuladislaus irritatus consuleret, gerique rem armis et ferro inter fratres, nemini eorum, qui pro pupillis stabant, satis placebat. In misericordia itaque, et precibus omnem spem reponendam censebant, et orandum Vuladislaum Ducem, vt suae sorte contentus fratrem se ageret, non hostem. Primum tamen consortem suam Ducissam Cristinam, omnium eorum quae tunc agebantur commentatricem adire suadebant, eaque placata et virum ad pietatem flecti posse, muliebri vero ira non expugnata et maritum inexorabilem fore. Eo consilio primum Ducissa Cristina per pupillos supplicatum, prostratique tres Duces in feminae conspectu non tam vocibus quam fletibus et lamentis, per communem sanguinem qui illis et cum viro et secum esset, orabant quatenus principatibus et possessionibus quos pro suis sortibus et Polonorum more, et gentium iure, ipse etiam Vuladislao Duce factum ratum tunc habente acceperant, sinerentur quiete retinere. Ne quoque Dux Vuladislaus in eos amplius saeviret, et dominia eorum per scelus et nefas occuparet, atque iura sanguinis, aequitatis, et iustitiae, omni principatu atque Regno duceret potiora, plus ignominiae et dedecoris quam honoris, plus damni quam profectus, dispersis orphanis tandem habiturus. Non movit truculentam feminam neque iacentium ad pedes suos Ducum et Levirorum, fratrum etiam suorum respectus, non preces, non lacrima, non eiulatus, obstinato ad omnia haec pectore preces pupillorum repudians, Ducem Vuladislaum virum suum respondit iustam et necessariam rem egisse, neque ob id carpendum fore, cum status Reipublicae Polonorum nisi regno reunito servari et prosperari non possit. Se esse [illegible] eius, si et ipsi sapere possent, eundem exitialem, salubrius eos atque magis sensate acturos, si se et sua arbitrio et voluntati Ducis Vuladislai, velut natu maioris permitterent, rebellionem quamlibet et resistentiam in capita eorum, quicunque illis adhaererent, recasuram. Ita rigidiore Ducissa Cristina pupilli sua spe inventa, amariores discedunt, quae nec salubres admittens timoratiorum feminae consultationes, illam a proposito revocantes, nec Levirorum summissas preces, nec audire se quidem passa est nec leniri.

Aprilis mensis xij die Robertus Cracoviensis Episcopus biennio tantummodo postquam de Wratislaviensi in Cracoviensem Ecclesiam translatus fuit, in eius regiminis exordio moritur, et iusto honore in Ecclesia Cracoviensi, quam vivens decoraverat, conditur, Vir singularis probitatis, cuius optimarum virtutum fragrantia effecit, ut Cracoviensis Ecclesia hunc potius pro suo regimine postulatum deposceret, quam aliquem de suis legeret. Mattheus Roberto succedens ab Innocentio secundo Ecclesiae Cracoviensi praeficitur, Vuladislao Poloniae Duce eius substitutionem promovente, sumptuosus, prodigus, et in gulositatem praeceps, Ex Scholastico Stobnicensi, praefato Vuladislao Duce operante, cui in quadam necessitate subvenerat pecuniario subsidio

Firmato Principatu et solio suo Vuladislaus Bohemorum Dux et adversarijs suis, assistentia et robore Conradi Imperatoris Romanorum, soceri sui, ex Bohemia effugatis et devictis, Moraviam cum hostili exercitu ingressus, primum Conradi Marchionis Moraviae, deinde Ottonis provincias crudelibus flammis, spolijs, caedibus vastavit, ducensque gravia spolia et praedas, dum Marchiones Moraviae pugnam detrectassent, in Bohemiam revertitur, cum fere universam Moraviam deussisset

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS QVARTVS

Repudium procerum suorum Boleslaus, Mieszlaus, et Henricus Duces apud Ducissam Cristinam Vuladislai Polonorum Ducis et Monarchae, glotis suae, passi, ab omni spe retinendi sortes suas delabuntur. Iam enim Sandomirienses, Maioris Poloniae, Masoviae, Lublinensesque Barones, crescente indies Vuladislai odio in pupillos, spem potentioris adiuvandam rati, nonnulli vero largitionibus et promissis corrupti, orphanis desertis, ad Vuladislaum deficiebant. Duo tantummodo reperti, Petrus de Dacia, qui et Piotrhomagnus, et comes de Skrzin appellabatur, et Vussebonus Sendomiriensis Palatinus, qui libera fronte pro pupillis starent, causamque eorum quoad poterant, tutarentur. Et Vusseborius quidem armis et ferro rem gerens, etiam in quibusdam particularibus certaminibus superior evadebat, spemque Vuladislai improbam retardabat. Comes vero Skrzinnensis Petrus Swantoslai filius divitijs et potentia caeterisque viris generis ornamentis clarus, probitate vero et existimatione quamvis externus et advena, facile in Regno Poloniae princeps, ut ab invidia invaderetur, quod magnis viris natura quodammodo ipsa comparatum est, evitare non potuit. Caput autem et origo sua invidiae exinde coepit, dum etenim frequentibus familiaribusque sermonibus Vuladislaum Ducem arguens, tyrannidem coeptam et saevitiem continuatam carpebat, damnabatque, ostendens non verbis solum sed exemplis, cum in propria viscera et propriam perniciem grassari, nec ea tyrannide universale Regni Poloniae dominium assequi illum, sed et proprium et legitimum verti in discrimen, nullaque re magis quam fraterna unanimitate et sociali concordia in altum statum, quem tantopere cuperet, evasurum. Non surdis autem tantummodo auribus, sed et iniquis, quae a Petro Comite Skrzinnensi dicebantur, audita sunt, tantamque insuper et tam fecundam primum suspicionem, deinde indignationis flammam Vuladislaus Dux Polonorum a Petro Comite recipere sensus,

Sausit

habet, et in illum iuxta ac in fratres tyrannidem vertendam cogitaret, veritus quam maxime ne Petrus comes Skrzinensis, qui ea tempestate tam generis quam facultatibus clarus et potens habebatur, orphanis adiunctus, et propositum suum ad irritum deduceret, et potentiam suam vel confringeret, vel languidaret. Infensum insuper Vladislai Ducis Polonorum in Petrum Comitem Skrzinensem animum, coniunx Vladislai Ducis Cristina, cum qua Dux Vladislaus de rebus quibusque consultare solitus erat, cum et ipsa dudum gravida ira Petro Comiti Skrzinensi infesta esset, in ampliorem bilem accendit. Ferarum siquidem venationis quodam tempore tam Duce Vladislao quam Petro comite una simul tractantibus, cum fera cursu suo utrumque in desertum, et longe a stationibus distans nemus abduxisset, rugiensque fame stomachus carnis comprehensae bestiae agre fastidioseque impletus, sitim glacie et nive explesset, ambo insuper nuda humo et somnum et quietem capturi, delicias suas, puellas et ex cibariis potibusque et ex parum molli strato contigerant, familiari confabulatione recenserent, Mollius, inquit Vladislaus Dux, coniugem tuam Petre cum Abbate Strzelnensi. reor, quam nos quieveram, Huic facete dicto, et ad levandum praesentem difficultatem a Duce Vladislao prolato, Petrus Comes sororium responsum redditurus liberius respondit Quid scis, inquit, non meam tantum nocte cum Abbate, sed et tuam cum Dobiesz, mollius nunc cepisse somnos, Erat autem Dobiesz miles a Ducissa Cristina amatus, cuius contubernium pudicitiam Ducissae Cristinae in sugillationem apud plerosque perduxerat, Concepit illico Dux Vladislaus ex ea responsione iras, cautus tamen eas supprimens, cum et seviendi opportunitas parum tunc tuta esset, et Petrum Comitem velut affinem suum, qui matris suae propinquam sororem pro consorte habebat, maxime ultra omnes Barones aestimatione colens, nollet habere alienatum et infensum, sub silentio et patientia rem in praesens absolvit. In domum vero veniens sub tristitiam animi in vultu etiam praeferens, sciscitanti uxori mutationis causam, cum diu nequicquam restitisset, expugnatus tandem sedula importunitate secretum avide investigationem exigentis mulieris, vel indignabundus, vel ut plerisque placet iocabundus, sermones quos praecedenti nocte cum Petro Comite de uxoribus invicem texuisset, ex ordine aperit. Qua relatione Ducissa Cristina, dum pudicitiam suam per illos in dubium

revocari

renouari credidisset, torta adeo et exacerbata est, vt ab illo tempore muliebri more qualiter eam iniuriam vlcisci posset, varijs studijs varijsq; astu inuentis certaret, Et ira impotens neglectam a viro, et nimis leuiter latam iniuriam suam, indignabunda, qualiter de Petro Comite seuerius vlcisci posset exquisitione voluebat. Ea itaq; occasione quam retulimus oblata, omni conatu omniq; nisu, consilio, atq; suasu, vt de Petro Comite sumatur vltio, Vladislai Ducis viri sui aegrum animum perurget, suggerens eo incolumi nullo pacto plenum Regni Poloniae dominium Ducem Vladislaum obtenturum, Studiosius quoq; deinde compositis simulationibus et per se et per alios quos sibi ad id sceleris facilius confirmandum adiunxerat, in necem Petri Comitis quasi rebellionem et defectionem, atq; veneni necem Ducalem meditatis animum viri vrgere coepit, Et licet ne id ageret a timoratis viris admoneretur, nihil tamen diuinum, nihil dignum, nihil salubre, auris admittebat mulieris, maioris vltionis flagrabat ardore, quae potius pro debito coniugalis muneris errata viri reprimere et officijs suis etiam flagitiorum inuidiam compensare debuisset. Caeterum cum ad explendum in Petro Comite facinus, quod muliebri animo comparatum erat, fidus minister, et cui arcanum illud tuto, ne proderetur, committi posset, necessarius censeretur, cum appareret, rem per se execrabilem et non sine administrantis illam euidenti, propter Petri Comitis qua pollebat potentiam, periculo, singulos quosq; aspernaturos, Dobiesz ad id idoneus visus, primatum et ipse contumeliam in Petro Comite vlturus deligitur, Qui etsi onus detestandum in Ducissae Crystinae fauorem, quae etiam illi in facinoris praemium Petri Comitis, quo vigilantius studiosiusq; rem ageret, bona pollicebatur, suscepisset, parum tamen se validum, vt id consequeretur, censebat. Vna ad id commoda muliebri ingenio aperiebatur via, si Petrum nihil ex praeparato agentem, in alienis aedibus oppressisset. desponsauerat etenim Petrus Skrzinensis Comes filiam suam Iaxe Duci Serbiae, celebrationemq; nuptiarum in Vratislauiensi ciuitate et receptaculum Hospitibus esset et Hastarum ludos praemio proposito victoribus indixerat, Illic Dobiesz frequentia satellitum fultus accedens, Petrum Comitem Skrzinensem incautius se, in Hospitis morem, gerentem, captiuat, vinctumq; ex Vratislauia educit, et Duci Vladislao praesentat Nuptiarumq; solemnitate perturbata conuiuasq; fugat. Cum Vladislaus Dux quicquam grauius consulere cunctabatur, Diu in et innocentia viri, et meritorum eius in se et patrem patriamq; recordatione detentus, verita Ducissa Crystina ne misericor dia viri capitaneum Petrum absolvisset, non precibus solum et consiliis, sed minis, deserturam se ab eo, si violatam suam honestatem a Petro, inultam iri sineret, contestans, perpulit virum, ut supplicium de optimo atque bene merito milite sumeretur. Missi carnifices qui linguam inciderent, et utroque lumine Petrum cecarent. Ita vir et virtute et opere egregius, foeminae furore pro crimine proditionis afflicto, ad poenas raptus, nobilioribus membris spoliatus, et exutus, indignam ultionem mulctatus est. A scriptoribus Polonorum, tantum uni huic viro tribuitur, ut pro insigni suae innocentiae atque virtutis memoria referatur, divina propitiatione et miraculo, in quem tot pietatis facinora contulerat, et oculos plenamque potentiam visivam, et integram loquelam lingua instaurata recuperasse, et quinquennio, quo posthac vixit, monasteriis, Ecclesiis, et piis locis, hijs praesertim quae ipse fabricaverat et fundaverat largas donationes fecisse, caetera quoque supplenda quae locis et Monasteriis praedictis deerant, filiis Constantino et Egidio in morte mandasse. Celebrem decedens habuit in Monasterii Sancti Vincentii extra muros Vratislaviensis ordinis Praemonstratensis, quod ipse vivens fundaverat, in Chori medio, terrae mandatus, sepulturam, magna Polonorum frequentia eius cohonestante exequias, ipsisque funeribus monstrante, quantum virum amaverant. Sed et in hanc diem Petri Comitis Skrzinensis nomen apud Polonos extat sonorum et celebre. Consors sua Maria expost fatis intercepta in eadem qua Petrus urna, mariti consocianda cineribus, condita est. Duo insuper versus sepulchro huiusmodi inscripti, utriusque attestantur sepulturam qui tales sunt

Hic situs est Petrus Maria coniuge fretus
Marmore splendente, patre Vuilhelmo peragente

Extant usque in haec tempora plures in Polonia Ecclesiae quae ab eo feruntur muris aedificatae, licet maior illarum numerus sit iam per novarum constructionem demolitus, videlicet ad Sanctum Vincentium, item ad Sanctum Michaelem in Vuratislavia, In Strzelno, In Clobuczko, In utraque Skrzyn, In Tarnow, In antiqua Szudior, In Pauczow, In Rudk, in Chelmcze, in Wrzeczerzow, in Lancicia, in Hygi, in Oppatow, in Phanow, in Chalmo, in Thiniecz, in Chlewiska, in Koscielecz, Vladislaviensis Dioecesis, ad Sanctam Mariam in arena, ad S. Martinum, in Vratislavia, ad Sanctum Laurentium in Kalisz, ad S. Salvatorem ante Cracoviam, in Zwierzyniecz, ad Sanctum Swiradum, ad S. Laurentium, in Casimiria, ad Sanctum Joannem et ad Sanctum Andream Cracoviae, In Kazmiercz ad quinque fratres, In Mstow ad Sanctum Petrum, in Killa, in antiqua Konin, in Kotslow, in Numborg Sanctimonialium praedicatorum Kambinoczi, Czerwony Koscziol, in Lenin conventualis et parochialis, dua Fel Kocz. Sancti Egidii ante Crobia in Tyczowo

Innocentius Papa secundus cum annis tredecim, secundum aliquos quatuordecim, mensibus septem, diebus octo sedisset, Romae moritur, et in Concha Porphiretica miro opere fabricata, in Ecclesia Lateranensi honorifice sepelitur. Cui Caelestinus secundus natione Thuscus, de castro Felicitatis successit, vir religione et scientia praeditus, cum magna Cardinalium unanimitate ad sedem Petri electus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS QVINTVS

Petro de Dacia Comite Skrzinensi detestabili crudelitate mutilato, caecatoque, Wladislaus Polonorum Dux tyrannidem coeptam superintendens, non ad occupandum solum fraternos principatus et sortes, sed ad eliminandum eos de patria, studia sua conatusque convertit, cum ad id non solum ambitionis ardore et uxoris irritamento, sed et impunitate scelerum et assentatione improborum ferretur, nullo eius tyrannidi post crudelitatem in Petro Comite Skrzinensi desumptam, obstare aut eius conatus carpere, seu quae vera et legittima essent dicere auso. Contracto itaque, ex omnibus principatibus et dominiis exercitu, Ruthenorumque auxiliariis frequentiori numero, quam unquam aliâs accersito, Wszewolodus enim Kijoviensis Dux filium suum Swantoslaum, item Ducem Isaslaum Dawidowicz, item Ducem Wszewolodimirum Haliciensem, cum copiis Ruthenorum in Poloniam transmiserat, Boleslaum de Ploczensi, Henricum de Sandomiriensi castris fratres germanos depellit, caeterasque eorum praesidia decit, et omnes eorum principatus et terras istis principibus fugatis, subiugat. Unus tantummodo Myeslaus senex vocatus restabat, Gnesnensis, Posnaniensis, et maioris Poloniae Dux, ad quem bini fratres Boleslaus Crispus, Masoviae, et Henricus Sandomiriensis Duces sedibus suis pulsi confugerunt, arcemque Posnaniensem omnes tres advenientes, etiam viris armisque munierant, resistentiam Duci Wladislao si ille quoque impeterentur, oppositur. Quod ubi Vladislaus Dux agnovit, impetu cito pergit, celeriorique quo potuit cursu exercitum admovit, brevi illos et Posnaniense castrum fortissima obsidione vallavit, universos fratres uno loco undique obsidione et debellaturus et comprehensurus. Cinxit deinde sepibus et frequentibus turribus Posnaniense castrum, ne cui de obsessis liceret de illo effugere. Bombardis quoque et arietibus illud nocte et interdiu quatiebat, omnibus ingeniis et artibus humanis ad eius conquisitionem intentus. Principes autem Boleslaus, Mieslaus, et Henricus, videntes se per obsidionem illam plurimum coarctatos, ne vivi in manus hostiles venirent, ne quoque in captos quicquam gravius consuli contingeret, mittunt Nuntios ad Vladislaum Ducem rogantes, ut nubilo suae indignationis mitigato, illos hostiliter impetere, et principatibus eorum occupare desineret, solveretque obsidionem et fratrem se atque defensorem non hostem ageret, sorteque sua contentus esset, neque in exterminium eorum qui eodem patre essent geniti, et aequale in Poloniae regno sibi ius cum eis foret, aspiraret, memor humanarum rerum, et suam fortunam modeste gereret, et alienam ne urgeret. Legationem autem huiusmodi Vladislao Duce fastuose repellente, et irridente, nihil quoque parati respondente, Ducibus Mieczslawo, Boleslao, et Henrico, et omnibus cum eis obsessis maior pavor incessit, fortunamque suam miserandam et miserabilem lachrimosis eiulatibus crebro deplorabant. Pro more deinde ingenii humani ad conditiones pacificationem aliquam laturas versi, deditionem plerique facere, caeteri de aliqua sorte principatuum cedere, et furorem ambitionemque Ducis Vladislai et cuiusque placandam decernebant. Sed cum conditio utraque gravis et intolerabilis videtur, et Dux Vladislaus non aliter destinaverat quieturus, donec cum fratrum exterminio plenum illi Regni Poloniae regimen proveniret, perseverare in obsidione, famemque tolerare, et omnia pati extrema diffiniunt, sperantes divinitatem, quae pro iusta causa stare consuevit, se et suam oppressionem aliquando respecturam.

Sub ipso autem obsidionis tempore Vladislai Ducis exercitus auxiliares praecipue Rutheni, praedis, spoliis, et innumerabilibus maleficiis non contenti, ingenuis etiam matronis et virginibus stupra, plerisque caedes et corporum cruciatus, caetera quoque abominanda et Catholicis indigna, rabie barbarica inferebant. Quibus malis venerandus Iacobus, tunc sedis Metropolitanae Gnesnensis Antistes, permotus, in castra Ducis Vladislai quadriga vectus, gravis enim iam annis excesserat, amictu et mitra pontificali, quo terribilior esset vestitus advenit et in eadem qua vehebatur quadriga papilionem Ducis Vladislai ingressus prudenti et digesto sermone, ut armis depositis, obsidioneque soluta, in gratiam cum fratribus rediret, patriamque quae illum produxerat extulerat, barbarica invasione stupra, caedes, spolia, praedas, et incendia, in eius exterminium ac ludibrium inferente, persequi et vexare desisteret, et sua sorte contentus, aliena contra ius fasque non ambiret, benignius quo poterat exhortabatur. Certum illum reddens, ea mala quae egisset non sibi impune cessura, sed fusum fundendique

Sanguinem in eius perniciem redundaturum, huiuscemodi illum convenit sermone. Venio, inquit, ad te Clarissime Princeps senio quidem gravi, sed anxietate et dolore maiori confectus, rogaturus, ut bello pernicioso omisso, quo fratres eliminare contendis, summota labe etiam qua te et genus tuum foedare instituisti, attendas eo quidem maiorem, quo testamento patris curator fratrum scriptus, amplitudinem illorum non exterminium procurare debueras. Tu siquidem ex curatore insultator, ex amico inimicus, ex fratre hostis, arma quae pro fratribus officio communibat in ipsos vertis, quos tutandos assumpseras, quatis multifarie et collidis, humani generis res, fidem, societatem, fraternitatem, sanctissima foedera, ipsum denique sacrosanctum humani generis vinculum violas, securitatis auxilia in metum vertis, malorum omnium unde minus expectabantur pericula, in fratres et patriam congeris. Optimum crede temperamentum oppressa ambitione qua cales, deposita tyrannide quam exerces, cum fratribus ex aequo vivere, et post bella execranda, post vultus et actus minime fraternos, subituram tandem aliquando tibi germanitatis et carationis memoriam. Horrendam hanc existima quam prosequeris, et plusquam civilem discordiam, stirpem vestram illustrem, dominium, et regnum, funditus nisi celerius resipueris, eversuram, honorem amplum et fructum cumulatissimum, si monitis meis parueris, sin minus, divinam et humanam ultionem percepturus. Revolve animo quam foedum, quamque plenum dedecoris et iniquitatis est, te hominem Christianum et Principem, de Deo suo et eius assidue pendentem iudicio, id agere, quod gentiles ~~occulte~~ a cultu veri Dei et Catholicae religionis alienos, constat execrari, et plus in pectore tuo posse cupiditas Regni inanis, quam fraternae pietatis affectus. Vladislaus autem Dux fuga et dilapsione fratrum in unam arcem elatus, salubres Pontificis monitus, clara voce sibi successuum varietatem praedicentes, aspernari sustinuit, et prosperitatis suae velorum cursum, vana sibi quaedam ominans, et pleno velo semper se navigaturum confidens, a moderationis contubernio exclusit, sed renitendo tam optimae consultationis ~~bon~~ et prudentissimae persuasionis bono, declaravit quod non in omnes cadit donum prudentiae salutaris, nec quemlibet patitur possessorem, et superborum atque insensatorum Principum avaritia obcaecatorum more, in sua persistendum duxit sententia. Obstinato ad ea quae a Praesule optimo dicebantur, edito a Vladislao Duce responso, dum appareret illum a rabie concepta, nullo pacto quieturum, Jacobus Archiepiscopus praedictus, a spiritu divino impletus, Scutum fidei et loricam spei, velut praeliabundus assumens, e sella cui insederat altius consurgens, Postquam inquit lege divina et humana prophanata, iure etiam gentium et naturali praevaricato, tantos ausus assumpsisti, et neque Dei metus, et reverentia, neque humana persuasionis et monita, neque mea exhortationis et consilia, te quiverunt a pravis et execrandis facinoribus abstrahere, et ad rectum inclinare; Authoritate Dei omnipotentis, cuius vices in hac parte prosequor, te velut principatuum fraternorum iniustum violentumque invasorem, fidei et patriae hostem, legum divinarum et humanarum transgressorem, et meorum paternorum monitorum rebellem contemptorem, ad omnia salutaria obstinatum, Pharaoniticam cordis duritiem praeseferentem, primum quidem coram praesenti quae astat multitudine excommunico, deinde velut pertinacem anathematizo, et ultimo velut incorrigibilem ultioni divinae puniendum relinquo. Execratus deinde in caput et exercitum Vladislai Ducis et hospitalis, superos violatae ab eo religionis et fidei, suique saluberrimi spreti consilij testes invocans, anathemati quoque illum damnans, in vehiculo vectus, ex papilione Ducali recedebat, interminans, stipendia, quae fratribus inferebat, a se propediem per fratres iustius expetenda. Sed neque is iniectus terror saxeum movere pectus, nec exercitatam ambitionis igne mentem sanavit, non tamen in praesulem se ferientem, contumelijs, improperijs aut comminatione, principum more, vlciscendum duxit, sed singula sub patientia perferendo, nihil se, aut corripiente indignum deprompsit, motibusque omnis animi in potestate habuit. Egrediente Archiepiscopo de tabernaculo Ducali, auriga Archiepiscopi quadrigam et equos incautius agens, ultimo axe columnas, quibus papilio Ducalis sustentabatur, evertit, tabernaculumque exinde corruens, usque ad solum decidit, nec longe abfuit, ut suo prolapsu Vladislaum Ducem opprimeret. Cum quoque casum Dux Vladislaus ira suppressa, quam moris sui esset, patientius tulit, et non bili tantum, sed nec obiurgationi indulsit, pluresque sua patientia admirationi tenebantur, nonnulli vero lapsum tabernaculi scrupulosius notantes, velut praesagium et ominosum futuri casus adversi signum augurabantur accidisse, in brevi temporis spacio, post eas, quas a Metropolitano suo salubres admonitiones spretum iri senserat, post fratrum suorum, quos praeter iustum aequumque paterna haereditate exuere aestuabat. Humiliationem supplicem, quam ludi

brio

bus labarat, Ducem Wladislaum comminantis ruinarum. Unde et ab aliquibus suis Consiliariis aditus atque rogatus est, ut ferociamine deposito pacificam fratribus sub aequis conditionibus dignaretur, vereri se asserentibus ne pro armis iniuste sumptis, secum una simul divina obruerentur ultione.

Obturatas ad omnia salutaria monita aures, et obstinatum animum Wladislai Ducis, dum Principes Boleslaus, Mieczslaus et Henricus et Baronis principatuum suorum, Sendomiriensis, Maioris Poloniae, Mazoviae, et Cuiaviae, qui causa eorum turpe et foedum deesse putaverunt, literis et nuntiis Jacobi Archiepiscopi Gnesnensis, singula ex ordine, quae pro illis gessisset, denunciatis, sensissent, in ultimam desperationem versi, etiam in mortem, et omnia quaeque indigna, antequam se tam impio fratri et iniusto hosti dederent, decernunt et destinant. Videntesque insuper se longa obsidione inclusos, et maceratos, undeque insuper constrictos, nec ullum effugii locum, in misericordia quoque et pietate fraterna, Archiepiscopo Gnesnensi illum inflectere non valente, nihil amplius restare spei, ipsa desperatione sumpsere audaciam, promptioresque in pugnam et in mortem faciebat ultima necessitas, et praeruptum periculum, et unusquisque ita animatus accingebatur, in id quod futurum esse debuerat praelium, ut devoveret se potius telis hostilibus, si ita sors ferret, quam miserationi fraternae saepius petitae et nunquam obtentae caput obiecturum. Una et ipsa tenuior quam tempus postulabat evadendi spes erat, si hiberno tempore superveniente, solvi hostilem exercitum inopia pabulorum et intemperie hyemis contingeret. Sed interim quoque et apud se noscebant defutura alimenta, Resque suas videntes ad extremum versas, noctu et interdiu suum exitium intuebantur, et crescebat assidue in singulorum pectoribus desperatio, quoniam nulla ratio tolerantiam amplioris obsidionis, dum nulla ventura auxilia expectare fas erat, afferebat. Complexi deinde se invicem, certissimum moriendi propositum, datis dextris, factisque osculis, quamprimum occasio subierit, assumunt. Crebro itaque in stationes hostiles et in opera insilientes, magnam stragem conficiunt. Sed dum ob eam rem militum numerus pro tuendis operibus duplicaretur, obsessorum principum milites per multiplices insidias incautos intercipiunt. Saepiusque certamine inter utrosque acerrimo mirificum praelium sequebatur, plures tamen de exercitu Wladislai Ducis aut capti aut occisi quotidie succumbebant, in Ruthenos tamen maior quam pro numero in congressionibus et excursionibus

Succubuit

huiusmodi clades cedebatur. Pluribus deinde diebus ab obsessis nihil movebatur, principesque obsessi suos omnes intra arcem continebant, cum lacessendi magis quam sustinendi hostes lenibus certaminibus experientiam accepissent, nulla parte virium hostibus pares dilapsi, Ac ex stationibus custodiisque operum Vuladislai milites postquam ab obsessis copia pugnae non fieret, corpora curabant, aut luxui ebrietatique operam dabant, omniaque in castris Vuladislai quasi victi et expugnati hostes forent, solutiora, fractos quoque et ultima desperatione fatigatos Principes Boleslaum, Mieczslaum, et Henricum, eosque qui una secum obsidebantur, ratus, laetus et gloriabundus deditionem eorum Vuladislaus Dux operiebatur. Contemptuque deinde hostium, post negligentia, in exercitu Vuladislai velut a re prospere succedente et successura, haberi coepta sunt, pauci ad stationes et opera relicti, ceteri se in varia loca sparserant, plerique in lasciviam explendam abierant, pars aut ludo aut commissationi vacabat, quidam hesternam crudantes crapulam somno strati iacebant inermes inordinati, ut quibus velut pro comperto erat obsessos de cetero nihil hostile moturos. Ubi satis Principes obsessi contemptum sui viderunt apud Vuladislaum et milites eius insedisse, scientesque ex captivis et profugis negligentiora omnia apud hostes esse, arma suos capere, fortunamque tentare iubent, gloriosius aliquanto in pugna adversis vulneribus, quam in arce fame et inedia strati, morituri. Omnibus tam equitibus quam peditibus ad erumpendum praeparatis, signumque quoque rubrum, in turris cacumen, Principum iussu, erectum est. Cuius erectio dum militibus in exercitu Vuladislai, Ducibus praesertim Russiae, Swantoslao, Izaslao, Vszewoldimiro tunc ad latus Vuladislai consedentibus, admirationem ingessisset, significatum signi, Ruthenorum Principibus, operosius sciscitantibus, Vuladislaum Ducem respondisse ferunt, Principes obsessos et deditionem offerre, et misericordiam flagitare. Cumque Ruthenus parcere victis, sibique dedentibus, abstinerique fraterna et propriorum caede summopere aequum consuluisset, ferox Vuladislai pectus sive ultionis sive exterminii fratrum avidum respondit clementiae et reconciliationi locum de cetero non superesse. Sub hac confabulatione et sermone Principes obsessi cum fortissimis et exercitatissimis militibus, morique quam cedere persuasis ad hac cum promiscua cunctisque ordinibus aetatisque, quae castro claudebatur, turba, media fermè die dum magis sopiti aut epulis hostes intenti essent, erumpunt, clamoreque ab omni etiam infima aetate sublatus, dum Vuladislaum Ducem et suum exercitum suspensum et attonitum, amentia enim illam non audaciam, plerique vocabant, terrent. Ubi vero effusissimo et subito cursu illos ad se porrigere advertunt, omnibus rebus vehementer perterriti, neque comites habendi neque arma expediendi spatio relicto perturbabantur. Tum primum trepidatio, sive numinis occulto metum illis ingerente, sive quod se nudos imparatos et inermes cernerent, sive quod causae suae et futuro certamini iniustis armis tractandis, parum fiderent, iuxta ac si insidiis circumventi forent, exorta est. Diversi diversa moliebantur, nulli quid potissimum agendum esset constabat, nec homines solum sed et equos terror ex tumultu et rumore pervaserat. Pauci itaque inermes equos utcunque correptos, dum ordinatis et armatis occurrerent, facile trucidantur, sparsi et semisomnes opprimuntur, nonnullis vix procursores [illegible] evaserat. Adversa rerum conspiciebatur facies, nec quisquam prae trepidatione aliquid consulebat, in commune. In castra hostilia igne iniecto incendium late diffundi coepit, materia arida et sicca ex culmo et stramento quo castra operta erant, alimentum subministrante, fuga deinde passim ferrum et flammam vitare conantium. Et expost caedes erat, sub modico intervallo validum robur ex Polonis et Ruthenis congestum, fusum fugatumque, et castris exutum est, et dum in omnes partes capessisset fugam, equites fugientes persequuti, magnam caedem, in fugientibus Ruthenis praesertim ediderunt, nonnulli ab undis suffocati, Vuartham et Glovunam fluvios ad quos certamen gerebatur, cadaveribus impleverant. Vuladislaus Polonorum Dux cum Ruthenorum Ducibus et paucis quibusdam effugiens, versus Cracoviam a suis desertus contendit, Maeroreque et calamitate plenus equos mutando Cracoviam sine militum frequentia velut si privatus foret pervenit, documentumque sui exemplo et praesentibus et posteris dedit, ne quis de potentia confidens in aliorum oppressionem cum legis divinae et humanae praevaricatione et salutarium monitorum obauditione inexorabiliter aspiret. Principes Boleslaus, Mieczslaus, et Henricus, victoria modeste usi, omnes qui ex Polonis capti fuerant, libertate donaverunt. Ex eoque tempore res eorum contra Vuladislaum fratrem prosperatae sunt, et omnia quae

illy

illis abstulerat, breui recuperatur. Castris insuper tam Vladislai, Polonorum, quam trium Ruthenorum Ducum potiti, varijs quoque ex manubijs vtriusque exercitus Poloni vindices et Rutheni ditati rebus, plures pro sui solatio non ex proprijs tantummodo sed etiam ex forensibus milites armauerant. Ruthenorum Duces Suantoslaus Iaroslaus Vszewlodimir per fugam Cracouiam aduenientes, exinde tam militibus quam rebus nudati in Russiam cum paucis comitibus redeunt.

Caelestinus secundus Papa cum mensibus quinque diebus tredecim tantummodo sedisset Romae moritur et apud Lateranum sepelitur. Cui Lucius secundus natione Bononiensis ex patre Alberto succedit, vir pro mansuetudine et humilitate sua, officio summi Sacerdotis dignus, qui ex Presbytero Cardinali tituli Sanctae Crucis in Papam assumptus, totam illam Ecclesiam et claustrum renouauit. Qui a Romanis grauem persequutionem passus, venire Conradum Romanorum Regem ad suam defensionem literis inuitauit. Romani enim pristinum fulgorem resumpturi, creatis Senatoribus, et Patritio, Lucium Papam, de oblationibus et decimis, antiquorum Sacerdotum more, viuere cogebant. Omnium regalium intra vrbem et extra sibi inique vsurpando potestatem, Hominum malorum taedio Papa vexatus breui tempore superuixit

Henricum Olomuczensem Episcopum Romam proficiscentem, Conradus Marchio Morauiae pariter capturum nitebatur. Qui cum manus suas effugisset, Conradus Marchio familiaribus aliquibus Episcopi truncatis omnique sua supellectili vsurpata, hospitio etiam Episcopali incenso recessit.

Diuinae propitiationi summam gratiam Mieczslaus Senex Dux maioris Poloniae, pro consequuta nobili et memorabili victoria quam de germano suo Vladislao Cracouiensi Duce, et Russiae principibus, contra spem et omnium spem retulerat, relaturus, ad fluenta fluuij Vuartha in villa sua Ducali Landa Monasterium Ordinis Cisterciensis fundat et erigit, et illud Ducali munificentia villis praedijs et amplis introitibus donat, dotat, et libertat. Ad Monasterium autem huiusmodi, et aliud eiusdem ordinis vocatum Vangrowiecz, Monachi in primaria Monasteriorum huiusmodi fundatione, ex Monasterio quod vocatur Vetus mons tribus milliaribus a Coloniensi civitate supra Rhenum sita, distanti, sumpsit. Ab eo autem tempore mos fuit laudabilis et omni commendatione dignus, usque ad tempora mea observatus, quod nemo in Monasteria praefata in regularem observantiam assumitur, nisi sit genere Coloniensis. Ex quo nimirum provenit, quod Monasteria praefata optimo diriguntur ordine tam in spiritualium quam temporalium gubernatione, passura illico et religionis et rei familiaris naufragium, si hunc morem quandoque deseruerint. Nec mos ipse nude et fortuite sed rationabiliter et ex evidenti causa et merito praefatis duobus Monasterijs pro in reperpetuo et lege perenni ob eam causam fuit concessus. Visitanti siquidem Mieczislao maiori Poloniae Duci Ecclesiam Aquisgranis, et Corporum trium Regum in Colonia, dum a Coloniensibus maximis certatim celebraretur honoribus, hanc Coloniensibus rependit gratiam, super qua et Privilegium conscripsit, ut in vicissitudinem officij sibi a Coloniensibus exhibiti, nullus ad duo Monasteria praefata, nisi sit Coloniensis, possit assumi aut in eisdem tolerari

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS SEXTUS.

Principatibus proprijs Boleslaus Mieczslaus et Henricus uno omnium Baronum et nobilium favore et consensu recuperatis, cum praeter insitam invidiam et execrationem qua erga Vladislaum Ducem occupatorem iniustum, milites Poloniae tenebantur, etiam in eam partem versi erant, quo se eam fortuna inclinarat. Collectis tam equestribus quam pedestribus copijs ad Cracoviensem urbem et arcem in qua Vladislaus post fugam delitescebat, procedunt. Vladislaum inde propulsaturi, et suas iniurias, damnaque, antequam ex clade apud Posnaniam accepta se reficeret, ultum iri, rati eo Monarchiam Polonorum obtinere, novis bellis cum Ruthenorum assistentia, si quando infestaturi. Vladislaus autem Dux clade Posnaniensi perculsus, et tam militibus, quam fortunis, armisque exutus, cum et omnes homines, omnia loca, temporaque, nec satis cuiquam fideret, omnium animis ab eo alienatis, suspecta haberet, de Cracovia in Ratibor, et exinde in Almaniam per Slesianam oram, ad Conradum Romanorum Regem auxilia sua imploraturus, ne in iratorum, et pro suo

demerito

de merito sibi infestorum fratrum, manus incideret, confugit vxore et tribus filijs in arce Cracouiensi relictis, Cracouienses autem ciues, dum Ducibus Boleslao, Mieczislawo, et Henrico vrbem obsidentibus aliquantis diebus obstitissent, tandem dum nihil spei in Vladislao et filijs eius sibi viderent superesse portas aperiunt, pacti, ne quid hostile paterentur. Nec ita post multos dies arx cum vxore filijsq; Vladislai dedita est, in quam etsi magnitudo acceptae iniuriae, consultatioq; et instantia nonnullorum et praesertim amicorum Petri Comitis Shrzinensis, id magnopere et deposceret et exigeret, neq; animaduersum quicquam neq; saeuitum est, sed sine iniuria, sine contumelia, habita est, et omnis illi honos ab exacerbatis instaq; ira candentibus victoribus, Ducibus et Comitibus seruatus. Quia tamen loquebat ea in Polonia agente, Poloniam satis pacificam esse non posse, verebanturq; Principes Petrum Comitem Shrzinensem aut propinquos et affines eius, suam quandoq; ceteritaty iniuriam in eam contumeliam aut occasione vlturi, ne futura calamitatis aut mortis euentus sibi inferrentur, ipsos quoq; Duces in suggilationem adduceret, in Almaniam cum tribus filijs suis ex Vladislao susceptis, Boleslao alto, Mieczslawo, et Conrado loripede, ad virum suum deducta est, et qua alienos principatus ardentius expetijt, iustissimo Dei iudicio, etiam proprios amisit. Consortem suam Cristinam cum pignoribus ex Polonia propulsam, ad se venire Vladyslaus Poloniae Dux conspiciens, contritione geminata affligebatur, quod et Ducatum Poloniae amiserit, et in exteras regiones cum vxore et filijs, stipe aliena victurus, exulatum ire coactus fuit. Tunc quoq; primum, in malis, quae illi acciderant, reatum suum in Deum et fratres recognoscens, ac aspernata admonitione Gnesnensis Archiepiscopi Iacobi, corpore et animo torquebatur, tum quoq; primum muliebris consilij, quod Princeps magis quam necessarium susceperat, paenitere coepit

Pulso Vladislao Duce ex Polonia, pulsaq; tandem Ducissa Cristina consorte sua, pulsis filijs, dum pax integra per omnes regiones Poloniae affulsisset, Boleslaus Crispus cognomine, inter fratres secundi matrimonij natu maior, et fratrum, praelaturaq;

et omnium Baronum militumque consensu, maiorem principatum, et Monarchiam Polonorum obtinuit, et sorte sua Ducatu videlicet Masoviae et Cuiaviae in eius ditione integre remanente, etiam Cracoviensis Principatus illi, ita ut fratrem minorem natu Casimirum, cui a patre nulla sors relicta erat curaret, adiectus est. Qui superioritatis causas et occasiones, propter quas animaduertebat inter fratres a Uladislao procellam gravium caedium et bellorum exortam esse; succedens, fratres omnes magna colebat affectione et charitate. Nec solum modestiam suam in eos exercebat, sed etiam liberalitatem, plerasque possessiones iuris sui eis largiens et condonans. Qua quidem munificentia et modestia effecit, ut illi summa fide, summa devotione ab omnibus pareretur, et fratres absque querela et murmure eius obirent iussiones et imperia. Qui etiam Casimiri germani iunioris curam et regimen suscepit, cuius iam tunc tam continentes tam culti et ornati a singulis notabantur mores, ut vim aetatis superarent. Sub quo tempore a Polonis maxime vulgata practica notatum est, quam validissima res est iustitia, eo altius emergens, quo obscurius fuerit proconculcata, temeratoresque suos atrociori multa percellit, graviorem poenam infligens in se delinquentibus et criminosis

Lucius Papa secundus cum mensibus undecim diebusque quatuor in sede Petri sedisset, moritur Roma; et in Lateranensi Ecclesia sepelitur. Post cuius mortem Cardinales in Ecclesia Sancti Cesarij de urbe in conclavi inclusi, dum super eligendo futuro Summo Pontifice in vota varia scissi essent, aliquantoque tempore concordia inter illos provenire non posset, in Bernardum Abbatem Sancti Anastasij extra urbem ordinis Cisterciensis, beati Bernardi conversatione filium, et virtutum suarum aemulatorem, virum reverendae senectutis, et vita sancta, natione Pisanum, ex insperato dirigunt vota sua, et ipsum in Papam per inspirationem eligunt, qui Eugenius tertius vocatus est in consecratione. Quam dum non auderet Romae explere, in Farfense Monasterium se transferens, illic eam accepit. Ad quem Beatus Bernardus librum de consideratione, vitia Praelatorum, Clericorum, et Romanorum evidentissime carpens, scripsit. Iordani autem Patritij et Romanorum suscitatam in se persecutionem, vitaturus, in Galliam se transtulit, et a Ludovico

Franciae

Francie Rege gratiose susceptus. Concilio Remis celebrato, predicari crucem in subsidium terre sancte, multipliciter tunc a Saracenis afflicte, mandavit, et multos Principes predicatio ipsa ad assumendum crucem et transfretandum accendit. Hunc Deus, quia simplex purus et rectus erat, mirabilem ostendit perfusum gratia in facundia et sermone. Sub eius Pontificatu dum apud Viterbium ageret, ab ultimo pene Oriente, ab Armenorum Eclesia et illorum Patriarcha, venerunt solennes nuntii, grate ab Eugenio suscepti, omnimodam subiectionem et obedientiam offerentes, formamque sacrificii pro qua cum Grecorum contendebant Eclesia, sibi a Romana Eclesia velut omnium magistra sibi dari deposcunt. Quos Romanus Pontifex suo sacrificio astare, et cunctos ritus ad plenum advisare iubens, plene edoctos remisit. Princeps autem legationis unus existens Episcopus inter sacrificandum, Summo Pontifice divina agente, splendido fulgore radium Solis super caput eius coruscare, et in ipso duas columbas ascendentis et descendentis vidit, quo miraculo in obedientiam Romane Eclesie attentius, cunctis, que viderat, aperuit

Moritur eo anno Magnus Vratislaviensis Episcopus, cum paulo plus quam lustro uno Cathedre Vratislaviensi presedisset, et Ioannes secundus vocatus Ianick de consensu et favore Boleslai Crispi Polonorum Ducis et Monarche concorditer a Capitularibus electus, succedens, ordinatur a Iacobo primo Gnesnensi Archiepiscopo, natione Polonus, et genere nobilis de domo Griffonum, quem cum germano suo milite Clemente in patrimonio suo Brzeznicza Monasterium Andrzeiowiense fundasse et dotasse in superioribus monstravimus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS SEPTIMVS

Venientem ad se Vladislaum Polonorum Ducem Conradus Romanorum Rex primum benigne comiterque excipiens, cum adventus causas intellexisset, spe bona data animum bonū habere Vladislaum iussit. Postquam vero et Vladislai consors

Ducissa Cristina, cum tribus filijs a Leuirijs de Polonia expulsa, suas et mariti filiorumq casus et aerumnas longo sermoni Conrado Romanorum Regi enarasset, ut sui et filiorum suorum misereri dignaretur, et per ius sanguinis et per officium Imperatorium crebris lacrimis precabatur, Vladislaus quoq Polonorum Dux et per seipsum et per aulicos Regis sedulis precibus Conradum Regem, ut suae calamitati praestaret solatia, et se cum vxore et filijs in exilio consenescere non sineret, fatigabat. Ad Ducem insuper Bohemorum Vladislaum personaliter se conferens, Ducem vero Ruthenorum per nuntios sollicitans, ut se in Regnum suum restituerent, varijs conatibus instigabat. Rumoribusq varijs Boleslaus Crispus Polonorum Dux et fratres sui Mieczslaus senex et Henricus primus terrebantur, tam Conradum Romanorum Regem, quam Vladislaum Bohemiae Ducem cum potentijs validissimis ad restituendum fratrem eorum in Regnum contra se ab vna, Ruthenum ab altera partibus, venturos. Aequo tamen animo vulgatos et invectos excipiebant terrores, et futurae resistentiae atq dimicationi se parabant. Conradus autem Romanorum Rex etsi precibus Vladislai Polonorum Ducis et consortis suae Cristinae Ducissae motus, auxiliaturum se eorum causae, et restituturum in Regnum, pollicitus frequentius fuisset, rebus tamen imperij et calamitatibus, quae terrae sanctae et Christianis in ea habitantibus inferebantur, pluribusq alijs publicis et privatis negotijs, ut quam pollicitus fuerat opem Vladislao praestaret, arcebatur, expugnata siquidem ea tempestate fuerat civitas Edissa, quae in sacra scriptura Arach nominatur, per Regem Alapsi de Turcorum genere, qui omnes Christianos quos illic invenit aut morti aut servituti damnavit. Archiepiscopum vero civitatis cum toto clero in confessione Christi constantissime se gerentem, ferri cruore necavit. Ad haec et super aram beati Joannis Baptistae, speciosissimae et nobiles matronae et virgines, stupra pati coactae sunt, et civitas quae ab Agaro Rege cui Christus ante suam passionem epistolam direxerat, Orthodoxe instituta, tunc primum a gentibus prophanatur. Ex hoc autem casu Christianitas in partibus Orientis plurimum debilitata, succurri sibi magnopere flagitabat. Rex autem Conradus Romanorum Rex causam Vladislai Polonorum Ducis prorsus deseruisse et ex animo leviterque se putaretur, primum quidem gentis armorum illi curasset, quarum adiutorio castra duo Nyemczi et Grody construens, pluribus excursionibus Poloniam lacessebat, Deinde Nuntijs et literis apud Boleslaum Crispum Polonorum Ducem et Monarcham, fratresque suos institit, quatenus sors Vladislaum contingens sibi redderetur, sibique admonitur necessitas et affinium et oppressum adiuvandi. Huic legationi a Boleslao Crispo Polonorum Duce et fratribus modestum responsum edebatur, Nihil se unquam in fratrem Vladislaum Ducem hostile molitos esse, sed tyrannicam suorum Principatuum spoliationem ab eo passi, moxque etiam exterminium, dum omni humanitate medium germanitatis exutus, nullis precibus, nulla aequitate, nulla submissione placari posse videretur, passuri, ex obsidione qua inclusi et paene extincti eramus, erumpentes pro principatibus et sortibus, pro spolijs pro ipsa quoque vita cum fratre inexorabili, non aliud, quam sanguinem nostrum sitiente, acie decertare compulsi, ipsum propitia divinitate cum exigua manu vicimus, bellumque illatum, et mucronem nostris cervicibus impendentem, propitia divinitate vicimus, abegimus, repulimus. Sciret se aeque atque magis quam Vladislaum Conrado Romanorum Regi sanguine iunctos esse, suamque causam iustiorem fore. Et ob id sui magis, velut Romanorum Regis quam maxime interesse, ne iniusto bello se miscendo contaminet, et se affinibus, et innocentibus bellum illaturum cogitet, discernat, expendat, et calculet Imperator, quantus hostis noster fuerit, quot insidijs nos petiverit, quot suis, quot auxiliaribus potentijs in capitis nostri periculum usus fuerit, quanto studio, quanto ardore, necem nostram maturaverit, Habeat potius iratum Caesarem, quam propitium, qui crudeliter nos excarnificare contenderat, non insidiatoris modo, sed cum insidiae parum processissent, hostis publici, carnificis, et percussoris speciem induerat, gessit, Preces quoque

Archiepiscopi Gnesnensis, quibus vitam nobis deposcebat relinqui, repudiavit, talem eum fuisse Imperator sciat, ut nec quid ageret, nec quid sentiret, aut diceret, dummodo nos aut propelleret, aut deleret, quicquam pensi habebat, et proinde induxisse se in animos, Caesareanos Nuntios certificant, cum hoste potius quam fratre se placaturos, expulit enim illum non livor noster, sed suus, non nostra ambitio, sed uxoria, non nostri excidii est armis, sed moribus suis, quibus nobis principandi potestate ablata, exilium inferre, et mortem regnandi cupidine omnem pietatem, et Archiepiscopalia monita, mulieri soli morigerari ardens, perosus, maturabat. Hac responsione Conradus Rex adeo fractus mollitusque est, ut ardor, quem ad promovendam causam Vladislai Ducis Polonorum, ex ingeminatione querelarum Vladislai et suae consortis hauserat, prorsus in eo defluxisse notaretur. Exulem insuper Vladislaum Poloniae Ducem carpens, iuste illi exilium contigisse, iustamque fratrum suorum iram esse deducebat. Qua correctione ipse amplius quam exilio tortus, omnem sui exilii culpam in Consortem Cristinam tacitus et crebris suspiriis retorquebat. In Almania autem consistens ex honorato contemptibus, ex divite egenus, usu et processu temporis esse coepit. Unica spes in fratrum miseratione restabat, quam cum sibi videret negari, quotidie crescentibus inopia, altiori gemitu, vim perferebat, neque se a sua calamitate brevi liberatum iri sperabat

In concilio Remensi pro medio Quadragesimae in concilio seu Synodo Generali per Eugenium tertium celebrata, iunior Henricus qui patri successerat, missis nunciis cum bulla aurea et sublimatione sua ad Romanum Imperatorem propere summiserat, et querelam contra tres Duces Poloniae videlicet Boleslaum, Mieczslaum et Henricum deponit, quod quartum fratrem suum germanum Vladislaum in regno dividendo, in sorte sua et portione sua excluserant. Querebatur et contra Jacobum Archiepiscopum Gnesnensem Metropolita

num

rum Poloniae, et alios Episcopos Poloniae Suffraganeos suos videlicet Matthaeum Cracoviensem, Magnum Vratislaviensem, Swidigerum Cruswicensem, Bernardum Lubucensem, Boguphalum Posnaniensem, Alexandrum Plocensem, quod contra iusiurandum patri suo Duci Boleslao praestitum, in exclusionem praefati Ducis Vladislai consensissent

In subsidium autem terrae sanctae Conradus Romanorum Rex, qui cruce a Beato Bernardo in Francfordia supra Maguntiam cum multis principibus et Baronibus, ad Passagium complendum cruce insignitus, erat transfretaturus, iter suum per Poloniam destinavit, quod et compendiosior et expers periculorum esset via, simulque sperabat, inter Vladislaum Ducem Polonorum, et Boleslaum, Mieczslaum, et Henricum, discordias suaviter positione sedaturum. Qui cum frequentissimo et Principum et Baronum numero, equestris quoque et pedestris ordinis militia, nam et Bohemiae Dux Vladislaus cum fratre germano Henrico, et Spitigneo patrueli se illi cum suis copijs coniunxerat, ad fines Poloniae accessisset. Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha, cum utroque fratre Mieczslao et Henrico, illi ad terminos Regni Poloniae occurrit, et per omnes regiones Poloniae regio subvectus, Regio apparatu excepit, omnesque sumptus et commeatus quibus exercitus Regius indigebat, liberaliter ut Regi Romanorum et se conveniens erat, subministravit, et in honorem Caesaris, pontes in fluminibus, transitusque difficiles muniunt. Qua quidem comitate adeo se Boleslaus et fratres sui Mieczslaus et Henricus Conrado Romanorum Regi et suis Principibus insinuaverat, ut alienatione mentis, quam contra illum ad Vladislai Ducis Polonorum suggestionem conceperat, abrogata, miro illis affectu et familiaritate iungeretur. Egit tamen Romanorum Rex Vladislai Ducis Polonorum apud Boleslaum et fratres suos causam, instansque, quo in Polonia moratus est, non desijt, ut Boleslaus Polonorum Dux et fratres sui praeteritarum iniuriarum obliti, cum Vladislao

Duce in amicitiam redirent, Nec Caesar solum, sed et Vladislaus Bohemiae Dux ceterique Almaniae Principes ut cum fratre Duce Vladislao in gratiam redirent, Boleslaum et fratres eius crebris obsecrationibus perurgebant. Boleslaus contra haec eis multis facinoribus quibus a Vladislao Duce ipse et fratres sui petebantur, enarratis, omnium reconciliationum maiores motus perniciosioresque utrisque simultates, livores, bellorumque stridores, suscitaturam respondisset, in Caesaris tamen potestate postquam passagio prospere acto rediret, se et fratres suos futurum pollicebatur. Ita Caesar rebus Vladislai Ducis Poloniae magis tentatis quam sanatis, nolens tam munifico et amico hospiti molestus esse, ex Polonia per Russiam et Valachiam procedebat. Indeque non per Poloniam solum sed per Russiam et Valachiam prosequente Boleslao Polonorum Duce et praeparante omnia, ad mare Euxinum perventum est, Ubi et Caesar et Principes navibus ad id praeparatis, milite et armis impositis, versus Constantinopolim navigarunt, et apud Iconium cum Ludovico Francorum Rege et Principibus Galliarum et Hispaniarum coniungens, res terrae sanctae aliquanto tempore prospere gerens Ascalonam capit. Licet multi de peregrinis Alexio Constantinopolitano Imperatore et Graecis calcem farinae immiscente infirmati obierunt, Sed nec Deus Alexii Imperatoris facinus tam horrendum tulit, nam et ipse pessima morte et omni genere suum interiit. Ex Baronibus insuper et militaribus Poloniae aliqui voluntarii cruce assumpta praemium propositum meritum, secuti Imperatorem transfretarunt, et in suo exercitu donec rediret militando versati sunt

Martinus Posnaniensis Episcopus annis decem et novem Pontificatu administrato obiit et in Ecclesiae Posnaniensis choro sepultus, Boguphalum genere Polonum nobilem de domo Rosa Custodem Posnaniensem per Capitulares concorditer electum, et a Iacobo Gnesnensi Archiepiscopo, Mieczslao Duce Posnaniensi apud Gnesnam confirmatum, et in Posnaniensem consecratum habuit successorem

Suggestione Hostis generis humani Duces Russiae videlicet Georgius Roscislaus Oleh et Swantoslaus sti-

mulis

multos invidia agitat, contra Iaslaum Kyoviensem Ducem insurgunt, de sede Kyoviensi illum expulsuri. Qui collectis copijs vadit contra eos, et quamvis Metropolitus Kyoviensis recipere pacem multifariam repromisisset, Iaslaus tamen in multitudine sui exercitus confisus, fideli consultatione reiecta congreditur, et multis suis inde cadentibus ad extremum succumbit. Pluribusque de suis aut desideratis aut captis, ipse fugiens venit in Kyow, obsidionemque a victoribus veritus, uxore recepta et filijs in Luczko divertit. Georgius vero Dux ceteris illum Ducibus adiuvantibus primum Pereaslaw ingressus, posthac in Kyow pervenit, et in sede paterna et avita consedit. Iaslaus autem Dux et sedem Kyoviensem recuperaturus et cladem acceptam correcturus, coepit in Polonos et Ungaros donativum erogare, veneruntque illi in suffragium, in hyeme anni eiusdem, duo germani videlicet Boleslaus Cracoviensis et Masoviae, et Henricus Sandomiriensis Duces cum gentibus et militibus suis, venerunt et Ungari, integramque hyemem apud illum immorati, ad decernendum cum adversarijs suis astuabant, positis circa Czemurin stationibus. Verum videntes cum cunctanter omnia agere, et virum pavidum esse, tam Duces Polonorum Boleslaus et Henricus, quam Ungarorum copiae faciunt ab illo discessionem. Quo Duces Russiae comperto, veniunt contra illum, videlicet Georgius Dux Kyoviensis cum duobus filijs Roszislao et Andrea, Item Vuieczeslaus frater Georgij, pluresque alij Duces auxiliares, et obsident Iaslaum in Luczko, non sinentes aliquid ad obsessos importari. Cum autem Iaslaus diutius obsidionem tolerasset, auferunt illi Duces usum aquae. Qua necessitate difficultateque Iaslaus cum suis perculsus, pacem, quam alias spreverat, per Vlodimiriensem Ducem coepit petere. Cuius petitioni Roszislaus filius Georgij Kyoviensis, et Georgius filius Iaroslai Duces adversabantur. Andrea vero filio Georgij Kyoviensis pacem dari petitam persuadente, Georgius Kyoviensis Dux cum ceteris Ducibus

Russiae

Russie, in eius sententiam vadens, pacem cum Isaslao conficit, et eam firmat iuramento, solutaque obsidione in Kiow revertitur.

Post discessum Vladislai Ducis Bohemie in terram Sanctam, Sobieslaus filius Sobieslai Dux Bohemie, sed de patria exulatus, ex Almania redit, Ducatum Bohemie, Duce Vladislao absente, faventibus et adiuvantibus nonnullis Bohemorum Baronibus spem suam, invasurus. Verum dum plerosque Barones Bohemie dulcibus sermonibus et promissis ad votum suum inclinare contendit, a Theobaldo Duce Bohemie Vladislai germano, cui Bohemiam regendam Vladislaus commiserat, capitur, et custodie carcerali deputatur in Przemunda, bellumque intestinum in Bohemia attemptandum captivitate prefati Sobieslai oppressum est.

Duodecima Iulij moritur Wszewoldus Dux Kyoviensis, et Dux Igor filius Wszewoldi occupat sedem Kyoviensem. Quod cum Kyoviensibus molestum fuisset, Dux Izaslaw Pereaslaviensis ab eis accersitus venit in Kyow. Contra quem etsi Dux Igor cum fratre suo Swantoslao egressus fuisset, dimicatione tamen non tentata, fugit uterque. Et Izaslaus in castrum Kyoviense introyt cum favore et gloria. Post quatuor autem dies Igor cadit etiam ad Izaslaum captivus, quem in Monasterio Sancti Joannis in Pereaslaw adhibitis custodibus tenuit in carcere, cuius cruciatus evasurus petivit ut liceret sibi in sacerdotem tondi, et permittente Izaslao tonsus est. Et post multos dies conspirantibus fratribus Igor, ducibus de Czyrnyow, seditione Kyoviensium exorta, quam Volodimirus frater Izaslai sedaturus parum abfuit quin et ipse vulneraretur, de Ecclesia in qua Igor orabat eductus interficitur.

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

Vix anni dimidio in terra sancta Conradus Romanorum et Ludovicus Francie Reges et Principes qui secum una illuc laturi Christianis auxilium conferre venerant immorati,

dum vt

dum, ut præmisimus, magna multitudo militum ex pane calce et farina, malitia Græcorum et Turcorum recepto, infecta deperiisset, in regna et principatus suos irritatis magis quam confirmatis rebus terræ sanctæ revertuntur. Conradum itaque Romanorum ex passagio prædicto reversum, Vladislaus Polonorum Dux exulum in Almania agens accedit, et ut rebus suis filiorumque suorum consulat, flagitare cœpit. Conradus vero quia in sua ad terram sanctam profectione, a Boleslao Polonorum Duce specificatus erat, singula pro arbitrio suo Boleslaum Polonorum Ducem in ea re obedienter facturum, Vladislaum Ducem et ipse quibus potest verbis eam spem regni confirmat. Mittuntur itaque a Conrado Romanorum Rege ad Boleslaum Polonorum Ducem nuntii, qui Boleslao apud Cracoviam offenso mandata Cæsarea edicant, precenturque, ut pollicitationi sua præstita virtute Vladislaum Polonorum Ducem in sortem suam et Cracoviensem ac Slesiaticum principatum restituat, commiserationemque fratri tanto tempore cum uxore et filiis exulanti impendat, satis eum pœnarum pro temeritate et piaculo suo exsolvisse. Boleslaus autem Polonorum Dux legatis Cæsareis magnifico sumptu magnificisque donariis tractatis, ambiguum edit responsum, restitutionem Vladislai Ducis in Poloniæ Regnum sibi quidem et fratribus suis Mieczslao et Henrico animis non adversam esse, pro honore et benivolentia Cæsaris desiderio et voluntati sua se et fratres suos morem gesturos, sed non vereri se solum, sed etiam probe prospexisse et nosse reditum Vladislai Ducis statum Regni Poloniæ sacrius pacificum turbaturum, cladibusque et sanguine civili fœdaturum, proinde in re taliter qualificata sic utrisque cum pari sanguinum utrisque sibi iunguntur. Cæsarem prospicere æquum censebant, ne dum suæ instantiæ et decreto paritum sit, bellicus furor inter fratres altius serpens mutua collisione Regnum Poloniæ horrenda pernicie, ipsi etiam Cæsari miserabili involvat.

Absumptus est eo anno Jacobus Gnesnensis Archiepiscopus vir optimus et gravissimus, qui in Ecclesiae Gnesnensis regimine multas de se probitatis et virtutis monstraverat, et in Ecclesia Gnesnensi pontificali honore tumulatus, annos octo et viginti vivens. Successit autem ei Joannes alias Janick sive Janislaus Vuratislaviensis Episcopus de Ecclesia Vuratislaviensi, ordinante Boleslao Crispo Polonorum Duce, a Papa Eugenio tertio translatus. Wratislaviensi vero Ecclesiae ex translatione Janicowdi vacanti, Vulterus polonus genere praefectus est Scholasticus Cracoviensis et Canonicus Wratislavien., a Gnesnensi Archiepiscopo Joanne iuxta electionem Canonicam confirmatus et consecratus, nobilis de domo Zadora. Qui Ecclesiam Vuratislaviensem ad id tempus ligneam muro fabricavit, et Ecclesiae Lugdunensis ex Gallijs habitum et cultum in eam introduxit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVADRAGESIMVS NONVS

Ambiguum Boleslai Polonorum Ducis et fratrum suorum Mieszlai et Henrici responsum, Conradus Romanorum Rex ad nauseam et fastidium accepit, et ignibus iracundiae contra Boleslaum Polonorum Ducem et fratres eius Sanctus, etiam per Vladislaum Bohemiae Ducem, qui partes Vladislai Polonorum Ducis, in Boleslai Ducis et Polonorum odium promovebat, pluribus ad id accendebatur irritamentis. Ipse insuper Vladislaus Polonorum Dux in conspectu Conradi Regis assidue versatus, ut in patriam restitueretur, non tam quotidianis precibus et querelis, sed ipso solo aspectu commiserationem et pollicitum suffragium exagebat. Conradus itaque Romanorum Rex non amplius differendum ratus, expeditionem contra Poloniam indicit, Ex regionibus Almaniae imperio subiectis, tam pedestribus quam equestribus copijs collectis, Poloniam invasurus, et Vladislaum Ducem exulem et secum praesentem restituturus procedit. Sed et Vladislaus Bohemiae Dux Polonorum hostis quam Almanus infestior fortior, cum omni suorum exercituum ex Bohemis et Moravis collecto robore, personaliter adueniens, Caesareum exercitum suapte magnum frequentiorem effecerat. Crescebat Vladislao Polonorum Duci exuli certa reditus spes, et quanto propinquius Caesar et exercitus suus gradum et statiua promouebat, tanto ampliori fiducia respirabatur. Iam ad metas Poloniae peruentum erat, Odraque fluuius tunc solito undis intemperantior, et quidam motus ex Almania nunciati Conradum Regem, et suum exercitum attrahere et distinebat. Boleslaus interim Polonorum Dux fratribus suis Mieczslao et Henrico enixius adiuuantibus, etsi gentis quas hostibus opponeret ex Polonis tantummodo contraxisset, non tamen rem fortunae committere et in casum uniuersae dimicationis uenire, terente illum confertissimo hostium numero ex varijs nationibus et regionibus collecto, audebat, sed patrium morem sequuturus milites locauerat, qui in impeditis et iniquis locis Caesareum exercitum lacesserent, et occasionem bene gerendae rei non omitterent, plus se eo genere pugnae quam dimicatione aperta ratus perfecturum. Verum antequam res ad ferrum et arma veniret, ingenijs et verbisque magis quam acie dimicaturus, et super imminentem bellicam molem, cui se nequaquam videbat parem, dissoluturus, in Caesarea castra, petita et praestita securitate peruenit, in frequentique concilio a Caesare dato fraternis facinoribus Ducis uidelicet Vladislai expositis, adeo de iustitia sua atque aequitate disseruit, ut Caesar et Principes responsionem Vladislai Ducis ad liquidum satisfacile a furore concepto lentescerent, et de pace magis quam de bello agendum, componendisque fraternis discordijs putarent. Sed et ius hospitij quod Conrado Regi cum Boleslao Polonorum Duce erat, in Caesareum ne quid illi hostile moliretur feriebat pectus. Verbis extemplo Boleslaus Polonorum Dux res adiecit, et primum Conradum Regem, deinde primores Principum et Baronum, eos praesertim, quorum consilijs et monitis duxerat Regem agi, sumptuosa largitione et donatiuis peruicit permulsitque, ut discessionem reuersio

nemque

remq; frequentes decreverant. Nec in eo bello quod non inter domesticos solum sed etiam germanos gerendum erat, Boleslao Polonorum Duci et fratribus eius, quicquid Caesar aequum censebit acceptare offerentibus, immorandum. Et licet Vuladislaus Dux Polonorum adiutorio etiam Vuladislai Bohemiae Ducis fretus, id decretum quam maxime improbare et avertere conatus fuisset, principibus tamen et militibus Almaniae ad penates et coniuges redire anhelantibus, nullo pacto poterat infirmari. Motisq; altera die castris Conradus Rex cum suo exercitu et Vuladislao Polonorum Duce in spe sua frustrato in Almaniam rediit, et Boleslaus Polonorum Dux bellum ingens sine dimicatione et sine armis solo astu et prudentia conficiens, magnus et gratus in suis et exteris coepit haberi

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS

Maximo et periculoso bello, in quod universam Almaniam et Bohemiam constabat arma sumpsisse a Polonia Regno, ingenio et prudentia Boleslai Polonorum Ducis depulso, tranquillae apud Polonos res erant, Principes quoq; Poloniae aut iura reddebant populis, aut venationes tractabant. Non quievit tamen Vuladislai Poloniae Ducis instantia, quin Conradum Regem Romanorum in novam expeditionem Poloniae inferendam accenderet, consequutusq; fuisset Vuladislaus Polonorum Dux suarum molitionum effectum nisi interim Conradum Regem valetudo adversa oppressisset, cuius diutinus languor Vuladislaum Ducem instantiam suam remittere coegit. Nonnullas tamen possessiones et reditus Vuladislao Duci Caesar largitus est, quo et aequanimius restitutionem suam, bellumq; contra Poloniam instaurandum ferret, et honestati atq; conditioni suae congruum statum ageret. Sed et filium praefati Vuladislai Ducis minorennem Conradum nomine, propterea quod in tibia deformis esset, et ob id Loripedis cognomen sortiebatur, Abbati Fuldensi asservandum, et tam literis quam moribus imbuendum, ut successu temporis religionis eum amor caperet, commisit. Uterq; enim parens eius, ipsum ob deformitatem tibiarum Monasterio magis quam saeculo destinabat

Bogupsalus Posnaniensis Episcopus cum annis duobus sedisset, senio mortuum est confectus ac morbo. fato absumptus et in Posnaniensi Ecclesia sepultus est, Capitularibus discordantibus, Pianus Italus nobilis genere ab Eugenio Papa tertio provisus succedit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS PRIMVS

Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha cognomine Crispus Poloniae Regnum undique pacatum, et solium suae Monarchiae diminutae propria dimicatione iterum prosperatum, volens illi ampliorem pacis procurare amoenitatem et stabilimentum, cum Wszewoldimiro Russiae tunc Principe Haliciensi affinitatem iungit, et filiam suam Anastasiam accipit in uxorem, quae cum ampla dote a patre et Principibus Russiae Cracoviam deducta, Boleslao praefato copulata est, et nuptiarum solemnitas pluribus diebus Cracoviae habita, Praelatis et Baronibus Poloniae sua praesentia, militibus vero hastarum lusu, caeterisque militaribus actibus eam cohonestantibus. Exemplum eius Mieczslaus dictus Mesko, maioris Poloniae Dux secutus, alteram Wszewoldimiri Russiae Ducis filiam, Eudoxiam nomine accipit in uxorem, nuptiasque ex more apud Posnaniam celebrat, quae brevi tempore supervivens, masculini sexus prole fecunda obiit

Pianus Posnaniensis Episcopus, cum anno uno mensibus sex sedisset, fato absumitur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur, Cui Stephanus genere Polonus nobilis de domo Agricolarum, quae in campo rubro Rosam albam duobus vomeribus differt pro insigni, electus, et Capitularibus et a Ianislao Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus, et consecratus succedit, de Mieczslai Principis maioris Poloniae consensu

Mortuum hoc anno ferunt Ioannem de temporibus natione Gallicum, qui cum armiger Caroli magni extitisset, communem tamen et usitatam aetatis et vivendi modum excedens, trecentis septuaginta et duobus annis pro comperto habitus est vixisse, ut priorum aetate perfunctus magni miraculi specimen praesenti et futurae aetati de tam protenso vitae suae spacio vitae suo spacio reliquerit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SECVNDVS

Ex diutino languore Conrado Romanorum Rege ad meliorem valetudinem paulisper redeunte, Wladislaus Polonorū Dux in Almania cum uxore et filijs exilium agens, novis precibus Caesarem, ut sui et filiorum misertus, illum amplius exulem non pateretur fore, fatigat. At Conradus Rex etsi subventionem duci Wladislao decrevisset, subventionemque ipsam crebro polliceretur, imperij tamen rebus dietim ad se confluentibus impeditus, sperare magis Wladislao Polonorū Duci suffragium Caesareum quam̄ habere licuit. Moram itaque tam longam atque continuatam Wladislaus non ferens, militiam sibi saltem a Conrado Rege dari expetijt, quam cum liberalitate Caesaris impetrasset, Poloniam advenit, et duo castra superiori tempore a se constructa videlicet Grodis et Nyemcze ex trabibus roboribusque fortificat, fossisque et vallis munivit, et militum praesidio utrique imposito Wratislauiensē civitatem quae vicinior extabat, caeterasque Poloniae Regni oras affligere et infestare coepit. Non tulit eam Boleslaus Polonorum Monarcha iniuriam, sed cum utroque germano Mieczslao et Henrico et exercitibus dominiorum suorū consurgens, utrumque castrum obsidione vallavit, populationemque Regni sui prohibuit. Wladislaus Dux supervenientem obsidionem non ferens sed strenuis militibus in castris relictis ad Conradum pro solatio militum, quo obsidio solvi posset, rediyt. Et quamvis milites Wladislai animose castra fidei suae commissa tutati fuissent, longa tamen mora obsidionis fracti, dum et ex Almania ferendum subsidium spes eorum fefellisset, et fames primum, morbi deinde in corpora subrepsissent, castra Boleslao Duci et Monarchae, pacti ne quid hostile paterentur, tradunt.

Rediit ex Francia in urbem Eugenius Papa tertius et tam a clero quam̄ a populo cum tanto humilitatis fervore susceptus est, ut universa caterva in laudem suam vociferando in alta depromeret Benedictus qui venit in nomine Domini. Romanis omnibus pollicentibus nunquam se de ~~futuro~~ caetero illum sed nec successores suos in iuribus Ecclesiae Romanae vexaturos

Secundo Calend. Junij Geysa Ungariae Rex filius Belae caeci moritur, cum annis viginti regnasset, quatuor filios Stephanum, Belam, Arpad et Geyszam relinquens cui filius eius maior natu Stephanus in Regnum successit

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS TERCIVS

Maioris Poloniae Dux Mieczslaus propter prudentiam singularem indolis in eo ab aetate tenera relucentem Senex appellatus qui in Maioris Poloniae et Pomeraniae regionibus, quemadmodum in superioribus praemisimus, principabatur, Joannis Gnesnensis Archiepiscopi caeterorumque praelatorum et Baronum dominiorum suorum, actus persuasione et consilio, filiam Belae caeci Vngariae Regis mortui et sororem Geysae Vngariae Regis Gertrudim nomine, virginem et moribus et forma inclitam, accepit in consortem, Quae ex Vngaria in Poloniam traducta splendidam et magnificam dotem in vasis aureis et argenteis, caeterisque suppellectili invexit. Nuptiarum quoque solemnitas in Gneznensi civitate pluribus diebus sub frequenti plurimorum hospitum habita. Ea enim affinitas adeo expetita et accepta est, ut priorum veterumque discordiarum et bellorum inter Belam Vngariae Regem, et Boleslaum Polonorum Ducem Krzywousty vocatum, patrem Mieczslai interim, obliteraretur memoria, et inter finitima sibi Vngariae et Poloniae regna quies et animorum identitas atque tranquillitas perveniret

Vndecimo Calendas Martij Conradus Romanorum Rex Ducum Poloniae Boleslai, Mieczslai, Henrici, et Casimiri avunculus apud Haynbech, postquam de transmarinis partibus redierat continua infirmitate decumbens vitae decessit regni sui anno quintodecimo, sepultusque est in eadem civitate Haynbech. Hic licet imperialem benedictionem assiduo languore eum premente sortitus non fuerit, nihil tamen illi praeter solum titulum ad Imperialem deerat splendorem, cum et virtute militari fuerit strenuus, et in singulis actionibus prudens et animosus

Ne autem diutina esset Imperij vacatio, Electores imperij apud Francfordiam in Quadragesima medio Fredericum primum filium Frederici Ducis Sueviae et Conradi Romanorum Regis defuncti nepotem germanum in castro nobilissimo quod Stuffa vocatur, et altitudine sua aethera tangere videtur, natum, summo omnium favore et consensu. Magnam enim de se atque raram transmarinis partibus sub Conrado Romanorum Rege et patruo suo militans, probitatem civilitatemque non

ostenderat

Strauerat, in Romanorum Regem assumunt, qui ab Arnoldo Coloniensi Archiepiscopo Aquisgrani in Dominica Laetare coronatur. Hic successu temporis Fridericus Barbarossa cognomen, cum adusti crinis et colorij esset sortitus, octuagesimus sextus ab Augusto, strenuus nobilis atque facundus cognominatus Barbarossa

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMꝰ QVARTVS

Tribus Polonorum Ducibus et Boleslai Krzywousti filijs Vladislao videlicet Boleslao et Mieczslao, et terrenarum actionum occupationi deditis, et matrimoniali iugo alligatis, Henricus germanus illorum in genitura ordine quartus, cui Sendomiriensis et Lublinensis terrarum principatus obtigerat, a suorum Dominorum Baronibus et Consiliarijs ad nuptiarum faedus subeundum non poterat impelli. Sublimior etenim animi illum exasperat cura, magnusque animus terrenis et infimis contemptis, magna quaedam, quibus et virtus enitescere et prosperari dilatarique posset, meditabatur. Id tamen in desiderio suo praecipue versatum est, ut in terrae Sanctae subsidium, cuius pro ea tempestate a Regibus et Principibus Catholicis recuperatio agebatur, cum militia qua posset amplior se conferret, praesidium publicis Catholicorum rebus daturus. Quod cum superiori tempore et propter aetatem et propter bellorum patriam infestantium repressionem mandare executioni non posset, quietius tempus quo Poloniae regnum in pacis amaenitate siluerat nactus, voluntariorum militum facto delectu, in terram sanctam cum pulcherrimo militum apparatu, terris suis Sandomiriensi et Lublinensi in conditionem et gubernationem Boleslai Polonorum Ducis et Monarchae commendatis, transfretavit. In ipso autem profectionis suae articulo Ecclesiam parochialem in Zagoscz villagio suo ad flumen Nida sito, in honorem Sancti Joannis Baptistae fundat, et ampla illi dote dotata cum fratribus Cruciferis Hospitalarijs, qui et templarij vocitabantur, quorum religio propter defensionem terrae Sanctae magna colebatur devotione, cum ad illius defensionem primario respectu fuerit instituta, commendat in regimen. Postquam vero terram sanctam incolumis attigit, sancto sepulchro adorato, militiae Balduini Hierosolimorum Regis se coniungit, fortissimi militis in certaminibus cum Saracenis habitis, opera exhibens, martirij palmam se sperabat adepturum. Verum cum haec illi sors tunc obtingere non posset, anno integro illic exacto, aliquibus militibus suis partim in conflictibus huiusmodi occisis, partim intemperie aeris absumptis, in patriam sospes rediit, et fratribus germanis suis Boleslao, Boleslao et Mieczslao, quam universis Poloniae optimatibus maximo favore et animorum gratulatione exceptus est. Cuius relatione et qualitas conditio statusque, terrae sanctae, et quam acerrima, quamque fortissima cum Barbaris pro illius defensione aguntur, praelia, coepit vulgari et diffundi.

Cum Andrzeiowiense coenobium Cisterciensis ordinis in fundo nobilium Gryffonum Brzeznicza vocato, Cracoviensis dioecesis tenuibus redditibus provisum esset, nec numerus fratrum in eo Deo militantium subsistere illic posset, Joannes Gnesnensis Archiepiscopus, qui illius primarius extitit, dum adhuc minor illum haberet status, fundator, certas illi mensae Archiepiscopalis decimas, largitus est. Cui quidem loco antequam dominicalis esset, Maurus primum, deinde Radost Cracovienses Episcopi etiam aliquas decimas mensae Episcopalis Cracoviensis donaverant. Exinde autem locus ipse amplificatus et tunc quidem coepit subsistere, et in hactenus propterea divinitate subsistit. Contulit autem Monasterio praefato Joannes Gnesnensis Archiepiscopus praefatus, patrimonii sui villas, Brzeznicza, Kaliszelow, Potok, Lysskowo, Lanczno, Karsowo, Tharszawa, Chorzewa, Contulit et decimas manipulares mensae suae Archiepiscopalis Gnesnensis in eisdem villis consistentes. Maurus item Episcopus Cracoviensis Monasterium praefatum consecrando, donavit eidem decimas manipulares in villis Marowicze, Przemyczslaw, Conari, Mirsowo, Veglowie, Radost vero alius Episcopus Cracoviensis contulit decimas manipulares de mensa Episcopatus Cracoviensis in villis Borowa, Przecopa, Lunowo, Sasyque omnes utrique Episcopus Cracoviensis decimas Monasterio praefato inscripsit. Item praefatus Joannes Archiepiscopus Gnesnensis dedit eidem coenobio Andrzeiowiensi decimam manipularem in Holuszy mensae suae Archiepiscopalis. Item dedit decimam Lta aratorum quam postea Sprocifer consignavit in villis Zlotniki, Skotnyki, Rambuszecz, Jaslkowicze, Tarczicze, Szdanowicze, Craczow, Brzezna, Brzem, Item idem Joan. Archiepiscopus dedit haereditates istas, Vgrazd, Blonie, Czerzcze, Blonicza, Skowrodno, Kamenczicy, ad eum ex parte cognationis sui [illegible] devolutas. Item villas per eum emptas, Dzierzanska, Buskow, Propisow, Biala, Bezdin, Myzowa.

Mittit Isaslaus filium suum Mscislaum Polonos et Vngaros contra Volodimirconem conducturum. Et non venientibus Polonis veniunt Vngari, et Rex eorum Stephanus cum Msczyslao. Et Volodimirco Haliciensis Dux visa multitudine Vngarorum non audet confligere cum eis, sed ex occultis locis lacessit eos, et tandem incautus ab eis transit fluvium ubi plures ex suis occiduntur, alii capiuntur, alii submerguntur. Et fugiens venit in Przemisl, et sequutus est eum Vngariae Rex Stephanus et obsedit eum, et coepit petere Volodimirco pacem antequam veniret Izaslaus, a Rege Vngariae, et statim post haec venit Izaslaus cum exercitibus suis, et dimisso fratre suo Swantopelco cum exercitibus in terga venit solus ad Regem Vngariae Stephanum cum paucis. Et dum venisset ad fluvium San, offendit obstaculum, omnia vada quaeque fluminis Voladimirco Haliciensis Dux per suos equestres et pedestres occupaverat. Et processit Vngariae Rex ad fluvium cum suis exercitibus, et Volodimirco videns multitudinem magnam refugit in castrum Przemysl, multis de suis caesis aut captis, et videns se in angustia magna Volodimirco, coepit petere pacem. Et Izaslao Duce concedere pacem abnuente Stephanus Vngariae Rex dedit illi pacem, et pace conclusa discedit Rex in Vngariam, et Izaslaus in Kyow. Eodem anno venit Georgius cum filiis suis et cum Rostowczy et cum Szuszdalczi et cum Ducibus de Rezan, et vadit in Russiam versus Kyow, et Izaslaus exivit contra illum, et Volodimirco reversus est in Halicz. Dum autem esset Georgius apud Hluchow, veniunt sibi Polowczy in auxilium, in multitudine magna, et Dux Swantoslaus filius Olgi. Izaslaus autem Kyowienses mittit fratrem suum Rosczislaum in auxilium Isaslao Dawidowicz, et venit Georgius et obsedit Czirnyow, et fiebant pugnae magnae inter obsidentes et obsessos. Sed dum sensissent Polowczy advenire Izaslaum Czirnowiensibus in auxilium territi diffugiunt, quibus discedentibus discedit et Georgius et vadit in Nowogrod Sewierski, et relicto filio Vuasilkone vadit in Szuzdal

et Izaslaus

et Jzaslaus non inueniens Georgium apud Czyrnow, vadit versus Nowogrod, illicq; dedit pacem petentibus et reuersus est in Kyow, et Vuaszilko iuit ad patrem suum in Szuzdal, filium Mieczslaum mittens in Polowczos, qui solus existens vastat Polowczos et magna praeda equorum pecorum capta, etiam tabernaculis eorum potitur, et multos Christianorum soluit, et reuertitur cum gloria. Eodem anno Vulodimirko Haliciensis Dux moritur.

Eugenius tertius cum annis octo, mensibus quatuor, diebus nouem sedisset, Tiburi moritur, et per mediam vrbem fere cum totius Cleri et populi turba et maximo luctu in Ecclesiam Beati Petri in Vaticano deductus, circa altare sepelitur. Erat autem vir simplex, sed religiosus, adhaerebat namq; carni eius tunica lanea, et diebus ac noctibus cuculla, intus Monachi habitum retinens, extra, se Pontificem vestibus et moribus exhibebat; cui Anastasius tertius natione Romanus primũ Conradus dictus, ex Patre Benedicto successit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS QVINTVS

Famosam et celebrem Cistercensium religionem, et quae propter personarum in ea Deo militantium sanctitatem, super caeteras eo tempore relucebat, Mieczslaus maior Poloniae Dux, in suos Ducatus et dominia introduxit, et in Lubensz Dioecesis Vratyslauien loco, Monasterio constructo, religionem ipsam primus in Dioecesi Vratyslauiensi plantauit. Ducaliq; munificentia erga Monasterium a se fundatum, vsus, villas, oppida, introitus et praedia in dotem liberaliter illi contulit, vasisq; et vestibus necessarijs ad sacra et ornamenta spectantibus munifice insigniuit. Hunc locum veteranorum relatio ferebat templum Idolorum famosum quondam fuisse, dum Polonorum natio gentilibus ritibus et erroribus tenebatur astricta. In oppido insuper Kalisz Gnesnensis Dioecesis Ecclesiam ex dolatis lapidibus in honorem Doctoris Diui Pauli fabricans, praepositum, et aliquot Canonicorum numerũ in ea constituit, et dote sufficienti prouidit. Ad quae quidem opera pro laude nominis diuini et salute fidelium instaurãda non solum ipsius deuotionis ferebatur ardor, sed etiam Joañis Archiepiscopi Gnesnensis incitabatur persuasione, qui ad cultum Dei propensius in diebus suis augendum aestuabat

Udalricus filius Soberslai Bohemorum Ducis, dum Vladislai Bohemiae Ducis, qui patri suo Soberslao in Bohemiae Ducatu successerat, conspectum fugiens, in Alemania aliquanto tempore stetisset, in Bohemiam rediit. Verum Vladislaum Ducem non tam sibi pium ac propitium prout speraverat considerans, tyrannidemque suam pertimescens, cum suis sequacibus in Poloniam cui pater suus Soberslaus pro beneficiis acceptis, plures hostilitates intulerat, diffugit, et a Boleslao Crispo Polonorum Duce et Monarcha, modo susceptus et recollectus, sed etiam prospere ac favorabiliter habitus est.

Anastasius **tercius** cum anno uno mensibus quatuor, diebus quatuor et viginti sedisset, moritur, et in Ecclesia Sancti Petri in Concha Porphiria accepit sepulturam. Post cuius mortem Albanensis Episcopus et Cardinalis Nicolaus natione Anglicus, qui Adrianus tertius vocatus est, in summum Pontificium succedit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SEXTVS

Operum suorum bonorum Mieczslaus maioris Poloniae et Pomeraniae Dux, quae in fundando Coenobio Lubin., et Ecclesia Sancti Pauli in Kalisz, in collegiatam erigendo, egerat, mercedem et fructum gloriosum excepit. Coniunx etenim sua Gertrudis Ducissa filium illi peperit. De cuius nativitate Mieczslaus Dux exhilaratus, in Posnaniensi civitate, curia indicta, solennitatem baptismorum diebus aliquot celebravit, nomenque filio in baptismate Ottho imposuit, ne Caesarum Ottonum ex quibus ipse materno sanguine satus erat, nomen obliterari posset.

Lustro uno Stephanus Posnaniensis Episcopus in Pontificatu exacto Paralisim incurrens moritur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur. Cui Radimanus Scholasticus Posnaniensis substituitur, per electionem Canonicam, nobilis de domo Srzeniawitarum, a Ianislao Gnesnensi Archiepiscopo confirmatus, et in Ecclesia Gnesnensi de consensu Mieczslai maioris Poloniae Ducis benedictus.

Fridericus Romanorum Rex vocatus Barbarossa, collecta Germaniae Principum et militum multitudine, in Italiam, imperialem benedictionem accepturus processit. A quo cum Veronenses pro transitu pecuniam exigendo, iter suum retardarunt, promissa pecunia, difficultatem dissolvit, et duodecim Veronensium legatos ad se pro pecunia venientes in patibulum egit. Terdona munitissima civitate victa, Spoleto vero exusto, Romam perveniens, ab Adriano Papa, cum magno gaudio omnium susceptus, et in Imperatorem coronatus est. Coronationem autem suam ingens seditio secuta est. Nam Romani in porta Sancti Angeli familia sua inuasa, dum plurimos trucidassent, rumore verso a Caesareis militibus victi, et magna caede, adeo ut Tiberis sanguine interfectorum rubras undas ostenderet, domiti sunt. Agente tamen Adriano Papa pacificatus est Imperator Romanis, et plures qui capti fuerant Romanos absoluit. Et quamuis Imperator magna fuerit Adriano Papae familiaritate coniunctus, post Imperatoris tamen ex urbe discessum, plures simultates inter eos conflatae et aliquanto tempore ventilatae sunt, cum Papa coronationem ei praestitam, pro beneficio, Imperator pro debito computaret.

Swidgerus Crusuiciensis Episcopus cum annis tribus et viginti praefuisset, ex hepatis vitio moritur, et in Crusuiciensi Ecclesia sepelitur. Cui Honaldus genere Italus ab Adriano Papa quarto ad petitionem Capitularem, et Boleslai Crispi Poloniae Ducis et Monarchae prouisus. Sub cuius regimine de prisco Crusuiciensi loco in Vuladislauiam translata est.

Anastasia Ducissa Boleslai Crispi Poloniae Ducis et Monarchae consors primaeuo partu filium effudit. De cuius ortu pater laetitia singulari repletus, nomen illi suum Boleslaus imposuit.

Veteres hostilitates Isaslaus Kyouiensis Dux ultum iri satagens, contra filium Vulodimirconis Ducem Haliciensem mouet bellum. Utrisque autem copiis ad fluuium Sereth conuenientibus fit conflictus, a quo abstinere, et in Halicz redire Vulodimirconis filius, animus eminerat, rogatu militiae suae, coactus est. Utrisque autem pro victoria admitentibus fit caedes ingens, et tenebris inuoluti, et se inuicem non agnoscerent, et utrique abirent pro victis. Et captiuati sunt plures ex Haliciensibus per milites Isaslai, et plures Isaslai milites per Halicienses. Diffugientibus autem fratribus Isaslai, Swantopelco, et Vuladimiro, et filio suo Msczislao, remansit Isaslaus in loco certaminis cum pauca militia, sed timens ne iterum occuparetur per Halicienses, iussit occidi captiuos, exceptis nobilioribus, quos secum deduxit in Kyow.

Alexander Plocensis Episcopus cum annis septem et viginti Pontificatum gessisset, obijt et in Plocensi Ecclesia accepit sepulturam. Cui Vernerus Scholasticus Plocensis genere nobilis de domo Rosa concorditer electus succedit, Cuius electionem

Ianislaus Gnesnensis Archiepiscopus facile de consensu Crispi Ducis Poloniae, vir enim erat eximiae religionis in Deum, confirmavit, et apud Lanciciense Ecclesia in Plocense ordinavit Episcopum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS SEPTIMVS

Ex Italia et Gallijs Federicus Imperator discedens, in Almaniam rediens, omnium Principum Almaniae in Vuirczburk alias Herbipoli pro Pentecostes festo peragit conventum. In quo et filiam Burgundiae Ducis Beatricem sibi matrimonialiter iungit, et de bello Mediolanensibus inferendo, quos constabat aperta rebellione erga Caesarem usos esse, cum Principibus consultat. Inter haec et Vladislaus Polonorum Dux coram Caesare et Principibus causam suam agere coepit. Duodecimus, inquit, Caesar optime, labitur annus, ex quo cum coniuge et liberis, patria per fratrum odium et livorem pulsus in terris tuis indignum exilium ago, nec spei meae pollicitationique Caesareae aliquis effectus respondet. Praedecessor quidem tuus Conradus, dum crebris legationibus restitutionem efficere nequiret, armis illam effecturus, legiones in Poloniam duxerat, sed a fratribus meis Poloniae Ducibus falsis promissis et blanditijs victus, campo quoque detrusus est. Neque post hoc curis imperij et languore distentus, arma in mei restitutionem, licet id crebro polliceretur, resumpsit. Non mea me iam sors, sed filiorum, ne hi et ipsi in exilio mecum una consenescant, perurget. Quos consulam? quos deprecer? a quibus commiserationem sperem, praeter te unum Caesar quem in hanc diem colui, cuius quoque subventione et beneficio vivo, fratribus infestum et implacabilem animum gerentibus non habeo. Si te conditionis meae non miseret, saltim sororis tuae coniugis meae, quae et ipsa mecum exulat, et nepotum tuorum filiorum meorum, quos in viros, dum adhuc pueri nati essent, crevisse vides, miseria movearis. Dixit et tres filios iam adolescentiam transgressos, pulcherrimae et rarae indolis iuvenes, proceribus Imperatoris, quo facilius illum ad miserationem flecterent, admovit. Extorrem se factum habitationis patriae subintulit, terram in qua sit natus, negari sibi, Boleslaum, Mieczslaum et Henricum incubare principatibus suis, qui sibi et filijs per scelus erepti forent. Dux deinde Bohemiae Vladislaus livoris magis in Polonos, quam pietatis in exulem respectu, ne id ludibrium ferret Caesar, pertinaciamque Poloniae Principum suo calcaneo adversantium domaret, admonuit. Vniversi deinde Principes Almaniae, huic petitioni assensi, et restitutionem Vladislai Polonorum Ducis

efficerent

efficeret, Caesarem consiliis, precibusq. impellebant. Vuladislaus enim Polonorum Dux et ex continuo contubernio, et ex diuturna mora fere omnium sibi Almaniae Principum et familiaritates et amicitias meruerat. Fridericus autem Caesar cum et suapte ad ferendum exuli subsidium moveretur, surgentibus tamen Principum sententiis et precibus adeo ferventius accensusq. est, et priorem in Polonos quam in Mediolanenses expeditionem indiceret, et exulis causam per prius agi quam propriam mallet. Verum quia aestate illa expeditio ipsa minime propter temporis defluxum proventura videbatur, quo iustior belli causa esset, mitti primum ad Duces Poloniae qui nomine Caesaris restitutionem exulis admonerent, belloq. inferendo terrerent, placuit legatos. Hi cum ex eodem conventu in Vuirczburk habito missi essent, Boleslaumq. Ducem et Monarcham Cracoviae offendissent, imperialia mandata, ut erant instructi et iussi, coram eo et duobus reliquis fratribus Mieczslao et Henrico, quos gratia audiendae legationis praefato Boleslaus Cracoviam acciverat, ediderunt. Orabant autem ut Duces Vuladysla. fratri suo veniam errori, veniam transgressioni tribuerent, moverenturq. et si non germanitati, saltem calamitati hominis et Caesarea intercessione. Satis Vuladislaum Ducem pro delicto paenarum dedisse. Boleslaus autem Polonorum Monarcha fratrum et Consiliariorum suorum deliberatione legationem Caesaream differens, respondet, Nihil scire fratres suos, in Vuladislaum Ducem admissi facinoris conscios esse, neq. se fratri bellum movisse; sed illatum propulsasse, illum tam crudelem in se fuisse, ut non communionis sanguinis, non eorum adolescentia, non precibus, quominus ad exterminium eorum suos omnes conatus intenderet, moveretur. Indignum Vuladislaum Ducem venia indignum misericordia, et intercessione asserunt, qui omnis cognationis, omnis aequitatis oblitus, nec iuris divini nec humani sed nec iuris gentium sanctiones, nec patris testamento scripta legittima pati et custodire potuit imperia. Sed nec tunc dum se ad unius Posnaniensis castri angulum redegisset, precibus poterat Gnesnensis Pontificis Iacobi paterna obsecratione placari. Se quidem non tam impios esse, ut non velint fratri tantopere exuli misereri, sed vereri ne restitutus ad exterminium eorum ardentius, dum ambitioso animo exulceratus accesserit, intendat. Rogarent proinde Caesarem ut erga illos indignatione non moveretur

moveretur

ueretur, restitutionem fratris causa bellum, caedemque et exterminium multorum effecturam. Cum hac responsione Imperiales nuntij comiter et liberaliter habiti dimissi cum rediissent, Fridericus Imperator responsione ipsa magis offensus quam mollitus expeditionem contra Poloniam in futuram aestatem Vuladislaum restituturus, Almaniae Principibus et militibus pronunciat. Occasio belli haec maxime accepta, quod Poloniae Duces eius imperio calcitrabant, Imperatori enim Sacramentum fidelitatis praestare, et tributum quingentarum marcarum argenti annis singulis publico aerario imperij inferri, ab eis exigenti negabant, satius ducentes mori quam Poloniae Regnum subijcere tributo, aperteque et audacter respondebant, nunquam se sub Imperio aut tributo fuisse; et non clanculum, sed manifestam oppositionem se pro libertate facturos moliebantur

Edidit et hoc anno consors Mieczslaui Maioris Poloniae et Pomeraniae Ducis Ducissa Gertrudis alterum infantem, cui matre obsecrante Stephanus nomen inditum est. In Vngariae enim Regno Stephanus Rex suus nepos ex fratre germanus principabatur, nec multo post, dum puerpera obijt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS OCTAVVS

Boleslai Monarchae Ducisque Poloniorum et fratrum suorum Mieczslaui et Henrici responsione Fridericus Romanorum Imperator irritatus, magnas concepit iras, et in Herbipoli comitio suo decreto satisfacturus, expeditionem in Poloniam mouet, Maximumque tam equestribus quam pedestribus copijs per Saxoniam exercitum traducturus, mense Augusto illam ingreditur, Cui in Saxoniae finibus Vuladislaus Bohemiae Dux cum Bohemis Morauisque se coniungit, et exercitum Imperatoris per se magnum effecit ampliorem. Omnes enim imperij vires et omnem Almaniae nationem, Francos, Sueuos, Rhenenses, Bauaros, Saxones, Lothoringos, Misnenses, et quod magna execratione poterat videri, ipsos etiam Morauos, et Bohemos, unius pene et nationis cum Polonis et linguae, contra Poloniam vidisses infesta arma induisse, Imperator itaque Fridericus contra Polonos procinctum mouens, cum maximis copijs ad fluuium Odram cum magna difficultate penetrauit, et undecimo Calendas Septembris Odram cum omni exercitu, praeter opinionem Polonorum tamen, vadant. Boleslaus itaque, Mieczslaus, et Henricus Polonorum Duces, quamvis et ipsi cum suorum militum exercitatissimo robore Imperatori Friderico occurrissent, vires tamen suas metiendo, dum illas constaret, hostilibus multo inferiores et dispares, hostem ex insidiis et paludinosis et iniquis locis lacessere contenti, in discrimen notorium universae dimicationis non veniunt, Turmis quoque militum et belli muneribus inter se partitis, in loca diversa abeunt, atque ex illis hostes incautius praedatum aut pabulatum progressos aut capiunt aut interimunt. Omnia insuper loca per quae Imperatorius exercitus transiturus erat, et eis vicinora, interque castra et oppida munita, videlicet Glogow et Bitom, igni incendio consumunt, quae res in magnas difficultates, commeatu et pabulo deficiente, Imperatorium exercitum induxit. In singulis quoque stationibus magnus equorum numerus fame tabefactus subsistebat, frequentesque milites ex ordine equestri ad peditum numerum redacti erat. Nec pabulatores sine manifesto periculo ad remotiora loca progredi poterant, quaerendi pabuli gratia, periculosis insidiis aut trucidandi, aut capiendi, crebra quoque priorum mors et trucidatio, reliquos adeo terruerat, ut in singulis sylvis, rubis, aut silvetis, insidias Polonorum consistere verebantur. Accessit et amplior exercitui Caesareo pernicies, mollia enim et delicata Alemanorum corpora, et vini aut cerevisiae ex hordeo coctae quorum in Polonia usus non est, assueta, ex assiduo aquarum haustu, in dyssenteriam prolapsa sunt, Adeoque dyssentericus morbus in eorum corpora vulgatus erat, ut maiorem partem Caesarei exercitus campestris pervaserit. Cumque grassationibus nulla arte nullisque herbis aut antidotis inhiberi posset, omnes a Caesare reversionem flagitabant, neque in male auspicato bello censebant cum sua pernicie et interitu immorandum. Caesar etsi vocibus precationibusque his, sed et suorum mortibus et aegritudinibus moveretur, pudore tamen ne coeptum bellum leviter omitteret, retrahebatur. Quid tamen ageret, aut quem fructum ex bello huiusmodi sperare posset, cum Poloni in aciem non prodirent, assidua perplexitate urgebatur, sed nec expugnationi castrorum aut urbium intendere poterat, quippe urbes rarae et castra apud Polonos ea tempestate habebantur, sed et pleraque Poloni sub adventum Caesaris propriis igni deleverant, nonnullas deseruerant, ad paludinosa quoque et avia loca diverterant. Sola itaque agrorum populatione tam validus exercitus et numerosus, contentus, tectis innocuis ignem iniiciebat, territoria quoque et districtus Vratoslavium tislauiam et Posnaniam incendio et spolio vastabat. Inter hac solertissimus Imperator et expeditionem illam, cuius illum saepe poenitebat, et destitutionem suam, quam famis et morborum pernicies militumque clamor et vociferatio exigebat, honestaturus, sicut Vladislaum Bohemiae Ducem velut communem partium amicum egit, ut Polonorum Duces Boleslaus, Mieczslaus, et Henricus, pacem a Caesare expeterent, certitudine facta eos pacem consequuturos. Bohemiae itaque Ducis pollicitatione Polonorum Duces permoti, sub securitatis conductu in Caesarea castra apud villam Crisogune statiua habenti perueniunt, et in tabernaculum imperiale, ubi frequens Consiliariorum numerus conuenerat deducti, per organum Boleslai verba faciunt. Si scrupulosius, inquit, Caesar optime et nostram et fratris nostri Vladislai, in cuius restitutionem et fauorem bellum nobis infers, causam examinasses, nequaquam contra nos hostilem animum induisses. Ea enim iustitia causam nostram reor praeditam, ut magis illi defensa quam vexatio debeatur. Qui etsi tuus gener sit, inficiari tamen non potes, et nos de sanguine tuo satos esse. Nobis quidem persuasum est, neque tibi, neque tuorum cuiquam fratrem nostrum Vladislaum exulem supplicem iniuste affectum videri, quo tres omnes nos fratres suos, nisi iusto Marte concussisset, affecturus erat. Et quamuis plurimis damnis patriam nostram sine demerito afflixeris, in castra tamen tua venimus, singulis causis et querelis fratris nostri Vladislai, propter quae praesens bellum initum est, iusta responsione satisfacturi. Ad ea Romanus Imperator, Diuturna, inquit, fratris vestri Vladislai calamitati cui nullam miserationem a nobis et praedecessore nostro Conrado rogati praestare voluistis, moti, in praesens bellum descendimus, quod etsi maximo geratur sumptu, humanitas tamen nostra tanta est, ut facile nobis ignoscat, si frater vester Vladislaus plenam suorum Ducatuum sortem acceperit. Interponuntur post hac placitationum tractatus, et inter Imperatorem Fridericum Ducesque Polonorum sub duabus conditionibus pax componitur, ut videlicet fratrem Vladislaum suis Ducatibus Duces Polonorum restituant, et trecentas lanceas Caesari in bellum Mediolanum mittant. Et dum utraque conditio a Ducibus Polonorum, Boleslao, Mieczslao, et Henrico accepta esset, Imperator Fridericus ex agro Poloniae legiones deducens, in Alemaniam multis suorum amissis reuocauit. Neque solum Ducibus Poloniae pacem sub conditionibus dedit, sed etiam affinitatem cum illis iunxit, Mieczslao Maioris Poloniae et Pomeraniae Duci neptem suam Adelaidam dando cum dote insigni in consortem

sortem, magis diuturnam existimans pacem, ad cuius aequas conditiones sanguinis vinculum adiiceret. Purgat etiam se tunc Boleslaus Poloniae Dux cum fratribus iureiurando, quod fratrem suum Vladislaum non ad ignominiam imperii expulissent, sollicitus pro die nativitatis Christi ad curiam in Maydburg venire personaliter et iuxta iudicium et sententiam Polonorum et Bohemorum super expulsione fratris sui Vladislai respondere, et parere. Omnibus tamen quae promiserat neglectis, nec ad curiam Caesaris pro die constituto venit, nec sufficientes pro se procuratores misit. Italicam tamen expeditionem adimplevit magnifice et animose

Anastasia Ducissa Boleslai Polonorum Ducis consors filio edito, cui Lesko nomen datum est, morte absumpta est. Ex cuius obitu Boleslaus Dux diuturno cruciatus maerore alteram superducere aliquanto tempore abnuebat

Eclipsis notabilis Solis eo anno nonarum hora apparuit et Hierusalem sancta, a Soldano Babiloniae capta est, Multis Christianorum militibus illic aut desideratis aut captis. Obscurationem autem Solis fames valida, qua plerique mortales consumpti sunt, sequuta est, quae Poloniam et omnes regiones notabiliter afflixit

Tredecima Novembris moritur Iraslaus Msczislawicz Dux Kyoviensis et sepelitur in Monasterio Sancti Theodori et Iraslaus Dawidowicz volens intrare Kyow non est permissus, a Wurczislao et Msczislao filiis Iraslai, et venit Rosczislaus ex Smolensko frater Iraslai et Kyovienses accepit sedem. Posthaec venit Hlis Georgii cum multitudine Polowczorum in Pereaslaw contra Msczislaum et Pereaslavienses fortiter resistendo dimicant secum, et discedit Hlis cum Polowczis ea nocte ex Pereaslaw. Et Rosczislaus assumens secum Swantoslauutonem Wszewolodowicz, Wszeczislaum Isaslawicz vadit versus Czyrniehow contra Isaslaum Dawidowicz. Et dum pertransisset nunciatur sibi mors patrui sui Wurczislai, ipse autem dimissis exercitibus suis, cum Swantoslao revertitur in Kyow, et in Ecclesia Sanctae Sophiae sepelit Wurczislaum. Et recepta militia vadit versus Czirniehow, Et audiens Iraslaus Dawidowicz, mittit pro Hlis Georgii, qui venit cum Polowczis in eius subsidium, et Rosczislaus cum suis exercitibus stetit circa Bolomucza, et exivit Iraslaus et Hlis contra eum et certabant sagittarii pro ripis. Rosczislaus videns magnam multitudinem Polowczorum territus est, et mittit ad Iraslaum, dando sibi pro se Kyow, et Pereaslaw pro Msczislao nepote. Quod audiens Msczislaus indignatius dicebat, nec ego habeo Perreaslaw, nec tu Kyow, et recessit cum militia sua, quod videntes omnes alij diffugiunt, et Polowczi eos persequuti, plures occiduntur aut captiuantur, caeteri disperguntur, Et Rasczislaus fugit in Smolensko, et Msczislaus et Swantoslaus Vuszewolodowicz procedunt fugiendo in Kyow, et captus est Swantoslaus Vuszewolodowicz a Polowczys, et Msczislaus euasit, et venit in Perreaslaw, et assumpta vxore sua vadit in Luczko, Kyouienses autem plurimum agrauati mittunt et recipiunt Isaslaum in Kyow, qui locat Hleb in Perreaslaw, Polowczijs patrantibus multa mala circa Perreaslaw, Colonias comburentibus atque villas. Post haec Georgius venit versus Kyow, et post multos tractatus cessit sibi Isaslaus de Kyow, et sedet Georgius in Kyow sede sua auita, et distribuit regiones inter filios Andreae, dat Vuiszehrod Vorzisch, Thurow Hleb, Perreaslaw, et Vuaszilkoni Porszy

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS QVINQVAGESIMVS NONVS

Ad patriam et principatus suos ex diuturno calamitosoque exilio, quod in Almania octo annis tredecim cum coniuge et liberis, stipe aliena et precario viuens, Vuladislaus Polonorum Dux pertulerat, quos sibi fratrum benignitas iuxta foedus cum Friderico Caesare ictum restituendos spoponderat, reuersurus, arma, equos, quadrigasque et subuectiones caeteras, quibus sarcinae deferri possent, et pro reuersione in patriam et rehabitione dominiorum cupidus expediebat, Cum interim languor grauissimus illum occupat, a quo hebdomadis aliquot excruciatus, quarto Nonas Iunij mensis, tandem animam exhalat, et in Aldenburh accipit sepulturam, Quem in eundem locum et consors sua Cristina vsque quo fatis intercepta est inuoluit, Cuius consilia et persuasiones Vuladislaus sequutus, propria perdidit, qui vsurpare nitebatur aliena, primumque exul deinde et hostis patriae habitus est, a cuius possessione et ipso suae restitutionis limine excidit, et temeritati quondam suae, et in exterminio fratrum, et in caecatione Petri Dacii Comitis Skrzynensis patratae poenas iustas dedit, et in exilio contabescens, exulisque more in alienis sedibus occumbens, neque propriam patriam propriosque Principatus et penates, quamuis restitutione satisfacta, contingere licet, quemadmodum Iacobus Cantuariensis Archiepiscopus maiorem in modum eius vicem dolens, talem rerum suarum illi occinerat exitum euenturum. Post cuius e vita excessum tres filij videlicet Bo-

leslaus, Mieszlaus, et Conradus Principes ab eo relicti in Poloni
am redire cunctabantur, veriti ne pro patris sui facinore a patruis
grave aliquid in illos consuli contigisset, et non in patrem solum
sed in filios diffunderentur sceleris correptio. Esto nonnulli asserant
Vladislaum Praefatum Ducem in Poloniam cum Pignoribus et sup
pellectili tunc remissum, tria castra Imperatoris sumptibus et
suffragio videlicet Vratis, Grodiez et Nimpcze aedificasse, vel
lumq; fratribus renuisse, pro quo respondendo dum ad colloquium
in Plodek cum fratribus venisset veneno extinctum fuisse.

Fridericus Imperator cum et ex Almania Italia Bohemia
caeterisq; nationibus et Regni frequentem exercitum adunasset, tre
centi quoq; illi lancea viris armis equisq; insignes per Duces Polo
niae Boleslaum, Mieczslaum, et Henricum, Ita ut unusquisq; Du
cum centenarium expleret, in solatium suae contra Mediolanen
ses expeditionis missi, cum validissimis itaq; legionibus Itali
am ingressus Brixiensem primum regionem vastat, deinde Me
diolanum obsidere aggressus, cum plures illic Principes et milites
in civitatis oppugnatione amisisset. Mediolanensibus victis se
dentibus, victus et ipse a misericordia pacem dedit, et obsidio
nem solvit, legionesq; in propria redire iussit. Sed Mediolanenses
brevi post dolosi Iusiurandum Imperatori praestitum praevari
cati, magnam stragem, castra ditionis Imperatoriae conquiren
do fallaciter, ediderunt, Vladislaus autem Bohemiae Dux quo
niam in expeditionem huiusmodi contra Mediolanenses perso
naliter se contulerat, in sui laboris praemium a Friderico Impera
tore in Bohemiae Regem coronatus est, abrogatisq; veteribus insi
gniis nigra videlicet Aquila, novis albo videlicet Leone insignitur.

Adrianus Papa cum annis quatuor, mensibus octo,
diebus viginti octo sedisset, moritur, et in Ecclesia S. Petri honori
fice sepelitur. Vir eruditus, strenuus, largus, facundus, et in omni
bus actibus suis gloriosus, cui Alexander tertius Rulandus
antea vocatus patria Senensis patre Romano a maiori parte Car
dinalium electus renitens et indignum se hoc onere vociferans
successit. Eligitur etiam Octavianus qui Victor dictus est, et gravi
us Scysmate Ecclesia turbari ex tunc coepit, Octavianus prima
Dominica Septembris, Rolandus decima octava Septembris in Papas
consecrantur

Kijoviensis Dux Georgius gravem et iratum animu
contra Ducem Msczslaum Perestaviense Ducem filium Isa
slai

slai gerens, non contentus illum de Pereaslaw expulisse, ordinatis et congestis exercitibus, et in potestatem Georgij Iaroslawicz et Iaroslai Ducum commissis, ipsos contra Mscislaum Ducem in Przesopnicza se continentem transmittet. Qui terrore hostili actus, cum se imparem futurae dimicationi videret ex Przesopnicza fugit in Luczko. Et castro Luczko in fidem et defensionem fratris german. Iaroslai commendato, ad Polonorum Duces Boleslaum, Mieczslaum, et Henricum confugit, intelligens et pro comperto habens quod Georgius Kijouiensis etiam ad exclusionem suam de Luczko aspiraret, copiasque congereret. Principes autem Poloniae videlicet Boleslaus Cracouiensis, Mieczslaus Posnaniensis, Henricus Sandomiriensis, exule Msczislao benigne excepto, et omnibus necessarijs apud se foto, congregatis dominorum suorum potentijs versus Russiam hostiliter procedebant, Msczislaum Ducem non in Pereaslauiensem tantummodo sed etiam in Kijouiensem sedem restituturi. Potentiam autem Polonorum Georgius Kijouiensis Dux veritus, per medium Roscislai Ducis Przemisliensis pacificatur cum Msczislao Duce et germanis suis Vulodimiro et Iaroslao filijs Izaslai, et tam Ducatum Pereaslauiensem quam omnia quae ad eos pertinebant eis restituit; iurando se astringens nunquam ad occupationem eorum dominiorum aspirare. Qua reconciliatione inter eos confecta, Msczislaus Dux cum magna gloria rediit in Russiam, pluribus Polonorum militibus eum usque in Vuladimiriam comducentibus et plerisque remanentibus apud eum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEXAGESIMVS

Nona Mieczslaum Maioris Poloniae et Pomeraniae Ducis nupta Adlida Ducissa, nonum progenuit infantem, qui a Ioanne Gnesnensi Archiepiscopo in Posnaniensi Ecclesia baptizatus, Boleslaus vocatus est. Mieczslaus autem Dux de filij natiuitate exultans, corrogatis plurimis Polonorum principibus diem natalis filij praefati magna celebrauit festiuitate, et tam in Ecclesias, quam in ministros earum, viduasque, et orphanos gratia et liberalitate usus, multorum precibus et necessitatibus benigna concessione respondit. Affuerunt etiam solemnitati praefatae Boleslaus Crispus Polonorum Dux et Mongrola. In cuius honorem infans suo nomine vocitatus est, et Henricus Sandomiriensis Dux qui plurimis inter se vicissitudine variis transmissis muneribus in magna animorum tam charitate quam conformitate in sedes suas reuersi sunt. Verum quia inter sermones quos inuicem

Secreto Duces dissidebant, ut praecipuum extiterat, et Boleslaus Crispus Dux et Monarcha, viduitatis nomine exuto, alterum coniugale iugum experiri frequentibus fratrum et Consiliariorum persuasionibus expugnatus, Cracoviam reversus, Helenam virginem Principis Przemysliensis Rosczyski filiam recepit in consortem. Nuptiarum quoque solemnitas Cracoviae pluribus diebus acta est, ad quam Boleslaus et germanos suos, et Praelatos Baronesque universi Regni Poloniae, nonnullos quoque Russiae Boiarios et Nobiles invitatos et splendide tractavit, et liberalibus donavit honorariis donariis

Quatuor annis Henoldus Wladislaviensi Ecclesia potitus moritur, et in Wladislaviensi Ecclesia sepelitur, cui Rudgerius vir natione Theutonicus successit. Per Alexandrum papam tertium iussus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS SEXAGESIMUS PRIMUS

Frequentibus et acerbis iniuriis contumeliisque Fridericus Imperator Romanus, post datam acceptamque fidem a Mediolanensibus irritatus, cum et Nuntios Caesareos ad se missos probris affectos in mortem, nisi sibi per fugam consuluissent, destinaverat, et castris Caesareis quae in circuitu fuerant potenter et crebri in ipso Friderico adhuc in Italia agente expugnatis, milites suos in illis deprehensos aut necassent aut diris commisissent carceribus, Fridericus ipse nova expeditione indicta, Mediolanum fortissima militia obsidere coepit, tantoque contra Mediolanenses gratia et misericordia sua abusos, furore intumuit, ut iuraret se ex obsidione non nisi victa Mediolano discessurum. Boleslaus itaque altus Polonorum Dux, Wladislai Ducis et exulis primogenitus, ne ocio et desidia torperet, cum in patriam et principatum suum neque sibi neque fratribus tutum putaret reverti, duobus germanis Mieczslao et Conrado sub cura genitricis suae Cristinae in Almania relictis, in Italiam se contulit, et in castra Imperatoris Mediolanum obsidentis pervenit, militiam suam et animositatem ubi facto opus foret monstraturus. Sub ipso autem obsidionis tempore miles quidam Mediolanensium et roboris et staturae singularis, et quae ad Cyclopum staturam accedebat equis ex Mediolano prodibat, provocans Caesarianos milites, de viribus corporis fretos ad singulare certamen. Cumque pluribus diebus provocationemque ipsam repeteret, et omnes cedentes periculum declinarent, miles ipse improperiis erga Caesarianos usus, temeritatem

tem illis et mollitiem pectoris exprobrabat. Quae res ad demonstrandam Heroicae animi virtutem Boleslao Poloniae Duci materiam praestitit, et segetem fortuna ingenuis suis subministravit. Ipse siquidem Boleslaus Polonorum Dux gloriae famaeque avidus, cum et de corporis viribus satis fideret, et in nulla alia re quam in duellico de singulari certamine audaciam et virtutem suam aeque explorari, atque apud Imperatorem mereri posse videret, Imperatore Friderico etiam inconsulto et iniussu eius in certamen singulare cum milite gigantaeo aequis et ipse descendit, magnumque spectaculum utrique exercitui praebuit, cum et Imperatorii milites ex castris effusi et Mediolanenses ex turribus et moenibus eventum futuri certaminis cum silentio et magna omnium admiratione spectaturi convenissent. Subibat autem Caesarianorum militum vehementer indignatio atque cura, curtum difficile periculosum et dispar certamen Boleslaus Polonorum Dux iniussu Imperatoris et suorum praefectorum subiisset, et sese praecipiti immisisset periculo, magnum dedecus non tam sibi quam Imperatori et universo suo exercitui, si eum frangi contingeret, inusturus. Dissimulante tamen magis quam probante imperiali exercitu, singulare inter utrumque initur certamen, et rapacissimo equorum cursu infestisque lanceis primum concurrunt, et Mediolanense milite frustrante ictum, Boleslaus Polonorum Dux ad collum lancea excepit, vibrantisque, et lethali vulnere Gigas excepto, moribundus ex equo in terram defluxit. At Boleslaus nihil cunctatus cum vir rarae agilitatis esset, ex equo et ipse desilit, et iacentem gigantem obtruncat, armisque spoliatum cadaver exanime in palaestrae medio relinquit. Maximus subinde clamor a Caesarianis sublatus, maximam exultationem, quam universus exercitus Imperialis de triumpho conceperat, testabatur. Ad Caesarem deinde Fridericum Boleslaus Polonorum Dux spolia occisi Gigantis egregiumque suae virtutis testimonium referens, a frequenti militum Imperialium coetu, certatim eius virtutem probitatemque efferentibus deductus est, omniumque militum vociferatione concinna exoratus Caesar, quatenus Heroicum Boleslai opus in suam et sui exercitus amplissimam laudem patratum, absque digna retributione esse non sineret. Caesar autem et pro sui debito et pro Boleslai merito militumque precatione se gratissimo animo obtulit tam nobili facinori responsurum. Boleslaum tamen Polonorum Ducem, tunc quidem coram militibus collaudans, postea ad secretum colloquium paucis consiliarijs conscijs evocatum, temeritatis arguit, quod iniussu suo periculosum discrimen subijsset. Ego te, inquit Caesar, laudo et admiror Boleslae, probitatique tuae gratulor de qua universo exercitus mei testimonio tradi vir virtutis celebraris. Eo tamen uno offendor, quod discrimen notorium, me neque consulto, neque requisito aggredi voluisti, qui quanto mihi propinquior sanguine iunctus es tanto maiorem in modum amplior dolor atque ignominia si fortuna pro hoste stetisset ad me redibat tui proventura. Nunc quidem tibi ~~tanto~~ tuisque ausibus facile ignosco, admonitum tamen te esse volo, ne in posterum ad ea quae cum publico discrimine agenda sunt iniussu meo caeca temeritate prorumpas. His verbis increpitum, liberalissime tum muneratum dimisit, cui et tum et deinceps et a Caesare et Principibus suis atque universo exercitu maximus pro devicto hoste honos habitus est, in altiusque gradum sua crescere ascendereque coepit aestimatio. Sed et quorumque illum intueri aut versari contingebat, elegantis tum admirationi omnium demonstrabatur victor. Heroica quoque sua virtus universorum sermonibus celebrabatur, fugaverat enim in illo saeculo Israelita Philisteum, et loricatum Goliath David inermis in funda et lapide spectatus est occidisse.

Pridie Calendas Iunij Geysa secundus Ungariae Rex cum annis viginti, mensibus tribus, et diebus undecim regnasset, moritur, et in Alba sepelitur, in cuius locum Stephanus filius eius coronatur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEXAGESIMVS SECVNDVS

Magno in Deum et in meritum passionis Jesu Christi miles nobilis Iaxa de Miechow, dominus villae et armiger Cracoviensis Ducatus actus ardore, vir pro ea tempestate magnarum possessionum atque opum, in subsidium terrae Sanctae personaliter cum familiaribus atque armigeris suis profectus, aliquanto tempori illic moram gessit, et enixius quo poterat pro terrae Sanctae defensione cum suis militavit. In Poloniam autem

reversus

reversurus inter alia suae devotionis insignia apud Patriarcham sacri Sepulchri Hierosolimitani Monachum nomine et cruce conventum sub Sancti Augustini regula Deo militantium, biforcatamque crucem rubram deferentium obtinuit, ut secum unus ex Canonicis suis in Poloniam, ordinem praedictum in Polonia plantaturus, mitteretur. Tres itaque villas patrimonij sui videlicet Miechow, Zagorzycze, et Comorowo, in dotem ordini praefato conferens, in villa principali Miechow quam nunc in civitatem, frequentiam populorum et redditum habentem profecisse videmus, Collegium et primum Cenobium de speciali consensu et voluntate Matthaei Cracoviensis Episcopi constituit. His quoque non contentus aliud Monasterium in villa sua Zwierzyniecz prope Cracoviam sita pro virginibus Premonstratensis religionis ordinem profiteri volentibus aliquot villis etiam illud dotans erexit. Et ne temporis processu dotatio sua duobus locis praedictis facta, a suis proximioribus et cognatis posset labefactari aut infringi, suppliciter illam petijt a Boleslao Crispo Polonorum Duce et Monarcha confirmari. Cuius praestantissimis precibus Dux Boleslaus permotus et operi sancto confirmationem praestitit, et bona utriusque Monasterij per Jaxam collata, a Ducalibus servitijs omnibus et tributis liberavit, Statuit siquidem ut homines villarum huiusmodi ad expeditionem non vadant, castrum non aedificent, Poradlne et Stroszne non solvant, monetario non obediant, Ponuesz et podwodas dare non stringantur. Ea quidem duo Monasteria tunc per virum insignem Jaxam in aliquot villis fundata, expost Ducum, Episcoporumque et nobilium Cracoviensium donatione, decimis, oppidis, villis et notabilibus redditibus amplificata, atque impinguata sunt. Cuius autem stirpis aut quorum armorum miles Jaxa fuerit, parum ex veteribus authoribus et scripturis constat, licet aliquem agnomine illum communiter de Griffonum domo et genealogia extitisse.

Raduanus Posnaniensis Episcopus cum annis octo sedisset a passione iliaca correptus moritur et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur, cui Bernardus primus Canonicus Posnaniensis via scrutinij electus successit, a Janislao Archiepiscopo Gnesnensi, Mieczslai Ducis maioris Poloniae patrocinante consensu confirmatus et consecratus.

Pro tyrannide et saevitia quam in Lombardos et Tuscos Fridericus Imperator exercebat, ab Alexandro

Papa tertio reprehensus, in magnum furoris nubilum Fridericus Imperator excandescens, dum et a plerisque insimularetur, Mediolanensibus caeterisque Tuscis atque Lombardis contra Caesarem fauissent, Octauianum Cardinalem, qui et ipse a minori parte Cardinalium electus fuerat, contra Alexandrum erigit, qui se Victorem nominauit. Qui fauore Imperatoris facile vniuersum temporale dominium in Italia, vero Papa Alexandro spoliato, adeptus est. Tantis insuper persecutionibus et insidijs Alexander Papa tum ab Imperatore Friderico, tum ab Octauiano suo competitore petebatur, quod coactus est Romam et Italiam relinquere, et in Franciam se conferre. Quo cum peruenisset a Ludouico Francorum Rege honorifice exceptus atque humanissime habitus et tractatus est.

Foedere et iuramento quod Georgius Wlodimirowicz Kiyowiensis Dux cum Msczislao Izaslawicz et fratribus suis Wlodimiro et Jaroslao pepigerat temerato, bellum intulit ei, quo dimicare non audente apud castrum Wlodimiriense ipsum cingit obsidione. Fuerunt autem per omnes obsidionis dies pugnae horribiles inter obsidentes et obsessos, et sanguinis humani grandis effusio, Polonorum militibus qui in Msczislai Ducis erant obsequijs, egregia facinora assidue edentibus, in obsidentes, et triumphos frequentes referentibus ex eisdem. Contentus autem erat Georgius Dux pacem dare Msczislao, si illam petere voluisset, sed eo renitente dum nihil profecisset multis nobilibus de suis amissis confusus in Kiyow redijt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEXAGESIMVS TERCIVS

Obsidione prope triennali Mediolanensis urbs a Friderico Imperatore fatigata, fame insuper et nece frequenti suorum inedia succumbentium, pluribusque alijs incommodis vexata, tandem vi capitur et expugnatur. Cuius muros turresque Imperator dirui, et solo se inspectante mandauit aequari. Nec fortunis solum sed et sacris spoliare urbem victam aggressus, corpora trium Magorum, qui infantiam Domini nostri Jesu Christi venerati sunt, per Sanctum Eustorgium ex Constantinopoli miraculose quondam in Mediolanum translata, Item corpora Sanctorum Felicis et Naboris, per Rudolphum Coloniensem Archiepiscopum in Coloniam mandauit efferri. Mediolano autem deuicto, caetera Lombardiae et Tusciae vrbes, praeter Papiam quae

sola Imperatori parebat, in deditionem venire. Imperatorque vi
ctoria potitus, principes et gentes auxiliares pro maiori parte in do
mos remisit. Inter quos et Boleslaus Polonorum Dux spolia victi
a se Ligantis, imperatoriaque dona referens, remeabat. Scripsit au
tem Fridericus Imperator Boleslao Crispo Polonorum Duci et Mo
narchae; scripsit et Mieczslao, Henricoque Ducibus Polonorum pa
truis eius germanis in favorem Boleslai literas, virtutem
eius magnopere commendans, petens, et vigore pactorum se
cum initorum requirens, ut praefatum Boleslaum et fratres su
os Mieczslaum et Conradum ad suos principatus et dominia re
stituerent, praesertim cum pater eius Wladislaus non exilio so
lum diuturno, sed et morte scelus in eos admissum expiasset. Nec
literis solum contentus, etiam Nuncios qui haec ingeminarent, et si
preces et exhortationes parum proficerent, terrerent, ad Polono
rum Duces transmittit, qui Imperatoris nomine apud Polono
rum Duces verba faciunt. Quamvis, inquit Caesar, certum et ob
stinatum, noluisse vos in gratiam cum fratre redituros, agnovi,
eadem nequicquam cogendo illo superstite frequentia suffra
gia repetij, qui quoniam rebus humanis absumptus est, pi
gnorum saltem suorum et vestrorum nepotum vos miserabi
lis calamitas moveat, pudeatque quod soli patrij extorres, alie
nos lares stipe pene emendicata inhabitent. Hac legatione
Caesarea Boleslaus, Mieczslaus, Henricus permoti, cum et Cae
saris formidarent iram, et nepotum, Boleslai praecipue ma
ioris natu propter virtutes suas et decora misericordia move
rentur, petitionibus Caesaris assentiunt, veniam nepotibus se da
turos patrui scelus ignoscituros, ut intelligeret illos Caesar
suis iustis intercessionibus morigeros, respondent, fratri vero
non ignovisse, ne acceptus, bella et seditionis pericula prioribus
seruisset. Responsisque huiusmodi facta amicitiora adijciunt,
viaticum conferunt, Oram Slesiae quam Odra fluvius percur
rit, usque ad terminos Saxonicos et montes Bohemicos protensam,
duas habentem insignes, Wratislaviensem et Luburensem Diace
ses, in sortem perpetuam haereditatis illis attribuunt, certosque
milites qui nepotes praedictos ex Almania reducerent, transmit
tunt. Quos advenientes benigne et comiter appellatos exci
piunt, ac universam Slesiae regionem usque ad Alpes et silvas
terminos Poloniam dividentes a Bohemia se protendentem in
perpetuam illis possessionem atque sortem tradunt. Ut au
tem oritura inter ipsos nepotes litis occasio demeretur, regio
nem praedictam Slesiticam tali ordine illis partiuntur. Bole
slao

slao siquidem alto Vuratyslauiensi, Mieczslao Ratiboriensi et Opauiensi, Conrado longo pedi Glogouiensi et Crosnensi, urbes cum suis appendicijs largiuntur. Divisione autem huiusmodi inter nepotes celebrata, monet illos Boleslaus Dux Polonorum et Monarcha, quatenus pacifici, sibique velut Monarchae subditi vivant, paternamque tyrannidem caveant imitari, ne calamitatis paternae involvantur temeritate. Neque principatus a se et fratribus, eis largitos, iure sed precario se tenere acceptos, benignitate patruorum donatos potius quam redditos. Quod se illi cum sinceritate custodituros impleturosque spoponderunt, sed non post multa tempora sponsione temerata et pacto, praevaricari quam servare, quod pepigerant, maluerunt. Adhibuit autem quilibet Ducum praefatorum operosam diligentiam, ut sortes suorum principatuum civili et externo bello vexatas et propterea desertas, in frugem meliorem verterent, cuiusque industria brevi regio Slesiae convaluit. Mieczslaus tantummodo Dux ad id dementiae, amore cuiusdam mulierculae infascinatus, venit, ut sortis suae notabilem civitatem Opauiam eidem mulierculae perpetua donatione conferret. Conradus posthaec immatura morte sextodecimo Calendas Februarij decedens sine liberis sortem suam Glogouiensem Ducatum inter fratres partiendam reliquit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEXAGESIMꝰ QVARTꝰ

Hostili respectu, qui a Caesare Almanisque propter Ducis Vladislai et filiorum suorum repulsionem et exilium superiori tempore videbatur, sublato, cum et ex reliquis regionibus Poloniae Regno vicinis, nihil timeretur hostile, Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha, communicato fratrum suorum et nepotum principumque Poloniae consilio, expeditionem contra Prussiam gentem Idolatriae in eam diem deditam, indicit, fidei sacrae Catholicae et suae ditioni illam subiugaturus. Convenientibus itaque omnium principatuum Regni Poloniae copijs, Ossa fluminis quo terras Polonorum a Prussorum distinguit superato, Prussiam agmine tripartito ingrediuntur, Primo siquidem agmini Henricus Dux Sendomiriensis praeerat, secundo Mieczslaus maioris Poloniae Dux, tertium Boleslaus Monarcha ductitabat. Prutheni cum vires suas ad resistendum Polonorum multitudini imbecilles aestimassent, in sylvas paludesque, et loca avia diffugiunt, noctibus tamen, exercitum

Polonorum, si quando iniquitas locorum occasionem prohibebat, laesi sunt, in apertam dimicationem non prodeunt. Iam dimidium eorum regionis, Polonorum exercitus flammas vicis et villagiis populationem agris ingerens emensus erat, cum Ruthenorum primores securitate petita, in castra perveniunt, pacemque petunt, offerentes se obedienter omnia quae imperarentur facturos. At Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha primum iubet denuntiari, ut si pacem salutemque accipere velint, vetustis se abdicent gentilitatis sordibus atque erroribus, fidemque, et religionem profiteantur Catholicae puritatis, absque renunciatione idololatriae caliginis, nullam se sperent aequam pacem cum Polonis habituros, abdicatis erroribus, aequis conditionibus se pacem daturum. Ea conditio cum durior, acerbiorque Ruthenorum nuntiis videretur, ad suos redeuntes, quid opus facto sit consultant. Verum etsi multitudinis fremitus ubique coortus conditionem propositam execrari se significaverit, a maioribus tamen fremitu sedato, persuasum est, ut conditionem ipsam postquam aliter patria liberari nequiret, acciperet, Polonis abeuntibus, illam recepturi. Ad Boleslaum itaque reversi, vafri callidique homines, superstitionibus erroribusque gentilibus renunciant, fana, idolaque demoliuntur, fidem Catholicam profitentur, unda baptismatis Boleslao et principibus Polonorum confraternitatem et affinitatem cum his qui praestantiores erant contrahentibus, abluuntur, Ecclesiae instaurantur, et sacerdotes ad erudiendos Neophitos, hi praesertim qui eorum linguam aut sonare aut intelligere noverant, relinquuntur, Regioque Ruthenica Chelmensi Episcopo committitur cum suis populis, in his quae fidem administrationemque spiritualium concernunt, propter propinquitatem, gubernanda. Universali deinde Boleslai iussu proponitur Ruthenis edictum, omnes fidem Catholicam professos, professurosque liberos fore, qui baptismum abnuerent, sub hasta venire. Terruit hoc edictum etiam eos qui pertinacioris pectoris erant, nemoque remanere pertimescens, reperiebatur, qui in baptismum non prorupisset. Maximo universus Polonorum exercitus repletur gaudio et exultatione, Ruthenorum populum videns ad fidem Christianam, quam aliquando persequi solitus erat, accessisse, ex hostibus quoque infestis fideles et devotos effectos esse. Ea ratione et respectu Boleslaus Polonorum Dux et Monarcha motus, fidei sanctae, cuius dilatationem principaliter intendebat, in favorem, modico tributo in signum subiectionis Ruthenis imposito, exercitum in Poloniam reducit.

Eudoxia consors Mieczslai maioris Poloniae Ducis, alterum parit infantem apud Posnaniam, qui baptisatus, paternum nomen Mieczslaus sortitus est.

In Pannoniam

In Pannoniorum quoq; Regno, intestino bello inter duos fratres Stephanum et Ladislaum pro imperio exorto, etiam finitimos Reges armis involvit. Ladislaus siquidem moleste ferens Stephanum germanum suum natu minorem in Vngariae Regnum, se praetermisso, sublimatum, suggestionibus persuasionibusq; nonnullorum Vngarorum, qui res novare soliti erant, inflatus, regnum Vngariae invadit. Vladislaumq; Bohemiae Regem multis promissionibus inescatum, in sui solatium accersit. Cui Stephanus Vngariae Rex debitam resistentiam oppositurus Imperatorem Graecorum Caloioannem, affinis enim suus ex parte vxoris suae erat, conduxerat. Itaq; et a proprio et forensi milite Vngariae Regnum plurimis spolijs et incommoditatibus vexabatur, vterq; enim exercitus, Graecus videlicet et Bohemicus praedis et spolijs contentus, in publicum certamen non prodibat. Tractatu deinde interposito Ladislaus cum Stephano Vngariae Rege, Imperatore Graeco et Bohemiae Rege mediantibus pacificatus est, et Transilvaniensi regione contentatus. Iunxit et Bohemiae Rex cum Graecorum Imperatore affinitatem, filiam filij sui Friderici nepotis Graecorum Imperatoris dando in consortem

Quintadecima die Maij mensis Georgius Vulodimirowicz Dux Kyoviensis morbo implicatus apud Kyow moritur, et in Ecclesia Sancti Salvatoris apud Berestow sepelitur. Dum autem plures Russiae Duces sedem ambirent Kyoviensem, Iziaslaus Dawidowicz Dux faventibq; Kyoviensibq; illam est adeptus.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEXAGESIMVS QVINTVS

Vafra, commentitiaq; Prutenorum in fidem Christianam, quam ad retinendam libertatem, vitamq;, Boleslao Polonorum Duce et Monarcha cogente, susceperant, religio, vix vnius anni duravit spacio, sed velut vapor ad modicum parens evanuit. Pruteni siquidem tum Diabolica suggestione, tum sua temeritate agitati, dum illis Orthodoxae religionis iugum asperum difficileq; videretur, tumidasq; et inflatas gererent cervices, necdum firmis fidei astrictas, ab imposito nuper iugo religionis Christianae resilire coeperunt, ad Idolatriam prophanam conversi, baptismate quod susceperant foede temerato, ad profanos gentilium redeunt ritus. Ac Sacerdotes et ministros Dei pro eorum eruditione a Boleslao relictos, morte interminata si ad illos re-

vertantur

mutantur, in Poloniam remittunt. Boleslao autem Polonorum Duci, cum a bello nouum sibi indici bellum vererentur, pro commisso Apostasiae facinore, satisfacturi, bellumque sibi inferendum auersuri, nuntios, et tributa, et munera ferentes transmittunt. Orant, ne in culpam illis cedat, a fide Christiana auersos, se neque Deos suos patrios, quos tantopere coluerant, neque sacra quibus se suecuerant, relicturos. religionem Christianam grauem illis et difficilem fore, neque gentem Ruthenorum eius legibus teneri quonis pacto posse. Nec ob id tamen de subiectione et fide semel Boleslao et Polonis praestita, et tributis sibi impositis quicquam aut variaturos aut diminuturos. Sinerent Ruthenos ritibus et sacris suis viuere, scirentque illos ad vectigalium pensionum solutionem, ad obeunda insuper pro Polonis bella, et ad singula, quae praeter fidem Christianam imperarentur, fidos sibi futuros et sinceros esse. Rustiores quoque se minabantur infensiores, si non patrijs sed Polonorum et Christianorum ritibus cogantur viuere. Nefandum abominandumque Ruthenorum Apostasiae piaculum in Deum fidemque Orthodoxam commissum, contemptumque sui creatoris iniuriam, seu precibus, seu muneribus Ruthenorum, Boleslaus Polonorum Dux expugnatus, leuius quam suae conditioni conueniebat perferre, visus, neque illud vindicare neque rescindere aggressus, dissimulationis torpore in tam flagranti et enormi facinore usus, ubi districtissime coertioni articulum pro expianda ira Dei, honoranda religione eius et scandalo tollendo, acerrime conueniebat interponi, legatos Ruthenorum in sua pertinacia et Apostasia magis solidatos quam correctos remisit. Rerum fidei, rerumque diuinarum, quae acta quoque ipsi antiponenda erant, omnimoda se curam prorsus relegans, et caelestibus atque aeternis praeferens caduca et terrena, nihil se laesum, nihilque sibi iniuriatum aut ademptum ratus, si Rutheni in fidei contumaciam ad Idolatriam relapsi censum se pendere pollicerentur, fiscalium tributorum rebusque suis priuatis suum statum suumque tenorem retinentibus, res fidei, a quibus lacerari et contaminari patiebatur, in periculosum discrimen iusto Dei iudicio cuius religioni vindicare distulerat fermentaturus. Nec ita multo post Ruthenj insolentioribus, ex impunitate neglecti ritus, effectis, suo ingenio vti, et bello rursus Polonos lacessere ceperunt. Abscindenda autem prorsus illa pestifera a Ducali auctoritate tollerantia esse debuerat, quae alijs deferendo seipsum scelesti facinoris et indignationi diuinae irretiebat, diuinae iustitiae exceptusque sententiam, quia segni indulgentia dissimulauit plectere, qui Deo et fidei Orthodoxae inferebant ludibria peccatores.

Ioannis

Ioannes Primus alias Janislaus Gnesnensis Archiepiscopus annis decem et septem regiminis omnino expleto moritur, et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur. In cuius locum Petrus Canonicus Gnesnensis genere nobilis Polonus, de domo Szrzeniawa per electionem Canonicam successit, ab Alexandro Papa tertio provisus, a Ducibus Poloniae Boleslao Crispo Cracoviensi et Mieczslao maiore Poloniae promotione et consensu subnixus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEXAGESIMVS SEXTVS

Fide divinisq rebus a Pruthenorum gente in Salvatoris dedecus et contumeliam nefaria Apostasi violatis, terrenisq rebus, quarum solam integritatem et statum Boleslaus Polonorum Dux sibi rebat² sufferre, addiderunt Rutheni praevaricationem, Prorsus etenim salutis et fidei foedere in eum dirupto, in maiores mox ausus ad excutiendum subiectionis servitutisq iugum delabuntur. Nam Boleslai Polonorum Ducis praefectis vectigalis census exigentibus et tributa non denegant solum, sed et praefectos pluribus iniurijs affectos, quosdam etiam ultimis supplicijs enecatos, cum dedecore a finibus suis discedere compellunt. Neqs his contenti maximo exercitu non ex ingenuis solum sed etiam ex agrestibus comparato, in Cholmen̄ et Mazoviae terras, nihil tunc hostile verentes, citato quo possunt cursu decurrunt, et in plures villas et oppida populatione passim extensa, pecora et quaeq concupiscibilia diripiunt caedeq crudeli patrata ingentem captivorum numerum in servitutem suam transportant. Cuius cladis et fraudis nuntium dum Boleslaus Crispus Polonorum Dux accepisset, tumultuario more militibus coactis, patriam liberaturus pervicaciter accurrit, hostesq praeda rapta in sua diverti se cubilia cognoscens, vehementi dolore cruciatur, pergeretne hostes insequi, quos in paludes sylvasq constabat esse dilapsos, an subsisteret, consilij inops diu mente ac spiritu afflictabatur. Satius tamen visum est rem in aliud tempus differre, cum et paucitas militum in hoste calido, et tam armis quam ingenio bellare ex insidijs solito, parum tuta foret. Maioribusqs copijs hosti bellum inferendum, quibus posset et desevi mentis feriendi, et hostium fraus, temeritas atq rebellio iusta animadversione mulctari. Ea sententia accepta, pluribus in locis praesidia militum ad fluenta Ossa fluvij disposuit, excursiones subitas Pruthenorum prohibitura, bellumqs universo Poloniae regno adversus Prussiam indixit

Decima Octobris Cracoviensium Antistes Matthaeus cum annis tribus et viginti sedisset moritur, et in sua Cracoviensi Ecclesia honore iusto tumulatur. Cui per divinam et humanam vocationem Gedeon alias Gedka nobilis de domo et familia Gryphonum Cracoviensis Praepositus successit, ab Alexandro Papa tertio in Gallijs agente confirmatus, et in die Sanctorum Gervasij et Prothasij con~~firmatus~~secratus. Hic autem Matthaeus Episcopus epulis et vanae gloriae intentus nuncios Ducis Poloniae Boleslai subsidium pecuniarium ab eo Ducis nomine petentes adiunctis familiaribus suis ad cloacae locum remisit, mandans ut illic thesauros quaererent, hic sunt inquit, thesauri mei absconsi, innuens se singulos introitus Episcopales per gulam et ventrem consumpsisse, et pecuniam aliquam inaniter a se postulari

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS

Comparatis omnibus quae in bellum Prutenicum Boleslaus Crispus Dux et Monarcha Polonorum providenda erant, primae aestatis tempore copias equestres et pedestres versus Prussiam educit, tanto quidem frequentiores, quanto a Germanorum regionum, quae et ipsae alijs bellis distinebantur, hostili respectu noverat se solutum. Neque Boleslaum Ducem tantummodo, sed et Mieczslaum Henricumque fratres iusta in id bellum stimulabat ira, quippe in quorum principatus et dominia propter contiguitatem Pruteni crebris excursionibus grassabantur, unde et personaliter cum catervis militum suorum advenerant, omnem operam pro exterminanda gente perfida, dolis et fraudibus assueta, navaturi. Non latuit tam studiosus gravisque Polonorum apparatus Pruthenos et tam consentientia patrata a se in Polonos facinora, quam assiduo rumore et exploratorum relatione ad excidium graviusque poenas se didicerant destinatos. Accuratissimis itaque studijs, quibus Polonorum impetus excipi et sua penitus custodiri posset, consultabant, et cum tam vires suas, quam ea quae et in fidem et in pacta Polonis promissa moliti erant, metirentur, maiorem in modum consciorum animos formido subibat, se quoque neque armis, neque viris qui numerum equitum sedecim millia, peditum vero decem millia excedere poterant, armisque neque viribus ad resistendum pares reputantes, omnes conatus ad ingenia dolosque convertunt, astu fraudibusque Polonorum potentiam, cum iusta acie nequirent, superaturi. Neque illos spes opinioque fefellit, sed callido vafroque eorum ingenio, Polonos pro suis transgressionibus iusto puniente Deo, effectus brevi respondit. Erant in Polonorum exercitu quatuor Pruthenorum transfugae, qui Boleslai Polonorum Ducis per moram assiduam, familiaritatem favoremque meruerant, quibus

tanquam locorum peritis Boleslaus terram Pruthenorum ho
stilem ingressus, pro Ducibus utebatur, et ex eorum instructione et
arbitrio, et castris eligebantur statiua, et iter per quod exercitus
ducendus esset, quae insuper loca adeunda, quae vitandaque mon
strabatur. Tantumque sibi fidei transfugae illi apud Duces uni
uersumque Polonorum exercitum fideliter seruiendo, singula adui
sando monendoque praestruxerant, ut omnis belli progressus et
administratio, status quoque et periculum exercitus ex illorum
sententia versaretur. Hos Pruteni magnis muneribus maioribus
promissis corrumpunt, monentque ut suae patriae nationisque ra
tionem saltem nunc habere velint, non iam de subiectione et tri
buto Polonis pendendo, quod et ipsum turpe miserumque foret,
sed de suo ultimo excidio agi. Cogitarent praeterea se non in
Polonia, sed Prussia genitos esse, suosque quoque maiores et consangui
neos illic degere; non cunctarent exercitum illi praeparatum
auertere, et salutem quam soli facile praestare possunt dare, cum
officium per eos Polonis impensum bello finito ad obliuionem
recasurum esset, beneficium vero genti suae atque nationi praestan
dum cum eorum amplissima laude perpetuo mansurum. His
verbis muneribusque transfugae expugnati, Polonorum exercitum
prodere consentiunt, proditionemque pro libito Pruthenorum compo
nunt. Iam Polonorum Duces et exercitus in Prussiae interiora
penetraverant, crudelemque tam puberum quam impuberum
caedem edendo, frequentes quoque villas et vicos flammis dede
rant, in ultima Prussiae continuando caedes et incendia transitumus,
Compositam itaque fraudem et proditionem transfugae exequuturi,
non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia syl
uestria trahebatur exercitus Polonorum, Primum agmen quod
Henricus Sendomiriensis Princeps ducebat, item et reliqua agmi
na quibus Mieczslaus Dux caeterique praefecti ~~erant~~, praeerant,
Postremum deinde quod Boleslaus Monarcha cum expedi
tissimis militibus seruabat, in saltus primum et syluestres
densasque solitudines vergentes, recessus, deinde paludibus, li
mosisque, bituminis lubricitati perpetua obiectis, loca palustria,
descensu insuper et congressu imbrium limosa, et quae natura
les voraginum abysses vernantia graminis superficietenus nati
tegebant, inducunt, magnum hominum pecorisque numerum lo
cis huiusmodi superatis assertione dolosa transfugarum quo
minor itineris taedium esset reperturi. Verum dum iam primum
Polonorum agmen ad angustias saltus, fraude ducum perductum
esset

esset, Prutenorum caterva in varijs locis ex insidijs prosili
unt, et sagittis eminus emissis agmen primum pro temporis et loci
necessitate, quam ut rei militaris ratio et ordo poscebat, instructum,
neque progredi neque cedere valens, lacessunt vulneribus a reciprocis
vulneribus ipsi tuti, iniquitate locorum freti facile parvo negotio
fundunt, conficiuntque. Primis ordinibus in palustrem et limosum
incidentibus locum celerius quo poterant incumbebant hostes
liberius telis confossuri, eos qui a locorum detinebantur vora
gine. Ubi princeps celeberrimus Henricus Sendomiriensis in
acie pugnans vi telorum oppressus cum pluribus insignibus
militibus occisus, plurimisque vulneribus confectus prius spi
ritum quam bellum deposuit, praestabatque per virtutem mori
quam ad ignominiam vivere, et armis nequicquam tutanti
bus transfossus, in terram moribundus defluxit. Et licet se
cundum et item tertium atque quartum agmen primo auxi
lium laturum, iniussu Ducum et praefectorum accurrisset,
fere tamen singuli qui incautius studio suis succurrendi e
rumpebant, aut a caenosis involvebantur suffocabanturque
gurgitibus, aut hostibus hastis et cuspidibus in mortem
propriam caeca rabie ruentes quasi quaedam victima excepti
confossique obtruncabantur. Neque enim relinquebatur ullum
aut resistendi aut effugiendi in tanta rerum iniquitate spacium,
Prutenis et a fronte tergoque et a laeva dextraque urgentibus,
et iacula vibrantibus in inclusos. Inter haec tamen limo
sa paludinum et stagnorum vorago omni hoste terribilior
videbatur, cuius profunditas dehiscensque ingluvies armo
rum pondere pressos plures absorbuit, quam quos hostis accepit,
aut necavit. Ut extremis agminibus quos nondum prodi
torium torcular involverat, Poloni cum se in extrema vide
rent incidisse, et hostibus nihil impeditum, sibi vero nihil sa
lubre adverterent, eam tunc de se tamen praestitere virtu
tem, ut cum primi aut sagittis confecti, aut limo absorpti ca
derent, proximi iacentibus supergressi ex eorum corporibus
donec et ipsi telis conficerentur pugnarent, nihil aliud superesse
locorum fraude decepti, quam solatium honestae mortis
arbitrati, totum fere illic militiae Polonicae decus barba
rorum obtritum rabie, signa Polonica ab hostibus interce
pta, corpus Henrici Sendomiriensis Ducis foede et misera
biliter suis insignijs exutum, inter promiscuas cadaverum

strues

strens ab hoste devoratum, si devoratio et mors dicenda est, quam pro patria pietate, et populi sui victoria oppetiit. Uterque Dux Boleslaus et Mieczslaus cum ordinibus quos ducebant, saluus evadens, dum pro maiori parte suas copias locorum iniquitate deletas vidisset, in Poloniam gemebundus, multos gemitus et eiulatus, tum pro chari fratris Ducis Henrici, tum pro militum morte emittens redijt, reliquias miseri et laceri exercitus reducens. Nec solum tunc sed et in plures aetates super tam insignium militum desideratorum morte lugubres voces et lamenta, a cognatis, coniugibus, et amicis audiebantur, in ipsa siquidem miserabili et miseranda clade, Polonorum virtus praestantior confracta et extincta est, et robustissimorum militum flos emarcuit. Nam et relatu perdifficile est perstringere, quantos ingenuos adolescentes, quot exercitatissimos milites, quos equos, quae arma, quantas substantias, quantas fortunas, clades illa absumpsit, cum barbarorum insatiabilis rabies, nulla clementia, non in devictos, sed coeno et voragine limosa illaqueatos mota, passim omnes nulli deferens aetati vel conditioni trucidabat. Pluribus ex post diebus interfectorum aut suffocatorum legens spolia, et Dijs suis sacrilegoque ritui tanti triumphi ascribens eventum, quem clementissimus verus Deus aut ad tergendum purgandumque scelera Polonorum, aut ad exercendum eos dignatus est inflixisse.

Sedem Kyoviensem Mscislaus Izaslawicz Vladimiriensis Dux ratus ad se potius, quam ad Izaslaum Dawidowicz pertinere, in huius anni hyeme copias contra Kyow ducit. Kyowiensibus autem suo proposito faventibus Izaslaum Dawidowicz de Kyow effugat et expellit, sedemque Kyoviensem apprehendit. Izaslaus autem Dawidowicz ex Kyow elapsus in Wiczicze consedit. Fastidire autem cito capit Mscislaus Izaslawicz Kyoviensem sedem et Roscislao Duci Smolnensi patruo germano accersito, Kyoviensem sibi in tempore veris resignat principatum, solus vero in Vladimiriam excedit. Sed nec Roscislao Szmolnensi Duci possessio Kyoviensis Ducatus fuit diuturna, quippe et ipsi illius regimen perosus Duci Vlodimiro Mscislawicz expulsionem veritus resignat

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS SEXAGESIMUS OCTAVUS

Rutenica clades, longa, Polonorum regiones, caligine maeroris involverat, maestumque et obstinatum silentium aliquantisper fecit, dum ad vehementem dolorem pudor male gesti belli accedebat. In singulis quoque fere domibus et regionibus gemitum et complorationem dilectorum fratrum et consanguineorum superstites intenderant, et quicquam ad leniminis solatiumque exulcerati pectoris ingeri poterat, surdis et obseratis auribus exspuebatur. De ordinando tam~~en~~dem duarum terrarum et principatuum Sandomiriensis videlicet et Lublinensis statu, quorum vacatio ex morte Illustris viri Henrici inciderat, conventus per utrumque principem Boleslaum videlicet et Mieczslaum Praelatosque et Barones Poloniae, apud Cracoviam habitus est, ut provideretur cui eorundem principatuum deberetur successio, cum Dux Henricus caelibem in illud tempus vitam agens nullam prolem reliquerit. Et quamvis longa concertatio de partiendis finibus inter eos Boleslaum et Mieczslaum Duces tenuerit, id tandem post multos tractatus super re huiusmodi interpositos, communi consensu et decreto acceptum est, ut quintus Ducis Boleslai Crziwousti, filius princeps Casimirus annum tricesimum supergressus, cui pater moriturus in divisione filiis facta nullam sortem inter fratres reliquerat, in vacantes succederet Sendomiriensem et Lublinensem Ducatus, qui in id tempus nullam propriam et firmam sedem retinens Boleslai Ducis Cracoviensis et Monarchae liberalitate alebatur. Verum quia praefatus Dux Cracoviensis Boleslaus in administranda Monarchia gravabatur, singulis suis introitibus exhaustis, se multipliciter gravatum extenuatumque esse, elegantior pars Ducatus Sendomiriensis, civitas videlicet Sendomiriensis cum suis Colonis et districtibus, Duci etiam Casimiro pro fraterna Caritate spontanee assentiente sibi decreta et ad vitam duntaxat sui tempora donata, est. Eo absumpto ad Casimirum versura Fratribus autem et primoribus Regni cogentibus, Casimirus Dux de principibus Russiae Vszewoldi, virginem Helenam nomine filiam Principis Belsensis accepit in consortem. Nuptiarum solemnitas propter cladem nuper apud Russiam acceptam omissa est.

Parit et hoc anno Eudoxia consors Mieczslawi maioris Poloniae Ducis filium, qui Wladislaus appellatus est

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS SEXAGESIMUS NONUS.

Nondum Prutenicae cladis inflictum vulnus vix aut tempore curari coeptum erat, Boleslaum Polonorum Ducem et Monarcham novum et infestum excipit bellum. Nepotes siquidem sui Boleslaus altus, Mieczslaus, et Conradus Loripes, filij Wladislai, quibus de exilio almanico revocatis Slesianam partitus erat oram, et paternas et suas in Boleslao Crispo Monarcha iniurias ultum iri satagentes, arma adversus illum expediunt, et bellum indicunt. Causasque iniuriarum et belli opponunt, quod et Cracoviensem Ducatum ad illos pertinentem detineat, et Monarchiae principatum qui illis successione paterna debeatur, usurpet, et nonnullas in Silesia urbes quas sibi Boleslaus Crispus in signum Monarchiae et superioris principatus retinuerat, in eam diem temere occupatas. Satis quidem et supersatis se et in patre et in seipsis iniurias longi exilij perpessos esse, nec post tam diuturnam poenitudinem, quod iustum atque aequum foret, ab iratis patruis percepisse, qui etiam se in vacatione Ducatuum Sandomiriensis et Lublinensis neglexissent, cum illorum aequa eos contingeret successio. Hi non propriis tantummodo militibus ad id bellum gerendum contenti, auxiliares quosdam ex Almania propter materni sanguinis affinitatem eis faventes partim prece et benevolentia partim precio acciverant, iustoque exercitu tam ex equestribus quam ex pedestribus confecto, civile et domesticum bellum Prutenico periculosius ordiebant, Posnaniensemque districtum et regionem vastabant. cum praeter insitam animorum irritationem etiam temporis opportunitate cum recens Prutenica clades legionis, fortunas, et vires Polonorum absumpsisset, sollicitabantur. Boleslaus autem Crispus Dux et Monarcha cum se pridem et militibus et armis exutum nosset, et qui superstites remanserant, aegre in militiam cogi posse, de pace per communes Consiliarios Ecclesiasticos et saeculares agendum duxit, et cum nepotibus pro dec. instituto conveniens, belli causas gravi et prudenti extenuavit responsione, Ducatum quidem Cracoviensem extra sortem fore, et non nisi a Monarcha obtineri rite posse. Ius vero Monarchiae patre eorum mortuo, etiamsi ab illo delectus non foret, et quod minor natu esset, et universali consensu electus, in se recidisse. Urbes vero in Silesia propter Monarchiae firmitatem omnia legittime reservasse. Quod etiam in Ducatus creatione Sendomiriensis constat eum egisse, Ducatuum Sendomirien. et Lublinen. portionem soli Duci Casimiro, qui solus in eam diem portionis paternae expers erat, tribuisse. Et quamvis iudicio Consiliariorum communium Boleslai Ducis responsio singulas nepotum querelas confutasset, et bellum motum et movendum iniustum sibi videri pronunciassent, eisdem tamen communibus agentibus Consiliariis, Boleslaus Monarcha nepotes quietaturus, de urbibus quas in Silesia tenuerat, cessit, et eas inter nepotes sortiri concessit. Magna profecto commendatione ob eam rem dignus, qui ne patriam vulneribus ab hoste inflictis labentem intestino bello involveret, etiam de his quae legittimo iure obtinebat cessisset, et bellum oriens solerti moderamine extinxit, maximo id Reipublicae deputans profectui, quicquid pro pace et bono statu patriae suis privatis censibus videbat detractum.

Tres Soles in Occidente simul visi sunt, Nonis Septembris, et post duas horas deficientibus caeteris, qui medius fuerat solus occubuit. Simili quoque modo proximis annis tres Lunae apparuerunt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTVAGESIMVS

Fraternum et civile bellum in ipso sui primordio, antequam in perniciem aliquam serperet, Boleslai Polonorum Ducis et Monarchae prudentia industriaque oppresso, aliud perniciosius a Cracoviensibus militibus ordiri in Boleslaum coeptum est. Sed iuxta ac superius, in suo ortu, modestia Casimiri Sendomirien. Principis succisum. Laxa siqui dem de Mirchow et Swantoslaus milites et pene vniversi Cracouiensium Proceres, Boleslai Crispi imperium, segnius quam Respublica varijs calamitatibus pro ea tempestate afflicta expetebat, administrantes, perosi, in eius destitutionem conspirant, Monarchiaeque principatum et regimen Casimiro Sendomiriensi Duci mandandum decernunt. Ad quod illos non solum Boleslai segnities et confracta exhaustaque aetas, sed singularis et admiranda Casimiri probitas, immensis actibus quotidie se diffundens, et ne Boleslao absumpto Mieczslaum senem maioris Poloniae et Pomeraniae Ducem suscipere velut natu maiorem cogerentur, instigabant respectus. Verum Casimirus Sendomiriensis Dux a Iaxa, Swantoslao, caeterisque Cracouiensium militibus rogatus, ut Monarchiae regimen vniversali consensu sibi delatum, ne per Boleslai torporem periclitatum illud iri amplius contingeret, acceptare dignaretur, respondet, iniquum et acerbum sibi videri, strenuissimo Principe Boleslao non germano solum sed suae iuventutis benigno alumno, et quod his praestantius est, optime de Republica merito, propulsato, et propter grandaeuum senium excluso, Monarchiae occupari principatum. Siquidem eorum aestimationi gratias agere, et gratiam, quod se principatu dignum iudicarint, referre velle; sed nullo pacto in tam scelus detestandum, quo et patria exturbanda esset, et Boleslaus frater, quem priuato etiam in hanc diem coleret officio, violandus, puritas quoque sua contaminanda esset, assensurum. Nossent praeterea se sic institutum qualificatumque esse, ut nedum Boleslaum Ducem et Monarcham afficere velit qualicunque iniuria, sed vitam et fortunas pro eius defensione oppositurum. In hunc modum Cracouiensium militum gliscens in Boleslaum Ducem seditio extincta est

Ruttgerius Vladislauiensis Episcopus cum annis nouem sedisset, absumptus est, et in Vladislauiensi Ecclesia sepultus. Virum eum natione almanum Canonicum Vladislauiensem a Capitularibus electum et per Alexandrum Papam tertium prouisum, habuit successorem

Sexto Calend. Februarij Vualtherus Vuratyslauiensis Episcopus obijt Colica vexatus. Qui duobus et viginti annis Cathedrae praesidens Vuratyslauiensi, Ecclesiam ligneam reponens pulcherrimo muro fabricauit, et Lugdunensis Galliarum Ecclesiae ceremonias, ordinem, et cantum in eam introduxit. Huic Ziroslaus natione Polonus et genere nobilis successit, via scrutinij electus. A Petro secundo Archiepiscopo Gnesnensi, Boleslai alti Ducis Vuratyslauiensis accedente patrocinio et consensu confirmatus et in Ecclesia Calysiensi consecratus, ex familia Rogadurcus ortum

SWANTOPELK Vladislai Bohemiae Regis filius seditionem in patriam commouens, Vuoislaum Baronem cuius consilijs Vladislaus Rex regebatur, inter manus Judithae Reginae conantis illum defendere, transfossum occidit. Propter quod facinus in exilium a patre relegatus primum in Vngariam deinde in Almaniam se conferens, vagus et exul, in Bohemia quia necessarijs Vuoyslai sustinuit periculum redire formidans in Almania occubuit

Grandi indignatione Mscislaus Iraslawicz Vladimiriae Dux stimulatus Vlodimirum Msclawicz qui patruum suum Rostislaum de Kyow ejecerat, de Kyow proiecit, Quo ad Polowczos diffugienti, Mscislaus Iraslawicz possidere Kyow caepit, Quod Andreas Dux de Szusdala non ferens filium suum Mscislaum cum Rostislawiczy et Vlodimiriczy contra illum mittit, cui auxilium latum, tantus quippe livor pectoribus multorum contra Mscislaum Iraslawicz insederat, nouem Russiae Duces conueniunt, videlicet Hleb Peraslawsky, Romanus Smolensko, David Vuyssehrodensis, Vlodimir Andrejowicz, Demetrius Georgij, Georgius et Slawicz germani, Olh et Gregorius Swantoslawiczy. Et obsidentibus Ducibus praefatis Kyow, clausit se Mscislaus Iraslawicz in arce pluribus diebus tolerans obsidionem, sed famem non tolerans ex Kyow cum fratre suo et paucis comitibus in Vladimiriam effugit, Duces autem arce potiti consortem Mscislai et filium et milites captiuant, Kyowiensem autem ciuitatem dant militibus in praedam, qui non domos tantummodo ciuium

sed et aedes

sed et aedes sacras, Monasteriaque diripiunt. Locat autem Mscislaus Andrzeiowicz patruum suum Hleb in Kyow, qui sedem illam nactus filio suo Pereaslawiensem contulit principatum

Obtinebat ea tempestate in annum quartum decimum Plocensem Ecclesiam vir mitissimus Vuirmerus, et devotionis in Deum rarae et vitae nitidae integrae atque religiosae, egregia animi pollens virtute atque probitate, doctrina insuper eleganti cum summa humanitate coniuncta. Is cum villam Ecclesiae suae Plocensis Karszcho vocatam a Satrapa Masoviae Bolesta Castellano Visznensi pro insigni armorum Babatum deferenti tam divitijs quam amicis potenti primum invadi ad extremum occupari sensisset, personali et benigna primum admonitione deinde per amicos communes apud illum egit, ut proprijs contentus sortem Deo dicatam desisteret usurpare, ultionis divinae iudicium, si in proposito perseverandum duceret, non evasurus. Et ille ex adhortatione huiusmodi insolentior factus, pluram insuper se, si impetatur, occupaturum, et de Episcopo Vuirmero extrema supplicia sumpturum respondet. Intelligens itaque Vuirmerus Episcopus modestiam suam apud homines sensus reprobi et ambitione caecati nullius usus fore, et admonitiones suas contemptum iri, in ius illum municipale, quod vocitamus terrestre, pertraxit, existimans suae avaritiae molimina vel iuris rigore posse retundi. Ventilato autem iudicio, dum in causa non dubia iudex tempus teri non passus, Vuirmerum Episcopum pronunciasset victorem, et illum decreto suo in villa Karszcho per scelus et iniquitatem Bolestae ablata possessionem misisset, Bolesta extunc bilem non temperans, et plurima in Praesulem beatum, iura suae Ecclesiae defendentem maledicta evomens, ad trucidandum Episcopum animum et conatus omnes destinat, opportunitate data quamprimum destinata exequuturus. Erat illi cum Pruthenicis populis idolatris, et ob propinquam vicinitatem et morum parilitatem, frequens usus, frequensque familiaritas, et commercium. In illo enim Visnensis oris angulo positus summa rerum a Boleslao Polonorum Monarcha et Duce delegatus praeerat, et advenientibus sibi cum querelis celis varijs, furta, spolia, invasiones, et nonnullas alias iniurias continentibus Pruthenicis populis, circa dic. Polonorum regionibus aut cedebat aut bella oriunda administrabat, aut per pacis et sufferentiarum conditiones extinguebat. Nonnunquam legationibus Pruthenorum et muneribus iuxta morem gentis sibi allatis duplici favore quo illos sibi devinctos magis et in sua beneplacita exequenda commodaque augenda promores efficeret respondebat. Pruthenorum itaque ad illum grandi multitudine, dum apud Castellaniam suae ditionis Visnensis ageret venienti, largitionibus et promissis illos inescatos ad domicilium suum illos perducat, et noctem insequentem varijs eos convivijs comessationibus absumit. Cumque ex longeva crapula et ebrietate Sclarions viderit effectos, et per exploratores citius eos didicisset, Varmiensem Episcopum in Beschupierze villam suam possidere advenisse, Bienasium germanum cum exprobratione compellat dicens. Cur tu inquit sacerdotem infandum Varmiensem Episcopum sub nostris oculis nostra occupantem non violas, non extinguis! Qui fraternas iussiones impleturus, omnium Pruthenorum, qui tunc aderant Bolesta mandante comitatus caterva, in Beshupierze pervenit, et antelucano tempore illuc quemadmodum animo gestiebat perveniens, Varmiensem Episcopum in dormitorio suo quiescentem, una cum fratre Benedicto ordinis Sancti Benedicti Monacho, cuius et aliorum religiosorum idem Varmiensis Episcopus foris et extra et ubilibet locorum pro contubernio ad cohonestandum testimonium vitae suae utebatur, in cubiculo irruens, scyphis et frequentibus percussionum generibus utrumque quarta Februarij die perimit et obtruncat, superiectis deinde in fenestra tapetis paleis et sarmentis abscondit, pro patrato in virum Dei commisso a Bolesta non scelus, quam hostem infestum debellasset commendatus. Antistitis autem Varmiensis cubicularius, qui se metu mortis subtus pontificalem lectum occuluerat, universam tyrannidem, quam Byenyassius in Christum Domini Varmiensem exercuerit, speculatus, altero die detexit et publicavit. Ex eo autem tempore et inpost, carnifex Byenyassius nusquam apparuit, a nullo hominum unquam visus. Quapropter universali aestimatione creditum est illum tercia die quam parricidium peregisset terram vivum absorpsisse et neci pontificis innocentis iustissimo Dei iudicio parentasse. Sed et Bolesta Castellanus Vingensis qui principalis author extitit virum iustum, sanctum et pontificali dignitate praeditum per scelus occidendi, saeva et digna morte interiit. Corpus Episcopale in Plocensem delatum Ecclesiam planctu magno virorum Ecclesiasticorum domestica sepultura terrae commendatum est. Et in locum illius Canonicus Plocensis Lupus successit. Principatus autem suos et dominia Boleslaus Polonorum Dux vehementer ob pontificalem necem afflictos et affligendos pertimescens, iam siquidem Petrus Gnesnensis Archiepiscopus in Provincia Poloniae universa coepiscopis per praesens consultis, generale protulerat interdictum, missis militibus Bolestam captivat, et in Gnesnam perductum conventu generali indicto, sub praesentia praefati Petri Gnesnensis Archiepiscopi, Gedeonis Cracoviensis, Bernardi Posnaniensis Episcoporum et universorum procerum Poloniae iudicium contra illum cui solus praesidebat instaurat, et pro facinore in Christum Domini Vernerium commisso, Bolestam in iudicium productum, et scelus suum infitiari, sciens se multitudine testium convincendum non audentem, diffinitiva sententia flammis exurendum condemnat. Nec simplici cremationis genere in eo contentus, tela recenter texta et cera oblita circumvolutum, in circo civitatis praefatae Gnesnensis validissimo incendio, sic et universa sua militia inspectante, extinxit, iram quoque divinam ~~post~~ propter scelus parricidii in se et gentem suam secuturam, saeva quidem sed iusta vlcione de reo sumpta expiavit. Capit autem extunc et deinceps vir Beatus Vernerius signis miraculis clarescere, et ad sui nominis invocationem claudis gressum, caecis visum, leprosis mundationem, paraliticis restaurationem, mortuis vitam, plurimaque alia pro quibus interpellabatur beneficia conferre, vt nihil dubitandum sit virum illum tum pro vita laudabili sancte et innocenter transacta, tum pro sanguine in defensam suae Ecclesiae fuso laureolam meruisse. Animarum quoque sanctorum potitum consortio, praemii aeterni retributione et visione divina perfunctum esse. Sedit ipse Wernerus in sede Plocensi annis quatuordecim, cui viduatae Lupus Custos Plocensis post non strenuam electionem de tribus factam succedit, nobilis genere, de familia Godzumba, a Petro Gnesnensi Archiepiscopo, Boleslao Crispo Poloniae Duce et Monarcha favente promoventi electionem confirmatus et consecratus.

Pridie Nonas Maij Mieczslaus seu Mieszko Maioris Poloniae et Pomeraniae Dux pietatem quam in egenos et miserabiles personas in civitate sua Posnaniensi degentes gestabat pectore, expressurus opere, de consilio Radwani Posnaniensis Episcopi Hospitale in Posnania ad Ecclesiam Beati Michaelis fundat, et illius curam et gubernationem fratribus domus Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolimitani committit, assignans et donans eidem Hospitali in perpetuam dotem villas suas Ducales Netkowo, Iagodno, Szamorzysko, Gorka, Glinka, Goszkow, Chryssow, Cyprzelino, Iarogniewy cum omnibus earundem villarum ascriptitiis et appenditiis universis. Pro cuius subsistentia uberiori Radwanus Episcopus Posnaniensis praefatus decimas in villis praefatis nec non et decimas in villis Miloslowo, Andrzeiewo, Vigonowo, Vnielice, Zurbylicz, Oberzelnye, Lipnicza ad mensam suam Episcopalem pertinentes dedit, perpetuo inscripsit, et donavit pia liberalitate locum praefatum insigniens.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTVAGESIMVS PRIMVS.

Cracoviensium Episcopus Gedeon cultum divinum in sua Dioecesi ampliaturus, in vasto tunc et ab hominum habitatione longius porrectis nemoribus, Oppido Kielcze aedificato, Ecclesiam illic de saxo quadrato, et artificiosa subtilitate proportionabiliter informato fabricat, et quatuor dignitates videlicet Praeposituram, Decanatum, Custodiam, et Scolastriam, sex quoque Praebendas, decem insuper Vicarios in ea fundat. His huiusmodi dignitatibus, praebendis et Vicarijs de bonis mensae Episcopalis Capituli Cracoviensis communicato consilio sufficienter dotatam in villis, decimis, caeterisque introitibus consignat, ordinans et instituens, ut in eadem Wisliczensi Ecclesia ad honorem et titulum Dominae nostrae gloriosae Virginis Mariae dicata, nocturnis et diurnis temporibus Canonicae horae explerentur. Felicem hunc Praesulem et verae devotionis ac zeli quis neget fuisse; cui et fabricam Ecclesiae in qua materiam superat opus, et salutarem eius dotationem, pro qua perennem adeptus est vitam, videmus contigisse.

Polowczi ea aestate in magna multitudine glomerati in Russiam contra Kyow advenerunt, vastatione longius, cum repressionem non sentirent, extensa, plurimos mortalium utriusque sexus, cum pecoribus et pecudibus, spolijsque multis captivant. Et dum praedam ad Sarulatum usque castrum reducerent, de mandato Hlebi Ducis Kyoviensis, Michalko fratre suo Dux cum Ruthenorum copijs eos persequutus, bis una die cum illis conflixit, et victor in utroque congressu evadens, omnem praedam, quam ceperant, liberavit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTVAGESIMVS SECVNDVS

Turbatio Ecclesiae Dei, quam ex pestifero Scismate in superioribus ortam monstravimus, fere Christianitatis universae regiones, armis, cladibus, odijs et bellicis strepitibus involvens, permiscens atque magis ignite furere et grassari coepit, Friderico Romanorum Imperatore materiam et alimentum Scismati subministrante. Nam etsi Octaviano, qui se Victorem nominabat mortuo pax Ecclesiae sperabatur facile proventura, Imperator tamen Fridericus, in Alexandri Papae tertij despectum, Scismati sua sponte defluenti et extincto novas vires addidit, et in locum Octaviani Guidonem Cremensem Presbyterum Cardinalem, qui se Paschalem nominabat

Quo mortuo, Joannem Firmensem Presbiterum Cardinalem qui se Calistum appellat, quo similiter pereunte, quartum Landonem qui se Innocentium vocitabat, surrogabat. Alexander autem Papa in Gallys vagabundus, tam Fridericum Imperatorem, et suos in Papatu aduersarios et contendentes et omnes illi adhaerentes, velut verus et legittimus Christi vicarius, gravi anathemate percellebat, prohibens Friderico a ciuitatibus Italiae obedientiam praestari. Quapropter ciuitates Italiae saepius Friderico ob eius tyrannidem infensae, rebellione facta, grauibus bellis Imperatorem Fridericum conquassabant. Fridericus autem Imperator iam non Italiae ciuitatibus quam Francorum Regi Ludouico, cuius auxilio brachioque Alexander Papa roborabatur, irratus, in Gallias exercitum Bohemorum et Dacorum solatys auctum Franciae Regnum desolaturus promouit, cui Ludouicus Franciae Rex, Regis Henrici Angliae adiutus solatio obuiam processerat, decertaturus. Interim tamen Friderici Imperatoris exercitum iam in Burgundia agentem Epidemia inuadens miserabiliter prosternit, et cepto itinere desistere coegit. Sub hoc autem Schismate in plures annos continuato, Almania Bohemiaque regiones Friderici Imperatoris factionem sequutae, Antipapas ab eo constitutos pro summis pontificibus adorabant, Polonia vero Ecclesia et regno, omni periculo, quod sibi ab Imperatore Almaniaque imminere poterat contempto, veri et legittimi Papae Alexandri obedientiam sectabatur, cuius quoque mandatis et decretis parendo, Imperatorem Fridericum, Reges et Principes et Episcopos sibi adhaerentes excommunicatos denunciabat. Lugubris interea casus Boleslaum Crispum Poloniae Ducem et Monarcham eo anno excepit, filius etenim suus maior natu Boleslaus cui praeter ingenitam indolem et virtutes in eo relucentes, quod aetatis prouectioris erat, et sibi in regno successurus videbatur, maiori pater afficiebatur charitate, languore correptus periodicum obijt. Cuius mortem Boleslaus pater graui et immodico dolore, luctuque prosequutus nullis consiliorum persuasionumque quae illi ingerebantur remedijs, ne fletibus luctibusque indulgeret, potuerat auerti, marorem

rem suum consolatu afficiebat et multiplici incessitudinis nomine, quam et verbis levari posset: disserens et demonstrans graviorem

Moritur Hleb Kyoviensis Dux postquam annis duobus in Kyoviensi Principatu sedisset, et in Ecclesia Sancti Salvatoris in Berestow sepelitur. Andreas autem Dux de Szuszdal Ducem Smolnecen Romanum in eius locum substituit, et eum ad principandum in Kyow transmisit. Qui in Kyoviensis Ducatus regimine suscepto filium suum Jaropolk locat in Smolensko. Quem processu temporis Jaroslaus Izaslawicz de Kyow expulit, et in sede Kyoviensi consedit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTVAGESIMVS TERCIVS

Maerore pro filii occasu tempore magis quam senectute Boleslao Polonorum Duci et Monarchae lacerato, repentinus languor Boleslaum invadit. Hic cum in se grassari sensim adverteret, Casimirum Sendomiriensem Principem fratrem natu minorem, Praelatosque et Barones Regni ad se mandavit accersiri. Sibi coramque praesentia, tam de principatibus et terris cum iurisdictionibus contingentibus, quam de rebus thesauris et clenodiis ordinavit. Et filio quidem unico, quem relinquebat, Lesconi Mazoviae et Cuiaviae Ducatus legat, Ducem vero Casimirum germanum suum curatorem filii et Mariae Ducissae consortis suae designat. Casimirum obsecrans ut eam vicem filio suo Lesconi praestet quam meminit sibi ab eo in suae [illegible] sanitatis articulo praestitam fuisse, parentemque magis quam curatorem et patruum in nepote agat, cum favore paterno semper a se tractatus et habitus sit. Fructum etiam curationis huiusmodi percepturus. Nam si Lesconem sine prole excedere contigerat, Casimiro fratri tam Mazoviae quam Cuiaviae Ducatum legat legittima successione ipsum solum testamenti a se tunc conditi vigore decernens in utroque

Ducatum filio Lesconi obeunti successurum. Thesaurū domini, vasa quoq; et clenodia Ducalia inter Coniugem suam Mariam et Casimirum Sandomirieñ Ducem, filiumq; Lesconem, nepotem partitur. Omnibus insuper Ecclesiasticis Sacramentis devote et Catholice perceptis penultima Octobris in arce Cracoviensi spiritum exhalat, et in Cracoviensi Ecclesia a Duce Casimiro Sendomiriensi, Gedeone Cracoviensi Episcopo, consorte Maria, et filio Lescone caeterisq; praelatis et Baronibus Regni iusta funeri solenitatibus sepelitur, cum in administratione Monarchiae Regni Poloniae annos triginta uno minus exegisset.

Post mortem autem Ducis Boleslai Crispi Polonorum Ducis et Monarchae, fit in Cracoviam tam Mieczslai maioris Poloniae et Pomeraniae, quam Casimiri Sendomiriensis, Boleslai et Mieczslai et Conradi Silesiae Ducum pro substituendo novo Monarcha conventus. Et licet Cracovienses summa vi summisq; conatibus adniterentur, quatenus in Monarchicum principatum Casimirus Sendomiriensis Dux succederet, a Consiliariis tamen et Baronibus maioris Poloniae, Silesiae, Pomeraniae caeterarumq; regionum in Mieczslaum senem votantium maioris Poloniae et Pomeraniae Ducem suffragia ferentibus victi desistunt. Itaq; Mieczslaus Dux et Monarcha Polonorum universali consensu Ducum, Praelatorum et Baronum declaratus, Monarchiae suscepit principatum, et Cracoviensis arx, civitas et provincia suae traditur ditioni. Neq; enim Casimirum Sendomirieñ Ducem, propter livorem et discordias inde orituras Duci Mieczslao velut natu maiori placebat praeferri, Spes quoq; omnium subibat Mieczslaum senem in administrando principatu sedatiorem iusta et legittima et suo prudenti regimine splendorem et amplitudinem illi adiecturum

Stephanus Ungariae a propriis militibus

rebellionem

rebellionum et seditionum passus, in die Sanctorum
Gervasij et Prothasij multis Ungaris concurrenti-
bus confligitur et in castrum Temeslin
fugiens, tercio Idus Aprilis
moritur. Cui Bela frater
eius, filius Geysae, fu-
rum et latronum
persequutor
successit.

Explicit liber Quintus.

INCIPIT LIBER SEXTVS

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTVAGESIMVS QVARTVS

Monarchalem sellam Mieczslaus maioris Poloniae et Pomeranorum Dux ex obitu Boleslai Crispi electione et iubente universali adeptus, spebus Polonorum beatam et tranquillam vitam sub sua praesidentia et regimine se ducere gloriantium non respondit. Sed mox sui regiminis primitias tyrannide et oppressione foedavit. Qui etsi ob singulare rarumque sapientiae specimen ab annis adolescentiae relucens, Senis cognomen fuerit sortitus, res tamen secundae, quibus in sublime actus fuerat, mentem suam a iusto et recto creduntur avertisse. Erat siquidem Mieczslaus praefatus, et quinque filiorum videlicet Ottonis, Stephani, Boleslai, Mieczslai, et Vladislai; quorum primos duos ex filia Regis Ungariae, reliquos tres ex consobrina Friderici Imperatoris susceperat, et plurimarum filiarum coniugio, magnarum insuper opum affluentia clarus, et insignis. Cum finitimis enim principibus affinitates iungens, Sobieslao Bohemorum Duci unam, Saxoniae Duci alteram, Friderico Lothoringiae Duci tertiam, Boguslao maritimae orae Duci et filio eius Boguslao quartam et quintam filias locaverat, Haliczensis insuper principis filio Othoni, Boleslao Ducis Pomeraniae, et Vladislao Ducis Russiae filias in consortes susceperat, cum etiam duo filii Stephanus et Mieczslaus caelibes decessissent. His et pluribus aliis fortunae donis onustus, omnium mortalium felicissimus habebatur. Verum utrinque boni, rectae videlicet mentis et fortunae largitionem Mieczslaus diutius non tulit, sed donis gra

tuitis

tutelis abutens multifarias exactiones, calumnias et iniquitates oblitas in subditos visus est ingessisse, ad quod non solum proprio ferebatur ardore, sed etiam perversorum consiliariorum et signanter Henrici de Hygethez villa prope Budissin sita, qui omnium suarum actionum monitor et moderator erat, agitabatur instigatione; pro levibus quoque causis aut transgressionibus, ursi, aut dammae, aut alterius sylvestris animalis interfectione puniebantur tam militares quam agrestes, et omni pietate relegata, substantiae eorum per Ducales ministeriales partim in Ducalem fiscum, partim in privatos usus distrahebantur. Querelisque gravatorum ad se perlatis, aut inclementius Dux Mieczslaus respondit, aut ad clamores miserorum aures obturavit. Nihil denique apud illum et suos erat sanctum, nihil aequum, nil iustum, nil carum, praeter pecuniam et munera, sed religione divina neglecta, iureque divino et humano quassato, et turbatis Principatus sui tam iudiciis quam officiis, omnia ad quaestum commodumque Ducalem conabatur referre. Longe deteriorem se senium, quam iuventutem agens, nihilque ad profectum aetas illi processerat, exactor avarus, punitor crudelis, neque enim quis illo ea tempestate inter Principes Poloniae amplius gravavit provinciam, neque commentus est callidiores ad expilandum fortunas innocentium vias.

Grandaevum et labore atque aetate gravem Wladislaum Bohemiae Regem Fridericus Imperator curia in Nuremburg indicta, instigantibus cum Baronibus Bohemiae quibus regimen Wladislai fastidio erat, a Regno Bohemiae deposuit, et Sobeslaum

Ducem Bohemiae, quem ipse Vuladislaus Rex annis sedecim captivum, ne res in Bohemia novaret, tenuerat, suo iussu relaxatum, Bohemis praefecit Ducem, regali Bohemos ne adversus se calcitrarent, privans honore. Vuladislaus autem Bohemiae Rex in Bohemia consistere propter Sobeslaum quem annis tot vinctum tenuerat, quemque necare constituerat, ne iniuriarum memor in se aliquid gravius consuleret, non audens, in Almaniam secedens, quarto post hac mense XVo Calend. Februarii moritur, et in Missen sepelitur. Filius insuper Vuladislai Regis Fridericus patre mortuo Sobeslai conspectum veritus, Friderici Imperatoris curiam exulis more sequebatur.

Sobieslaus Pomeraniae Dux moritur, et in Monasterio in Oliwa quod fundaverat, sepelitur, duos relinquens filios Msczugium et Samboriū.

Thomas Cantuariensis Episcopus, libertatem Ecclesiae strenuissime defendens ab Henrico Angliae Rege in exilium actus est. Quod cum septennio pertulisset, ad Ecclesiam suam reversus, antepenultima Decembris die apud fores Ecclesiae ab Anglicis obtruncatus, felicissimum martyrium consumavit, atq; ob tam victoriosam palmam in caelicolarum numerum translatus est

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS SEPTUAGESIMUS QUINTUS

Cum gravamen et oppressio singularum personarum singulorumque ordinum Mieczslaui Ducis Polonorum et Monarchae mandato multiplicaret et exquisita a

Suis officialibus praesidibusque dictum intenderetur, clamor quoque et vociferatio gementium, et lachrymae gravatorum, et se per calumniam et vim bonis et fortunis suis exutos, quaerentium in publicum prodisset, nec inter Consiliarios quisquam facta Ducis damnare et reprehendere auderet. Cracoviensium antistes Gedeon vir constantiae et zeli singularis, oppressorum fletibus motus, ducem Mieczslaum adit, et arbitris exclusis, causam oppressorum intrepide agens quibus et quantis calumnijs vastetur, opprimaturque provincia innotescat singulorumque gravaminum ex ordine iniuria declarata, deprecatur Ducem, ut novorum tributorum impositionem sub antiquis Polonorum Regibus et Principibus ignoratam, abroget. Inordinatas et non necessarias vecturarum exactiones, quae in Polonico Podwodorum nomine appellari solent, rescindat, calumniosam et tyrannicam bonorum confiscationem a suis officialibus pro levibus poenis et culpis hactenus irrogatam, per quam multorum substantiae consumptae sunt, et personae in extremam paupertatem redactae, rescindat, miserorum quoque et calamitosorum opem clementiam et tuitionem suam implorantibus, precibus et vocibus moveatur, provinciae quoque in qua illum et maior sanguis et voluntas populi monarcham constituit, parentem se praestet propitium, non tyrannum detestabilem, et execrandum, amplam laudem et popularium favorem si destiterit, maximum dedecus et sui status periclitationem, si perseveraverit, percepturus. Nihil hac admonitione salutari et paterna Mieczslaus Princeps motus, quin etiam vehementi ira vexatus, dure Praesuli respondet, Iure se non iniuria quicquam egisse: et tam tributo rum novorum impositionum, quam exactionum et pœnarum exactionum legittimam fore. Nec aliter et Regnum et Monarchiam administrari posse, nihil sibi cum Regibus et Principibus antiquis commune fore, si suo sensu suoque ingenio duci, et suo arbitrio non illorum exemplo actiones suas et decreta moderari, tam crasso insuper et eleganti ingenio se praeditum esse; ut non velit suis antecessoribus eorumque alternis ordinationibus substerni. Desineret proinde lacessere se, et pontificalibus potius rebus velut propriis intentus publica sibi curanda permitteret, non enim se ulla persuasione aut pacto ab his quae agressus esset, se retractaturum. In hanc sententiam Gedeon Episcopus dimissus, tristior quam venerat abijt.

Prima die Maij Boleslaus cognomine altus Vuratislauiensis Dux, apud castrum suum Grodziecz agens, expulsis fratribus et Monachis nigris de Monasterio Lubens quod ad fluenta Odrae Casimirus Poloniae Rex olim Cluniacensibus Monachis fundauerat, fratres Cisterciensis ordinis ex Monasterio Portensi supra Salam fluuium sito, sumptos, in illud introducit, et noua donatione atque inscriptione locum et omnes possessiones a Casimiro Rege donatas priuilegiat, aliquas etiam de nouo adijciens, adhibita ad huiusmodi transmutationem praesentia et consensu Vualtheri alias Zyroslai Vuratislauiensis Episcopi Mieczslaui patrui sui germani Poloniae Ducis et Monarchae, item germanorum suorum Mieslaui Ratiboriensis et Conradi Glogouiensis, item filiorum suorum Boleslai Jaroslaui et Mieslaui, Item optimatum suorum Principatus et Baronum, Cuius Monasterij primus Abbas Florentius, a quo et fratribus secum ex Porta in Poloniam ad praefatum Monasterium venientibus pomorum genus in Polonicum Regnum alatum ex cognomento Monasterij a quo sumptum Daports id est de porta vocitatum, in hanc diem multiplicatum perseverans

Concilio apud Turonum in Gallijs per Alexandrum tertium celebrato, Imperator Fridericus et censura Apostolica et rebellione ciuitatum Italiae et bellorum clade fatigatus, statum suum periclitatum iri formidans, nuntios suos reconciliationem petens et culpam recognoscens transmittit. Qua tandem in Venetijs legato Apostolico illuc aduenient per medium Friderici filij Imperatoris Ottha, qui a Venetijs classe ingenti amissa et deuictus et captus fuerat, iuxta beneplacitum summi Pontificis conficitur, et Ecclesiae Dei pluribus annis a quatuor antipapis mala morte pereuntibus, quos Fridericus Imperator manutenebat, vexatae, pax et libertas reddita est. Alijs placet quod Alexander Papa Imperatorias vires timens, Venetias refugit, a Venetijs benigne habitus, dum contra Venetos filium Otthonem cum classe misisset, et Ottho ipse superatus praelio nauali Venetias adductus esset, tandem euasurus captiuitatem, schisma inter Papam et Imperatorem summo honore Venetorum sustulit, quibus ad futuram rei memoriam Pontifex quaedam insignia perpetuo ferenda donauit

BOHEMORUM exercitus cum Odalrico germano Sobeslai Ducis Bohemiae in subsidium Friderico Imperatori, in Italiam ab eodem Sobeslao transmissus et suo more praedas et spolia agens, in Ulina ab oppidanis iniurias non ferentibus sub octavis nativitatis Sanctae Mariae virginis pene deletus est, et Odalricus cum paucis in dissimulato et sordido habitu, ne ab Almanis obtruncaretur, miserabili calamitate afflictus, et omnibus exutus in Bohemiam refugit.

Bernardus Posnaniensis Episcopus exactis in pontificatu annis tredecim obiit et in Posnaniensi Ecclesia sepultus est. Cui Swantoslaus Praepositus Posnaniensis et Canonicus Gnesnensis, nobilitatem de domo accipitrum ducens, per electionem Canonicam succedit, a Petro Gnesnensi Archiepiscopo confirmatus et consecratus de consensu Mieczslai maioris Poloniae Ducis.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTVAGESIMVS SEXTVS

Tyrannidem Mieczslai Polonorum Ducis et Monarchae, suorumque Capitaneorum, Praefectorum, et Officialium, Gedeon Episcopus Cracoviensis, summo studio summaque cura sanaturus, nihilque superioris iniuriae repulsa motus, cum et pontificali stylo id officio sciret congruere, et calamitosorum oppressorumque singultu, fletu, atque obsecratione urgeretur, novo reprehensionis genere, illi tamen quod Nathan propheta olim ad David habuit sermone, utendum duxit, quatenus Mieczslaus Dux exemplari simulachro moneretur, qui cum verborum efficaciam ante contempsisset et sua saltem sententia et decreto convictus, a tyrannide resipisceret, et in suorum reatuum atque erratorum, quibus regio universa et vulnerat et dependebat

deperibat veniret notitiam. Mieczslao itaque Duci sub
frequenti Consiliariorum praesentia publica negocia tra
ctanti, Matrona quaedam per Gedeonem Episcopum,
qui et ipse coram aderat, submissa, in tetro et lugubri
habitu, maestum insuper et lachrimis obortis obtectum
imbre fletuum praeferens vultum, ex industria ante
Ducali tribunal constitit, et super gravi iniuria et oppres
sione sua alta voce vociferatione audientiam ac iu
stitiam sibi praestari deposcens, tam Mieczslai Ducis,
quam omnium Consiliariorum suorum, quidnam quae
stionis eorum auribus illatura esset, expectantium
ora convertit. Hanc Mieczslaus Dux et pro matro
nali reverentia et ne fastidiosos suis auribus ingemina
ret clamores exauditurus, cum eminus consisteret,
propius accedere, et quidnam rei haberet, a quibusve
personis offensionem excepisset, omni pavore circum
scripto, iussit depromere, certissima etiam spe si illi
daturus, expeditam iustitiam, protelatione qualibet
succisa, ministraturum. Tum matrona maiori fiducia
Ducali sermone subnixa, tribunal Ducale accedens,
per bassam capitis demissionem reverentia princi
pi exhibita, in hunc penitus modum propositionem suam
quemadmodum a Gedeone Episcopo docta erat,
disseruit. Habebam ego domine mi Dux ancilla tua
copiosum balantium gregem, cuius carne lacte et
vellere vivens, etiam opes ex illis, quae cuiuslibet
ambitioni sufficere possent, quaesieram, felicemque et be
atam illo vivo pecore contenta agebam vitam;
Tribus interim meis mercenariis, quos etiam in tuum
conspectum iustius iudicium eis praesentibus exce
ptura, ire rogo, qui omnes excelsi et uberrimi loci

pastus

pastas ad caulas incolumes reducerent, conduxit. Sed a Mercenarijs grex meus negligentius habitus, vniuersus fere luporum saeuis morsibus deperijt. Ita nisi tu ancillae tuae suffragium iustum tuleris, actum de me est, deque fortunis meis, orbaque et misera necesse est efficiar, tam damno praecipitata pessumdata. Querela matronae Dux Mieczslaus audita, quaerit quisnam sit filius eius, qui mercenarij, quorum negligentia in tam grande damnum incidisset. Edito nomine suo adolescens filium se querulantis matronae professus, in mercenarios omnem culpam absorpti pecoris retorquet, Sed mercenarij primo loco causam suam dicere iussi sic refellunt. Frustra inquiunt Princeps Illustrissime perditi pecoris a nobis petitur solutio, frustra in tuum consistorium, quasi pecus commissum negligentius asseruando deliquissemus, pertracti sumus, frustra et haec matrona adolescentem hunc filium suum, quem tamen constat priuignum esse appellat. A quo etsi nobis pascendi custodiendique gregis non inficiamur curam fuisse acceptam, mercede commissa, vigilias tamen nostras perimit, frustrique, cum idem ipsius adolescentis impetus potentior, Ipse est siquidem venandi auidissimus, frequentes canes non atrocitate solum sed valde pestiferos, quorum illi vsus non a nobis tantummodo, sed etiam a viris grauibus et illustribus fuerat saepenumero exprobratus, vbique secum circumferens, stragem ouium committeretur, si infestatus fuerit edidisse. Notorium siquidem est, canum suorum turbam, in gregem ad pascua per nos eductum, latratu horribili insiluisse, et vniuersum pene gregem nobis nequicquam nostra vociferatione eos abigere volentibus, crebris ictibus lacerasse, strauisse, et enecasse. Huic accusationi adolescens respondere orsus, lupos simul et mercenarios accusat. Ego inquit Princeps Serenissime gregi a me hijs mercenarijs vendito, conspiratus luporum turmam cominus imminere, canes nodatos solui iubeo, et per abrupta iugaque montium et Alpium cum hijs vna mercenarijs fugientes insector lupos. Reuersa interim diuerso itinere luporum pars, desertum et solitarium gregem fundit et exanimat. Non in me itaque qui lupos abegi perditi pecoris culpa contorquenda est, sed in hos iniquos mercenarios et gregis sibi crediti desertores. Wenzslaum Ducem iustum decisionem partium querelis auditis, pronunciaturum, diu quaenam pars damnanda quae absoluenda, verisimilitudo defensionum perplexum ambiguumque tenuit. Et quamuis primum damnare mercenarios statuisset, velut gregis quem seruandum suo periculo susceperant, incautos desertores, quia tamen assertio mercenariorum rabidos canes capulis iuxta ouium gregem denodatos confessione adolescentis adliquidum verificata erat, fertur in adolescentem comprobantibus Consiliarijs sententia, ut quoniam occasionem damni probatus est dedisse, damnum suum matri siue nouercae resarciat, cum et lege diuina, dominus cuius bos cornupeta, vel equus calcitrosior damnum intulerit, ad damni refusionem teneatur.

Pronunciatione sententiae decisoriae, matronae querela absoluta, Gedeon Warmiensium Pontifex spiritu domino impletus assurgens, Justum, inquit, Princeps excellentissime diuinae et humanae congruens legi protulisti iudicium, et quaestionem nodosam aequa rectaque decisione absoluisti. Sed tum demum tua rata manebit decisio, si teipsum velut aequus legislator primum ea constrinxeris, quem sub effectibus suisque

significati

significatis, videtur expressisse, et ad te unum commonendum emendandumq; arte nova fabrefacta esse, quod quidem abducto velo facile potius accipere, non vigilanti enim tibi atq; sopito nocte atq; interdiu Polonorum Respublica occurrit, cuius cum rectorem libertatem et amplitudinem procurari deberas, egisti ut esset vidua, inops, serva, misera, et pene captiva. Haec siquidem matrona Polonorum provincia est regimini tuo commissa, tu quod inficiari non potes, filius eius, Balantum grex Polonicus populus, cui pascendo hostes et mercenarios, non sollicitos, dementesq; pastores praefecisti, ex quo non immerito filiali nomine abrogato, privignus infestus huius matronae, postquam te illius miserabilis et calamitosae conditionis iuxta atq; novercam non miseret, vocitaris. Sed et canes rabidos, officiales, praefectos, et exactores tuos licentia freno laxato tuoq; iussu et dissimulatione disrupto, omnibus oppressionum mulctarumq; generibus sinis debacchari, quorum atroci et infesto morsu grex innocens perijt, et tuam defensionem nequicquam implorans, in horrendam te inspectante pertrahitur calamitatem, cum exactores truculentissimi adeo etiam in gregem saeviunt et confractum discerpunt, ut non nisi per cruorem et iugulum gregis, rugientem esuriem expleturi, provinciam tuam perpetua solitudine atq; neci confecerint. Proprio itaq; determinatus atq; consultus iudicio, ea exequuto quae aliis imperasti, excussoq; negligentiae torpore, foedam enim avaritiam in te suspicari nequeo, tandem aliquando consurge, et tum honestati atq; primum saluti tuae, tum perditi atq; perituri gregis tui miserabili consule calamitati, ni ultione divina et humana percellaris, cum verisimile non sit tyrannidem tuam neq diuinitatem, neq Dominus diuturno tempore laturos. Ut enim caeterorum tui similium exempla transeam, satis tibi documento beatus David in omnes casus sit, quem populum numerare tantummodo, non opprimere, nec iniustis exactionari iubentem subitis et districtis ultionis diuinae vindex perstrinxit, sed neq tibi nisi victum tuum iusta paenitentia expiaueris, parciturus. Expergiscere propera aliquando, et nos omnes longa seruitute pressos libera, et tanti temporis moram dum licet, dum potes, velocitati compensa, et omni studio virtuti primum operationi bonae deditus gloriae tuae et posteritati undequaq per singulos vitae passus vaca, et animum tuum ab omni cupiditati, obscenitati, et prauitati, ne collabatur, aut deuiet, tempera, ab ultionum Domino qui nihil impunitum aut irremuneratum relinquit in te et stirpe tua debitas poenas et orbitatem non euasurus.

Eam reprehensionem Miecislaus Dux Polonorum, iam enim ira incanduerat diutius non ferens, non ex veritatis origine, sed liuoris fomite, non in correctionem, sed contumeliam, Episcopum agitasse commentatus, atq cum fremitu et ira ingenti ex concilio se euoluens, ultionis suas minas tam dicto Praesuli, quam dictis Baronibus qui illi assensi fuerant, minabatur, et Episcopum quidem in proscriptionem et exilium, caeteros in necem aut membrorum mutilationem confiscatione etiam bonorum adiecta, et in quaeq extrema frequenti usurpatione sermonis destinat. Neq ad tam salubrem, tam seuerum tamq catholicam exhortationem, animum suum ab ea, ad quam naturaliter pronus erat, crudelitati retraxit, nec mores suos incompositos compescuit, et non tam surdis quam iniquis, ingesta a Pontifice excepit auribus.

Svvantoslaus Posnaniensis Episcopus cum anno tantummodo uno sedisset, moritur, et in Ecclesia Posnaniensi riense sepelitur, cui Gerwardus custos Posnaniensis genere Polonus nobilis, de stirpe acervorum ducens genus, per electionem Canonicam succedit, a Petro Gnesnensi Archiepiscopo confirmatus et consecratus

Bello inter Sobieslaum Bohemiae et Henricum Austriae Duces exorto, Bohemia per Henricum, Austria per Sobieslaum gravibus flammis vicissim vasta magnisque praedis, damnis, et spolijs utraque regio affecta. Qua quidem guerra durante, Henricus Austriae Dux pede in pontis angusti progressu confracto diem obijt. Ex cuius morte Fridericus Imperator Sobieslao quod ipse mortis affinis sui Henrici occasionem praestitisset infestus esse coepit

Cazimirus Sandomiriensis Dux quarto Idus Augusti Coenobium in Sulejow Gnesnensis Dioecesis Ordinis Cisterciensis in suo Principatu fundat, Et Monasterium quidem praedictum in praedio Ruslaj Comitis ad fluenta fluminis Pileza qui absque liberis decedens Christum reliquit haeredem, propter loci et amoenitatem et commoditatem locatum est Dux tamen Cazimirus velut primarius fundator et patronus, et tunc et in omni vita sua, loco praefato magna charitate et favore affectus, praedia, villas, decimas, et salis coenobio praefato contulit in dotem, et plurima illi in rebus mobilibus et immobilibus largitus, pro eius amplitudine et decore, Ducalique munificentia omnia bona temporalia a se et alijs Monasterio collata, plene libertavit. Contulit autem Monasterio praedicto villas Sulejow, Strzelcze, Dambrowa, Baldrzichow, montem Brzeznam, Campa, Buczonow, Myanow, Strzepanow, Piotrow, Csennam, Thanyow, tredecim plaustratas Salis ex Bolonco Sandomiriensi recipiendas, Item Album Salis in Cracovia et novem Castores ex Camera Ducali recipiendos, Processu vero temporis Petrus Gnesnensis Archiepiscopus petitione praefati Cazimiri Ducis et Fulconis Cracouiensis Episcopi permotus, contulit eidem coenobio Sulieiouiensi decimas mensulares mensae suae Archiepiscopalis, in Sulieiow, Biala, Lanczno, Milcow, Stampny, Stelor, Domczelow. Item Ecclesiam in Baldrzichow incorporauit loco eidem cum decimis Standow, Ossenna et Pasturow

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTVAGESIMVS SEPTIMVS

Irritatum et furentem Mieczslai Polonorum Ducis et Monarchae animum Gedeon Cracouiensis Episcopus et primi Cracouiensium Proceres, et pro correctione in se habita exacerbatum videntes, placari et reconciliari, ipsum insuper Ducem a tyrannide capta auertere non posse, cumulationes enim in eos et in ceteros subditos ingesserat ut se inexorabilem demonstraret, pressuras extremi; Cum animaduertissent animum Mieszkonis in auaritiam depopulationemque praecipitem ac pene immedicabilem, verentes insuper ne iuxta indignationis suae ardorem graue in se aliquid consuleret, quid facto opus sit, clandestinis deloquuti digeruntque consiliis. Gedeon siquidem Episcopus sententiam dicere rogatus, sic disseruit. Videtis inquam, o Proceres, quo nos casu fortuna inuoluit, pressuras enim miserabiles patriae auertere, pro reprehensione nostra iusta quidem honesta et necessaria velut maiestatis violatae rei Ducali decreto supplicijs addicti sumus, et nisi interea aliquid nobis prospectum fuerit, ad cruciatus varios rapiendi, et qui aliorum pressuras leuare contenderamus, pressuris et ipsi opprimimur. Neque iam salus patriae nobis tantummodo spectanda curandaque est, sed summo studio summaque cura salus priuata seruanda, prouidendumque ne publica cum priuata

vna

una intercant Mihi in tam periculoso et patriae et nostro discrimine Tyrannum placet deijci, et in locum eius meliorem surrogari, sed anticipationem, celeritate etiam admixta facto, optimam reor, ne si Tyrannus prior supplicijs nos affecerit, conatus nostri nobis damnatis recidat in irritum. Ea sententia facile ab omnibus accepta et laudata, tum demum de substituendo Duce altero et Monarcha consultatio habita, quae cum plus difficultatis habere videretur, longius in illa immoratum est, praesertim cum aliquorum sententiae variassent. Verum Stephanus Palatinus Cracoviensis oratione sua caeteros in concordiam reduxit. Non convenit, inquit, Proceres, ut rem suapte facilem in difficultatem adducamus, et tam patriae quam nostro gliscenti, vel ut verius eloquar, superimpendenti periculo, varietate sententiarum in longiorem trahamus moram. Extat enim in propinquo Princeps ingenuus Casimirus Sendomiriensis Dux, cuius probitatem, prudentiam, facilitatem, et modestiam plurimis non tam indicijs et signis, sed operibus et effectibus et vidimus ipsi et continue experimur. In quem liberalitate naturae omnes pene virtutes, iustitiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, prudentiam, industriam constat confluxisse, blandus alloquio, conversatione gravis, aditu facilis, proprijs et exteris civibus et humilibus miseris et aliqua calamitate oppressis gratiosus, in virtute honoranda egregius, in labore premiando promptus, et in distribuendis Reipublicae muneribus et officijs dispensator fidelis, tantam ad omnes reddens benignitatem et gratiam, ut incertum efficeret, utrum in illo natura gratiam vincat an gratia naturam. Et licet se omnibus et placabilem exhibeat, cunctorumque excessibus facile de peccatis ignoscat, calumniatorum tamen tam severus et osor et punitor est, ut in perennem eorum confusionis opprobrium, et ut caeteris labes ipsa terrori foret, quosdam in fronti, aut in genis candenti ferro insignivit, cauterio, alijs in naso, alijs

in lingua

mutilationem impressit, plerosq; caecari aut fustibus caedi mandavit. Frugalitatem vero et liberalitatem in eo commendare non expedit, sed enim virtutibus omnes aetatis nostrae Principes pervicit. Neq; ut plerisq; principibus mos est aut inhiat acquirendis, aut incumbit acquisitis, sed universos census suos in Reipublicae profectus et commoda distribuit. Cibum et quietem nonnisi ad naturam accepit, et sequestrato a se ocio, ingem sibi indixit, ne torpesceret ignavia exercitationis, aut in simulacro pugnae, aut in venando, aut in ludo hastarum, caeterisq; heroicis et militaribus operibus laborem, illum tamen ~~de~~ tum demum prosequitur, dum publicis et seriis rebus primum plenam expeditionem praestiterit. Cuius ut probitas notior sit, unum virtutis suae insigne commemorabo. Una siquidem noctium Princeps Casimirus de quo agimus cum Joanne de Conarij milite et armigero, dum alearum ludum ingressus, ludum ipsum in mediam usq; noctem produxerat, cum ea alea aliquando Ducem, aliquando militem pronunciaret victorem, verum et celebribus discussionibus pro quiete habenda proveniret, communi consensu in periculum universae victoriae unus ludus acceptus est. Qui cum nimio fervore et avida spe consequendi bravij, quod in argent. magnam quantitatem propositum erat victori, ab utroq; gereretur, Dux tandem Casimirus militem Joannem praeveniens, bravij sortem athleta accepit. Joannes interim miles fortunas omnes suas una perditas palaestra iri dolens, in eum furorem atq; rabiem, cum et vino immoderate sumpto maduerit, versus est ut summae manus vibramine faciem Principis maxillata, noctis beneficio de manibus circumstantium elapsus diffugerat. Sed die altera sub crepusculo serotino, comprehensus omni iudicio velut maiestatis reus damnatus, supplicium capitis subiturus,

agebatur

arbatur. Sed Casimirus Princeps occurrens damnatum sisti iubens. Non committam, inquit Dux, ut pro maxilla data mihi iniuria, miles hic, cuius opera in Republica munera aliquando erit mihi necessaria, intereat. Facinus enim suum et temporis et ludi qualitas excusat. Quod si quantitatem damni, quo illum fortuna afficerat spectare volumus, absolui illum non damnari oportere. Ipse siquidem bravio, in quo omnes fortunas suas continere sciebat, amisso, fortunae non mihi iratus erat, furorem suum tamen quem deprimere non potuit in me fortunae ultionem sumpsiturus effregit. Sed a me, conditionis et status memore, conueniebat meminisse, ut ludicris rebus, quibus labefactatur maiestas abstinerem, cum in illis plures leuitates, probra, et contumelias, saepenumero nouerim contigisse. Deplori itaq, ego reatui subiaceo, qui publicam principatus mei dignitatem, ludicris inferens, ludibrio me addixi, quoniam Joannes qui primos et fortes motus frenare non valens, stimulatus insuper ebrietate, ulcionem bravij qua poterat arti.

Non solum itaq Joannem a maxillationis meae facinore absolutum pronuntio, sed et ingentes gratias habeo, quod mihi vexationem praestitit, per quam non huius tantummodo sed cuiuslibet alterius ludicrae rei labem a me prorsus relegabo, Continuo quoq et reum absoluit, et omnem argenti quantitatem quam lege ludi quaserat ex integro restituit, et restitutae propriam in remunerationis signum addidit. Ita sublevato tempore et in eodem homine grandis contumeliae ignouit facinus, damnationem remisit, perdita in integrum restituit, et iniuriam suam iuxta ac fauorem praemiauit. Possem et plura alia in huius Principis commendationem proferre memorabilia, nisi vobis omnibus ea nossem vulgaria, et notoria. Omnibus itaq votis is nobis Princeps expetendus est, huic et non alteri Monarchiae fasces deferendi, sub quo certum est nos

ab oppressionibus

ab oppressuris quibus agimur, et respirare, et felicem ac beatam posse agere vitam, Non cunctemur igitur Proceres, sed concordi sententia hunc decernamus assumamusque Monarcham. Itum est a reliquibus omnibus in hanc sententiam, et omnes illi assensi, ex loco consilij in Sendomiriam, ubi Dux Casimirus sedem habebat, tam Gedeon Episcopus, quam Baronum primi, pernicari cursu pertingunt, Ducemque Casimirum secreta audientia obtenta, his verbis conveniunt, eminebat siquidem in Casimiro, quamvis aetate minor, natura felicior, et ad consilium civilemque prudentiam aptior, ingenium munificentia conditum, et comitate, eratque comis et iustus, et dum adhuc iuvenilem et florentem aetatem ageret, extemplo mores ingenui et Regij in eo colluxere visi.

Non ignotum tibi putamus Princeps clarissime, quam durum et iniquum annis prope quinque patimur imperium, et in quam vastitatem vilitatemque nostra Respub. fratris tui Mieczslaui et suorum praefectorum oppressione adducta sit. Quam etsi precibus, consilijs et monitis nostris, tollere plurima gravamina et pressuras privatim et publice obsecrando et patriae ruinam demonstrando conaremur, casso tamen labore sudavimus, Consilijs enim et precibus nostris repudiatis tam infestus nobis esse coepit, ut omnes nos exilijs supplicijsque extremis afficiendos decreverit. Ad te itaque omnium ordinum concordi consensu oratum venimus, ut principatum Monarchiae assumas, et tam patriam quam nos tyrannide exsolvas. Verum nos tui fratris Mieczslaui imperium velut patriae et nostri publici et infesti hostis de caetero nullatenus passuros. Sumpto aliquali ad deliberandum spatio Casimirus Dux in hunc modum respondit Non primum quidem Proceres de gubernio de Monar

chia

Sic de imperatu suscipiundo, a vobis convenior, dudum in vita fratris mei charissimi Boleslai Crispi, a Jaxa et Swantoslao comitibus, pari petitione urgebar. Sed iniquum putavi et fratris et alumni mei turbare statum aut de iure et dignitate sua quicquam detrahere, sed omni regno atque imperio praestantiorem duxi fraternae pacis et concordiae puritatem. Qui itaque tunc uni fratri fidum me et purum praestiti, qua fronte modestiam meam inquinaturus, alterius principatum usurpabo? praesertim cum illum filiali semper devotione coluerim, et reciproca ab eo paterna complexus et amatus sim charitate. Tum Gedeon Episcopus et Proceres. Longe, inquiunt, Dux dispar in praesentiarum versatur respectus, Boleslaus secundum Crispus frater tuus aequo iure et iusto imperabat regimine; at hunc successorem suum Mieczslaum ad omnia tyrannorum studia, a quibus nullo pacto avelli potest, vides divertisse. Ingentem itaque pietatem, ingentem charitatem, non ambitionem non facinus credas te demonstraturum, perpetuamque laudem, et cum beatis mercedem habiturum, si laboranti et pene suffocatae et extinctae patriae subveneris, si illam a tyrannide et oppressione vindicaveris, omnibus etenim, quos non Catholicos, sed etiam gentiles scimus sensisse, qui patriam adiuverint, auxerint, defenderint, aeternum definitum est in caelo locum fore, ubi beati sempiterno fruuntur aevo, in tyrannum quoque iuxta atque in damnatum licet saevire. Tu solus et unicus crederis, qui nostrum et patriae sanare potes discrimen et rescindere, In extremum tibi nostram, tibi patriae salutem committimus, in tua potestate et manu situm, vitamne nobis et patriae an necem et perniciem, ad quam fratris tui sententia extamus damnati, sis praestiturus. Hac et pluribus vocibus Casimirus Dux expugnatus, non regnandi libidine,

non ambitione

non ambitionis ardore, non odii livore, sed sola patriae charitati tandem consentit, se Monarchiae regimen suscepturum. Cum modesta itaque suorum militum manu, Gnesnen. Cracovien., ceterisque provincialibus comitantibus Casimirus Dux versus Cracoviam pergit, quem advenientem omnis nobilium et militantium excipiunt legiones, omnes occurrunt, favent, et gratulantur, sed et agrestium turba catervatim se effundunt, et suum ac patriae acclamant in nomine domini advenisse liberatorem. Aberat tunc a Cracovia Mieczslaus senex, et in maioris Poloniae ac Pomeraniae Ducatus secesserat, nisi uxore et tribus filiis de principatu Cracoviensi eiectus, in Ratiboriam se contulit, ibique et domicilium suum fixat, Unde et arx et cunctaeque Cracovienses absque omni difficultate, renitentia, Casimiro per Capitaneos et officiales Mieczslaui sunt praesentata, singula deinde castra et munitiones in Casimiri sponte venere ditionem, Tantumque odium Mieczslai Ducis in pectoribus singulorum invaluerat, ut omnes eos crederes in suam eversionem una mente et spiritu quasi in quandam communem pestem conspirasse.

Bernardus Posnaniensis Episcopus breviusculo tempore vivens a peste epidemia correptus, moritur, et in Posnaniensi Ecclesia sepelitur, Arnoldum primum habuit successorem Polonum nobilem de stirpe Dolanga, a Petro Gnesnensi Archiepiscopo electione Canonica et Mieczslai Maioris Poloniae Ducis consensu illi suffraganti confirmatus et consecratus

Romanorum Imperator Fridericus, sedulis criminationibus quae et per Fridericum Bohemiae Ducem filium Vladislai Regis Bohemiae in curia sua velut exulem manenti, et per nonnullos Bohemiae Barones parti suae faventes deferebatur, quibus illum et fremitum superbe et avare administrare et Imperatori minus fidum et rebellem esse perscribebant, Sobeslao criminationes purgare negligente, expugnatus, Sobeslaum a Ducatu Bohemiae et eius regimine destituit, et Fridericum filium Vladislai per traditionem vexilli Bohemiae investit. De eodem guerra insuper contra praefatum Sobeslaum Bohemiae Ducem, et Conradum Moraviae Marchionem exorta. Sobeslaus a Conrado cuius provinciam hostiliter vastandam intraverat, ferentibus Conrado Australibus solatia, campestri certamine victus, in Bohemiam refugit. Qua quidem clade Friderico adversario suo crevit animus, et in certam spem erectus haud dubitabat Sobeslaum clade huiusmodi perculsum, posse de Bohemia facile expelli.

Eclipsis Solis anno eodem hora sexta Idibus Septembris

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEPTVAGESIMVS OCTAVVS

Deiectionem suam a Monarchia et Principatu Polonorum Mieczslaus Poloniae maioris et Pomeraniae Dux moleste ferens, armis, et guerra, et ultionem de fratre suo Cazimiro caeterisq; suis deiectoribus, et restitutionem sui in Regnum sperat, et summo contendit efficere conatu, velut is, qui omnium animis gravi oppressione et tyrannide irritatis exulceratisq;, nihil spei in charitate et benevolentia subditorum, in his quae ad suam restitutionem conducerent, sciebat posse reponi. Accersitis autem Consiliarijs maioris Poloniae et Pomeranorum, si enim nondum a suo desciverant imperio, quid facto opus sit consultat, et omnium quidem Consiliariorum uniforme erat votum, iniuriam a Casimiro illatam armis vindicandam esse, neq; ullo pacto deiectionis ferendum opprobrium, Vicinorum tamen Principum et generorum suorum, in id bellum implorand a solatia, sine quibus futura dimicatio cum Casimiro periculosa videbatur. cui viris armisq; proprijs abundanti, etiam Ruthenorum subsidia constabat accessura. Misit itaq; extemplo et ad Sobieslaum Bohemiae, et Saxoniae Lothoringiaq; Duces nuntios, iniuria Mieczslavi exposita, et quod per fratrem germanum Casimirum de Regno propulsus sit declarato, petunt, et sororis sui dedecus non patiantur inultum, sed aut personaliter in sui solatium adveniant, aut gentem armatam mittere non cunctentur. Sed Sobieslaus Bohemiae Dux proprio se bello respondit occupatum, cum Fridericus frater a Ducatu Bohemiae deiectus cum Almanico exercitu sibi immineat. Saxoniae vero et Lotharingiae Duces pari excusatione usi, in bellum quod Caesar in Italia occupatus erat, militiam suam transmisisse, sed et in aliud bellum, quod pro terrae sanctae recuperatione Imperator instituit, novorum militum supplementum sibi imperatum fore. Ita exterius et speratis auxilijs deficientibus, proprijs vero congredi non ausus, aestas anni illius sine ullo bellico stridore extracta est. Casimirus vero Dux solium sui Principatus aequitate et iudicio stabiliens, splendorem sui nominis etiam apud exteros et hostes diffundebat

Quintodecimo Calendas Aprilis Samborius Pomeraniae Dux Monasterium ordinis Cisterciensium in villa sua Ducali Oliwa, Vladislaviensis Dioecesis fundat, et septem villas videlicet Olivam, Szallowprze, Alambowny, Sterzow, Stanowo, Gransowny, et Sinczinicze; item decimam Bolonorum, piscationum, stadiorum et pecorum illi pro dote assignat.

Certior ab exploratoribus Sobieslaus Bohemiae Dux factus, fratrem suum Fridericum Vladislai Regis Bohemiae filium cum Almanorum et Bohemorum transfugarum ad se ex principatu deserendum adventare exercitu, copias et ipse contrahit, et Friderici operitur adventum. Quo callido et vafro consilio moram agenti, Sobeslaus illum de caetero non superaturus venturum, solvit exercitum. Fridericus vero suam artem prosperatum iri videns, mox Bohemiam ingreditur. At Sobeslaus cum paucis, neque enim ad convocandum exercitum universum, spacium temporis poterat sufficere, illi occurrens congreditur, facileque sua paucitas a Friderici multitudine victa est. Fuga tamen Sobeslaus evadens, in Skalam se cum paucis recepit. Fridericus vero Pragam, in qua Sobeslai consors morabatur, obsidione cingens brevi capit, illamque protinus magno militum communit praesidio, intelligens illius possessionem ad caetera subijcienda magno fore usui

Vuernerus Vladislaviensis Episcopus, pontificatu annis septem administrato, ex humanis absumitur, et in Ecclesia Vladislaviensi accepit sepulturam. Cui Vuolphus Decanus Vladislaviensis per electionem Canonicam succedit, ab Alexandro tertio, petente Casimiro Poloniae Duce et Monarcha provisus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS SEXTVAGESIMVS NONVS

Bellum Mieczslao Maiori Poloniae Duci et Pomeranorum, pro sui in Monarchiam Polonorum restitutione, adversus Casimirum Polonorum Ducem et Monarcham, maximo aestu atque conatu ex proprio milite, postquam externus non sufficiebat, apparanti, novus incommoditatis casus ingestus est. Filius etenim suus natu maior Otto ex primo coniugio susceptus, gravi iniuria a patre, qui blandimentis secundae consortis persuasus, filijs secundi matrimonij meliores sortes principatuum

suorum relinquere testamento disponebat, affectum
se degrauari, contra patrem cum nonnullis maioris
Poloniae Baronibus coniurat. Oportunoque tempore castris
et munitionibus paternis in maioris Poloniae principa
tu occupatis, patrem de sede sua conturbat et depel
lit, nunciosque ad Casimirum Monarcham mittit, spon
dens se obedienter, quae imperet, facturum et cum omni
bus castris et munitionibus, gentibusque sibi parentibus,
tam fide, quam obsequio, sincere adhaesurum. Casi
mirus autem omnibus alijs terris et castris, quae
ditionis Mieczslaui fuerant, sub potestate et regi
mine Otthae nepotis sui relictis, Gnesnense castrum
et ciuitatem cum suo districtu propter loci veterem
dignitatem et famam sui fecit iuris. Defectionem
autem maioris Poloniae mox citerior et ulterior Po
merania, quae et ipsa Mieczslauo parebat, secu
ta est, facinus tamen Otthae in patrem admissum per
osa, primoribus destinatis Casimiro Monarchae ple
nam facit deditionem. Cuius regimen propter loco
rum distantiam in duos praesides partitur, et ulterio
rem quidem Pomeraniam, quae hactenus Slupsko vo
citatur, comiti Boguslao de domo et gente Gryphonum,
citeriorem vero cuius Gdansk principalior ciui
tas erat, Szamborio Baroni regendas commisit. Quo
rum uterque, processu temporis Duce Casimiro obeunte,
se dominum non praesidem gerens, principatum prae
dictarum prouinciarum, et eorum posteritas post illos
aliquanto tempore conciliato sibi militarium et ciuium fa
uore, usurpauit. Tunc insuper Boleslai Crzywousty
oraculum, quod moriturus Regno in quatuor filios
quinto nulla portione relicta diuiso, depromserat, ve
rificatum fuisse notatum est, quin Casimirum tunc

quidem

Eundem infantem, et nullam portionem inter fratres, patris ordinatione et testamento sortitum, quatuor tetrarcharum quadrigam, spiritu sibi revelante, praedixerat conversuram. Cui etsi Slesiana regio a filiis Vladislai alti possessa, propter eundem discordant, minor enim natu Mieczslaus, maiorem natu Boleslaum de Ducatu suo propulerat, quod aliquandiu parere detrectasset. Casimirus tamen Monarcha maturitatis suae industria, pacificatis concordatisque fratribus, eam ad sui obedientiam reduxit, Mieczslausque de Vratislaviensi Ducatu, cuius eum tenebat ambitus, Boleslao, cui sorte obtigerat, cedere coegit, quod ut aequanimius ferret, et ordinatio tunc confecta de caetero rata foret, duos Mieczslao districtus a Cracoviensi provincia abstractos, Bithomiensem videlicet et Osswiecimensem de novo largitus est. Cuius filio nuper nato ad Baptisteriorum solennitatem invitatus nomen suum Casimirus indiderat. Mazoviae etiam et Cuiaviae provincias ad Lestkonem nepotem suum, filium Boleslai Crispi pertinentes Zironi Comiti viro grandaevo et prudenti commisit gubernandas, et Lestkoni suo nepoti illum in ductorem et alumnum propter eius singularem probitatem praefecit. Eo insuper anno Casimirus Polonorum Dux, Brestensem, Vladimiriensem, Drohicensem, et Premisliensem provincias a regno suo distractas recuperat, et castris principalibus conquisitis constitutisque praesidibus provincias ipsas per se administrat. Mieczslaus autem senex, maioris Poloniae et Pomeranorum Dux, a filio Ottsa exclusus, in Ratiboriense oppidum, quod suae extitit potestatis, se recepit, et illic cum uxore et tribus filiis sub omnium rerum tenuitate et penuria agebat involutum

Sedente Jaroslao Izaslawicz Duce Russiae annis aliquot in Kyoviensi Principatu, felicitati et sorti eius Swantoslaus Czyrnieoviensis Dux invidens, exercitu non parvo congregato, ablaturus illi Kyoviensem sedem vadit, clandestine contra illum, et nulla diffidatione praemissa, dum Jaroslaus Izaslawicz in arce Kyoviensi securus consisteret, castrum Kyoviense pro amico et fratre existimatus ingreditur, cum omnibus suis copijs et in tantum occupat. Inter tumultum tamen Dux Jaroslaus aegre aufugit. Consors vero sua, et filius illius iunior, et omnis militia a Swantoslao capta est, Omnibus denique thesauris suis amplissimis, et omni suppellectili Swantoslaus potitus est, et tam captivos, quam spolia in Czyrniow deducens, Castrum Kyoviense, impugnationem veritus, desertum relinquit. Quo Jaroslaus Izaslawicz audito, contractis auxiliaribus copijs, duos insuper nepotes suos Duces filios Roscislai Sabinos cum gentibus in suo comitatu, venit in Kyow, et arcem Kyoviensem forti praesidio muniens, omnem culpam patrati in se per Swantoslaum Czirnieoviensem Ducem facinoris, in Kyovienses quasi eorum ope et consilio et subordinatione patratum fuerit, refundens, divitibus civibus spoliatis, etiam omnes Abbates, sacerdotes, Monachos, moniales, et quoslibet latinos captivat, et gravem censum pro eorum liberatione accipit, ceteros vendit, et multa abominanda in Kyovienses committit. Contra Swantoslaum denique Czyrnieoviensem Ducem hostem et spoliatorem suum procedit, et illum in Czyrniow obsidet, sed proficere se non videns cum illo pacificat[2]

Ducatum suum Bohemiae Soborslaus Dux a quo per Fridericum Regis Wladyslai filium Al manorum suffragio deiectus erat, resipiscens, copijs aliquantis congregatis, Pragam in Friderici absentia, qui ad Imperatorem vocatus ierat, tentauit recipere. Sed dum secus cessisset, magno enim Almanorum praesidio Praga defendebatur, Fridericum ex Almania cum magno Almanorum exercitu reuertentem, in loco iniquo deprehensum, iniquitate loci adiutus, confligit, et exercitum suum adeo sternit et dissipat, ut in unum duo non possent reperiri. Verum dum Fridericus Conradi Morauiae Ducis et gentium suarum solatio ex clade accepta, erectus, in Pragam contenderet, Sobieslaus superiori elatus victoria, prope Pragam utrique occurrit, et pugna commissa, strageque utrinque edita, victus refugit, annoque insequente mortuus, pacificam Friderico Ducatus Bohemiae reliquit possessionem. Hic in Almanos tam saeuo et truculento saeuiit genere saeuitiam suam Bohemis inflammantibus fertur visus esse, ut quoslibet Almanos in Bohemia repertos, aut ipse in naso mutilauerit, aut mutilari permiserit

Gedeon Cracouiensis Episcopus fundat, construit et dotat Monasterium in Vuanchoczho ordinis Cistercien. supra fluuium Kamiona, de bonis sui Episcopatus Cracouiensis, et plures decimas mensae Episcopalis illi donat, in dotem, Ecclesiamque ad honorem Sancti Floriani consecrat, cui singulari affectu famulabatur, non quidem tunc, cum Monasterium fundasset, sed cum muros eius quadro consumasset lapide, corpore Beati Floriani in Cracouiam, ut in sequentibus dicemus, delato

Alexander Papa tercius, Gallijs in quibus annis prope decem et octo demoratus, propter turbationem et Scisma Ecclesiae, fuerat, relictis, Scismati ſublato, et quatuor Antipapis ſibi ſucceſsiue ſuccedentibus, mala morte abſumptis, periculo maris Tyreni ſe committens, Italiam et deinde in vrbem cum maximo cleri et populi fauore ſuſceptus venit.

Plocenſis Pontifex Lupus cum annis nouem ſediſſet de Pavalzi moritur et in Plocenſi Eccleſia ſepelitur, Cui Vitus de Chotel ex terra Sendomirienſi ortus, nobilis de domo Ianina per electionem Canonicam ſuccedit, a Petro Gneſnenſi Archiepiſcopo, Caſimiro Duce Cracouienſi, et Regni Poloniæ Monarcha conſentiente, prouectus, qui tria Monaſteria ordinis Premonſtratenſium fundat, videlicet in Vitſow, Buſko, et Ploczsko

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS OCTVAGESIMVS

Vniuerſis prouintijs Regni Poloniæ ad obedientiam ſuam Caſimirus Poloniæ ~~Rex~~ Dux et Monarcha mira ſolertia induſtriaque reductis, id primum ſibi Princeps virtute clarus agendum aſſumpſit, vt patriam exquiſitis preſſuris et grauaminibus concuſſam, in libertatem et æquitatem vindicet, Omnes itaque quæ a Mieczslao fratre ſuo vnicuique præfectis et officialibus conſtituta erant noua Iura, tributa, Telonea, et exactiones diſſoluit, et abrogat, calumnias reſecat, calumniatores autem proſcribit, aut igne cauterizat, et omnia iudicia iniqua, quibus ſubſtantiæ hominum abſorbebantur, eliminat, et ad recti iuſtique libraminis redigit puritatem. Ad maiores deinde abuſus, qui ex veteri conſuetudine non inter prauaricationes et vitia, ſed inter leges et iura regni numerabantur, abolendos, operam ſuam omnem conuertit, qui, quoniam et Principes et Baronibus maioresque Poloniæ permaſerat difficiliorem ſui efficiebant conditionem, moleſte ferentibus Primoribus, ſe ſuis prærogatiuis et commoditatibus priuari nari. Erat etenim Poloniae genti consuetudinarium et solenne, et nobiles, et militares, facientes per regnum transitus, et itinera, non foenum tantummodo, stipulam, et palleam, sed annonam et reliquum victum agrestibus imperarent, et abnuentium, potenti invasione domibus et horreis perfractis suam mentem licentius explerent, et bona agrestium non tam depascerent quam proculcarent. Privata insuper negotia, qualem interdum importantiam habentia, nobiles et militares dispositivi, equos agrestium in rure vel campis aprehensos per se, aut suos satellites conscensos, citato et pernici cursu longa interdum terrarum et locorum spatia conficiebant, ex quo equis fatigatis, aut irremediabiliter enervatis, saepe quoque numero extinctis, vel in remota terrarum spacia abductis, interdum etiam qui probati et praestantes essent, usurpatis, magna pernicies et egestas, agrestes in opere suo neglectos, aut equis privatos sequebatur. Bona insuper Episcoporum decedentium, tam mobilia quam immobilia, praedae et direptioni patebant, aut ducali fisco mandabantur. Magno itaque conventu apud Lanciciam indicto, quanta mala, quanta homicidia ex praefatis tribus abusibus consurgant, quantis regnum vastetur et affligatur incommodis, quantum praevaricationis huiusmodi gentilem et barbaram crudelitatem redolentes offenderetur proculdubio Deus, in Ducum, Episcoporum, et militantium frequenti multitudine edixit. Decreverunt propterea abusus huiusmodi exterminandos esse, et divinitatem sibi hactenus iratam efficerent propitiam, et se Catholicorum regnorum sacris legibus conformarent. Se enim sic institutum esse, ut sub sua Monarchia et regimine diutius tam sceleratas et profanas consuetudines, offensam Dei et iniuriam proximi et sacrorum notoriam continentes non esse passurum. Aderant huic concilio Praesules octo, Sdzislaus Gnesnen., Gedeon Cracovien., Ziroslaus Vratislavien., Onolfus Cuiavien., Cherubin Posnaniensis, Lupus Plocensis, Conradus Caminecen., Radentius Lubucen. Tres Principes, Ottho Posnanien., Boleslaus Vratislavien., Lestko Mazovien. Baronum quoque et militarium multitudo copiosa. Quorum frequentes sententiae abolendas consuetudines iniquas, propter quas divina indignatio variis infortuniis et adversis successibus credita est Polonos percussisse, determinabant. Et ne consuetudines ipsas contingeret a quoquam in posterum resumi vel innovari, omnes illarum aut alterius ex eis authores placuit horrendo anathematis cirographo vinari. Postridie itaque, tam Zdzislaus Gnesnensis Archiepiscopus, quam omnes Polonorum Episcopi Pontificali amictu induti, Casimiro Polonorum Duce et Monarcha universisque Principibus, Baronibus, militibus, et communitate praesentibus, iubentibus, gratificantibus, et tam se quam posteros in legem et vinculum huiusmodi submittentibus, in hunc modum pronunciat. Qui colonorum et agrestium annonam aut alias res vi aut aliquo ingenio tulerit aut auferri iusserit, anathema sit. Qui in legationis aut necessitatis publicae vel privatae occasione, praeterquam ad denunciandum hostium in patriam imminentem insultum, cuiusquam quadrupedem et iumentum in angariam Pidwodatiam acceperit, vel accipi iusserit, anathema sit. Qui bona Pontificum aut Ecclesiasticarum personarum decedentium rapuerit, occupaverit, distraxerit, etiamsi sit persona illustris, et regali, ducali, aut quacunque alia praefulgeat dignitate, anathema sit. Qui Episcopatum spoliatum, restitutione non habita, acceptaverit, et raptorum aut distractorum relaxationem raptoribus, satisfactione legitima non praecedente, impendent, derit, velut sacrilegii particeps et consentaneus, et qui ambitioni suae et commodis inhiando sacrilegio occasionem praestiterit, anathema sit. Et acclamatione concinna, a Clericis et universo populo responsum est Amen. Ut autem tam saluberrimae constitutionis in futuras generationes habeatur duramentum, solerti Ducis Casimiri ordinatione, Nuntii ex utroque statu Romam et ad summum Pontificem Alexandrum tertium mittendi deliguntur, confirmationem papalem, quae constitutiones ipsas et in scriptum redactas, et Ducis Casimiri Pontificumque, Principum et Baronum sigillis munitas, Apostolica firmitate perennet, et Corpus, ossaque alicuius Sancti, quo Cracoviensis insigniretur Ecclesia obtenturi. Et Nuntii quidem Polonorum apud Tusculanum Alexandro Papa offenso, benigne habiti et audicti sunt; gratiaeque praesente Cardinalium caetu ab Alexandro Polonis actae, quod pestifero durante Scismate, nationibus et Regnis ceteris aut claudicantibus, aut obedientiam Antipapae profitentibus, ipsi constanti perseverantia ab eius obedientia non discesserunt. Constitutionem deinde Polonorum velut iustam et religione plenam et commendat et confirmat, de dandoque sacro corpore benigne legatos Polonorum sperare et se Romam subsequi iubet. Confirmationis autem suae pro rescindendo dubitationis scrupulo exemplar subnectimus, cuius a nobis originale in Ecclesia Cracoviensi conditum saepe, et attrectatum et visum est

Alexander Episcopus servus servorum Dei Dilecto filio nobili viro Casimiro Duci Poloniae salutem et Apostolicam benedictionem. Ex parte tuae magnitudinis relatum est nobis quod de consilio Archiepiscopi et Episcoporum Poloniae, et Principum terrae, quasdam abusiones et solitas iniurias ab Ecclesiis et personis Ecclesiasticis amputasti, constituens ne bona decedentium Episcoporum ulterius confiscentur.

tur. Constitutum est etiam ut si quispiam in res defuncti Episcopi manus iniecerit, vinculo anathematis teneatur nec praesumat aliquis raptorum defuncti Episcopo succedere, donec absolutionis beneficium assequatur, restitutis ablatis, vel ablatorum congrua aestimatione praemissa, Consuetudinem autem quae a Principibus terrae servabatur, videlicet ut quocunque pergerent pompatice, invadentes horrea pauperum evacuarent, et si inter absentes aliquid in periculi quandoque contingeret, ipsi satellites discurrentes, vastos quosque caballos, vel enervarent in cursu, vel omnino destruerent, de Ecclesiasticorum et saecularium virorum consilio emendasti, Unde quoniam constitutionem tuam iustam pariter et honestam authoritate nostra postulas confirmari, Nos tuis iustis postulationibus annuentes, constitutionem praescriptam, sicut in scripto autentico super hoc facto habetur, authoritate Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, sub interminatione Anathematis prohibentes, ne quis eam violare aliqua ratione praesumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Tusculan. V Calend. Aprilis

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS OCTVAGESIMVS PRIMVS

Exclusionis suae a principatu et dominio Mieczslaus Poloniae maioris et Pomeranorum Dux agitatus molestia, dum restitutionem suam armis et potentia efficere non posse adverteret, omnem spem in fraterna misericordia et compassione Ducis Casimiri reponit, et tum per nuntios, tum per epistolas frequentes cum obsecrat, secratur, et fatigat, quatenus illum cum uxore et filijs exulem amplius esse, et beneficia a se dum cum tempora haberet aetas, obliteratum iri non sinat. Nosse se, et Casimirum inficiari non posse, quanta charitate et fide adolescentiam eius fouerit, et ut a patre negatam sortem assequi fratre Henrico absumpto, posset, enixe institerit, quam frequentibus et cumulatis fauoribus et beneficijs eum complexus fuerit, quod insuper nunquam illi aliquid negauerit, nunquam molestus, grauis, fastidiosus, aut arrogans fuerit sed illum non in fratris solum sed in filij amasset loco, Casimirumq, his verbis compellabat. Potesne inquam aequo animo et siccis oculis me unicum superstitem germanum natura, at certe clementia parentem tuum exulem videre, potes beneficiorum a me susceptorum obliuisci, potesne ferre ut ego canis respersum habens capillis caput, cum uxore mea, gloria tua, tuisq, nepotibus, in meum et tuum, imo domus nostrae et generis grande ludibrium stipe aliena sustenter? et meos principatus, me superstite, insidiis et male de me meritus filius Otto sub tui patrocinij umbra possideat? ferreone es pectore, aut ex tygride nactus es praecordia ut neq, te mea, neq, meorum conditionis misereat? At si tibi nulla communionis sanguinis, nullo beneficio, nulla necessitudine obstrictus esses, mouere certe vel sola mea et meorum, consortis, et filiorum, mecum una expulsorum tam iniuria quam calamitate debueras. Recense et meorum in te beneficiorum collatorum, recense et tuarum sponsionum, quibus nullo pacto, nulla ratione mea in te beneficiā moritura ingeminabas, recense postremo et miseriarum calamitatisq, meae magnitudinem, et frigescentem in te charitatem, vel tot igniculis accende, et in exule in fratre, imo in parente, quam nemini alteri negare solitus es, deprome pietatem. Quod si fortissimus animum tuum, Monarchia, ne ab illius solio me restituto, excludaris, subit respectus, at ego cum iam languido et effecto corpore sim, et ad publica munera obeunda, parum mihi videor idoneus, bene mecum, sed et cum nostra Republica optime actum reor, quod tu et animo et manu ad omnia promptus, iure haereditario, cum sis filius mortui, et germanus viventis, legittimo tempore dum a me utiliter administrari non poterat, occupasti Tanto itaque probum gerendis rebus patriae nostrae, regimini tuo non invideo, et te forte principatus maioris et Monarchiae digniorem me iudico, tibique viro forti imbecillis ipse animo et viribus, de solio eius, quod in meam restitutionem animo aequior sis, cedo, iureque omni mihi in illo competenti tam in praesens quam in futurum me abdico atque renuncio

Proceres et Barones universumque vulgus terrae et Castellaniae Slupensis graviter et iniquo animo ferentes ab Ouardo Daciae Rege, asserente se, sicut verum erat, ex regibus et Principibus Poloniae per aviam suam genus et originem ducere, terram et Castellaniam Slupensem, dum tunc illam Vladislaus maior Poloniae et Pomeraniae Dux sub suo regimine obtineret, per potentiam occupasse, et annis plurimis, ipso Vladislao Duce Poloniae suam et totius Regni Poloniae gravem iniuriam rescindere negligente, iniusta occupatione detinente; Conspiratione unanimiter facta, ne processu dierum occupatio ipsa violenta in iuris et iustae subiectionis ra Sortiri necessitatem, et ipsi in perpetuam Regum et Principum exterorum, cum haberent naturales et proprios, redigerentur servitutem et ditionem, superbam et iniustam praefati Ouardi Regis Daciae dominationem perosi, ab ipso desciscunt, et Suantopelkum Pomeraniae Ducem in dominum et Principem suum assumunt, Coepitque extunc terra praefata et Castellania Slupensis Regibus et Principibus Poloniae in temporalibus, Archiepiscopo vero Gnesnensi in spiritualibus, ad quos ex sua primaeva fundatione pertinebat, cuius tunc Henricus Kietlicz obtinebat sedem, esse obedienter subiecta

Ad intima pectoris Casimiri Ducis et Monarchae supplicatio fratris Mieczslaui, tam humilis tamque modesta penetrauerat, lachrimis abortis, se et exilii et fratri suaeque iuuentutis et orphanitatis alumnum compassiuum testabatur. Sed et mutabilitatem in eo recensendo mirabatur fortunae, quae illi non Monarchiam solum sed et naturales et haereditarios Ducatus ademisset. In tam vero grandi re, proprio nolens vti arbitrio, frequens consilium aduocat, et de restituendo fratre Mieczslao apud Senatum verba facit. Nimis, inquit, acerbo animo, Proceres, Mieczslai Ducis, qui mihi unicus frater relictus est, exilium fero, plurimumque suae et natorum suorum, qui alterum me parentem existimant, calamitatis me miseret, a quo crebro ut illum in suos principatus restituam exoror, Ius quoque Monarchiae penes me relinquens, illi cedit atque renunciat. Iustam ego Proceres petitionem suam existimo, Monarchiae quoque principatu se abdicanti, sortem haereditario iure eum contingentem, reddi illi aequum censeo, iniquum ratus, si eo viuo et spirante aut filius eius Otto aut caeteri in eius principentur dominio, et eo calamitate atque exilio afflicto illi gloriosi atque splendidi refulgeant.

Fastidiosis auribus Ducalibus sermo a Consiliariis exceptus est, murmurque mox subortum, obstinatum deinde silentium omnes aliquanto tempore tenent. Tum spatio ad consultandum a Duce petito, secessione in aliud locum facta, adeo consternatis animis, tumultuario magis quam senatorio more, ita ut res parum a iusta seditione differret, deliberant. Multorum enim sententiis placebat, et Casimirum simili expulsione qua et Mieczslaum pelli. Mitigato tandem furore in hunc modum respondent. In audiendo, inquiunt, Princeps Illustrissime a te votorum discrimen, sermo quoque a te de restitutione fratris tui Mieczslai habitus, capitale portendit supplicium, et in omnium nostrum exterminium restitutus Mieczslaus non desinet grassari, vehementer angimur, vehementer cruciamur, qui probe novimus, iratum Mieczslai animum nonnisi voluntati carnificina in nobis deprompta quieturum. Superest ut si de restituendo Mieczslao sententiam non correxeris, nos omnes aut in voluntarium exilium abituros, aut aliquam aliam rationem nobis et vitae nostrae prospecturos non dubites. Nec nostrae tantummodo sed et tuae timemus parti, cum promissorum facile oblitus in tuam machinabitur depulsionem. Tum Casimirus Dux consiliariorum animos in seditionem spectantes mitigaturus, mutat illico decretum, et de restituendo fratre Mieczslao sententiam abrogat, consiliariisque pollicetur, non amplius se de re hac quicquam innovaturum. Gratias insuper agit singulis quod tam sinceros, fidos et constantes eorum erga se animos expertus esset. Mieczslaus itaque senex his, quae de se in concilio erant acta, Casimiri intimatione cognitis, ad Fridericum Imperatorem personaliter se conferens, iniuriarum suarum conditione declarata, suffragio Caesareo se in principatus suos restitui deprecatur. Verum dum Fridericum Imperatorem transmarino bello, quod in terrae sanctae subsidium agendum susceperat, aliisque gravibus imperii negocijs occupatum intelligeret, in Poloniam revertitur, et maritimae orae principi Msczugio locata filia, eius et aliorum sibi faventium fultus auxilio, Casimiro insuper Duce et Monarcha favente et conscio, Gnesnense castrum intercepit. Ex quo caetera maioris Poloniae castra et munitiones aut vi aut deditione conquirit. Filius quoque suus Otto Saxonia petita per communes amicos patri reconciliatus ad subiectionem redijt. Ita brevi tempore Mieczslaus maioris Poloniae dominia et principatum ex integro recuperans adeptus est, et Casimirus Dux et Monarcha restitutionem suam quam publice efficere nequivit, clandestino favore et suffragio conflavit.

Vuratislauiensis Episcopus Zeroslaus secundus, cum annis undecim sedisset, tertio Nonas Aprilis de febri moritur. Cui Franciscus alias Franco succedit, fautor Boleslai alti Ducis Vratislaviensis, a Petro secundo Gnesnensi confirmatus Archiepiscopo et consecratus qui alio nomine Suuantslo appellabatur, Polonus genere et nobilis de domo Prauudicorum

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS OCTVAGESIMVS SECVNDVS

Brestensis civitatis et provinciae supra fluvium Bug sitae nunciata defectio, Casimirum Ducem et Monarcham iterum concitavit ad arma, Et tam equestribus quam pedestribus copijs in unum coactis, celerrimo gradu in Brzescie perveniens illam oppugnat, et infra dies duodecim vincit et conquirit. Percussisque severe defectionis autoribus, municipium illud oppido imminens extruit, ac valido praesidio, ut posteros contineretur in fide, imposito, versus Chalicensem civitatem et regionem exercitum ducit, affinem suum Msczislaum Ducem, quem fratres sumpta occasione fallaci, quasi non legittimus sed subdictitius, et de iniusto matrimonio susceptus fuerit, de regno eiecerant, restituturus. Molesta plerisque Polonorum proceribus ea expeditio videbatur, et aegre in eam militiam procedebant, clandestinisque et secretis colloquijs Ducem Casimirum carpebant, quod proprijs bellis non contentus externa et iniusta bella parum felicitatis et commodi habitura tractanda assumpsisset. Indignum insuper esse ut pro spurio et ambiguj thori homine in aciem iniusta longe a domo sua donaticio ducerent. Has querelas etsi Casimirus nosset per milites ingeminari in castris, nihil tamen militari rumore motus, promovit exercitum in al

teriora

tercia. Iam prope Halicium ventum erat, duxque altera obsidio Haliciensium parabatur, dum subito ab exploratoribus nunciatum est, Vszewolodum Belsensem et Wladimirum Haliciensem germanum Mscislai Duces, cum omnibus Ruthenorum Principibus et Boiaris infesta acie adventare. Tum iam non secreta sed aperta Poloni in Ducem Casimirum suum probra exagerant, Sed et Nicolaum Cracoviensem Palatinum et Principem militiae, quasi summi belli praecipuum authorem contumeliosis insectantur sermonibus, seque ad eundem periculum perductos, et pene Ruthenis queruntur proditos. Videbant enim Ruthenorum exercitum magnis copijs refertum esse, et quasi in Polonorum perniciem, universas Ruthenorum provincias velut ex composito convenisse. Ruthenos, praeter odium in Polonos insitum, Polonorum conspecta paucitas, suorumque frequentia, et consulti de futuro belli eventu aruspices, laeta omnia sibi, Polonis tristia nunciantes, in prelium accendebant. Casimirus nihil aspectu et multitudine hostium territus, ordinatis aciebus milites animat, docet in Ruthenorum multitudine paucis exceptis vilia esse mancipia, et si parum adnitantur, facilem victoriam praebitura, saepiusque multitudinem a paucitate fusam extitisse. Ac sic milites animatos, et spe victoriae alacres, laevo cornu Nicolao Cracoviensi Palatino commisso, dextrum ipse regens, signis canere iussis, cum hostibus congreditur. Rutheni clamore sublato, vehementi et ipsi impetu capessunt pugnam, durumque certamen inter utrumque populum aliquanto tempore gerebatur. Iam quoque laevum cornu cui Palatinus Nicolaus praeerat, a levibus armatura sagittarijs, equis aut confossis, aut vul

neratis

neratus referre coeperat pedem, dum Casimirus de nunciato sibi periculo, turmam unam militum in laeuum cornu subducens, pulsis Ruthenorum sagittarijs praelium restituit, ac in dextro cornu Polonorum Phalanx, Ruthenorum arcubus disruptis conculcatisque in caeteras Ruthenorum turmas gladios stringebat, dum in laeuo cornu, Rutheni a Nicolao Palatino fusi pulsique in fugam delabuntur. Sed nec hi qui contra dextrum cornu pugnam sustinebant faciunt moram, metu enim fugientium perculsi in fugam vertuntur. Vszewoldus Belzensis et Vladimirus Haliciensis Duces ne in potestatem Casimiri venirent viui, equos mutando, sequentium se manibus euadunt. Ruthenorum magnus numerus eo praelio aut occisus aut captus. Castra Ruthenorum omnis opulentiae plena per Polonos iubente Casimiro direpta, sed et castrum et oppidum Haliciense duci Casimiro victori deditum est, qui illud Mscislao Russiae Duci affini suo, Sacramento per prius adacto quod nunquam se et Polonorum gentem in aduersis et prosperis desereret, committens, in Haliciense Regnum ipsum de integro restituit, rebusque Russiae ordinatis in Poloniam rediit. Et Vszewoldus quidem Belzensis Dux ex praelio fugiens in Belsz castrum suum cum paucis peruenit, Vladimirus vero Haliciensis Dux in Vngariam diuertit, a Rege Vngarorum Bela suffragium supplementum quoque militum et impensarum pro sua in Haliciensem Ducatum restitutione petiturus

GNESNENSIS Metropolitanus Petrus, cum annis duobus et viginti Gnesnensem Ecclesiam rexisset moritur, et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur. Cui Idzislaus Canonicus Gnesnensis, nobilis generis Polonus de familia et domo Koszlyerogy per electio nem Canonicam succedit. A summo Pontifice Lucio Papa tertio, Mieczslawo Maioris Poloniae Duce intercedenti provisus

Barones et milites Bohemiae imperium et mores Friderici Ducis sui Bohemiae perosi, tam ipsum quam fratrem suum Otthonem varijs opprobrijs et contumelijs deturpatum, seditione exorta, deturbaverunt, et Conradum Moraviae Ducem, in Ducem et dominum assumunt, Pragamque quae pro Friderico per militum suorum Almanorum praecipue praesidium tenebatur, obsidione cingentes oppugnant, et per deditionem conquirunt. Fridericus autem Romanorum Imperator, in cuius tutelam Fridericus Bohemiae Dux ab omnibus suis desertum iri se advertens, confugerat, tam Conradum Ducem, quam Barones Bohemiae, sed Conradi Duce vocationem abnuente, Barones Bohemiae, ad suum tribunal de iustitia Friderico responsuros evocat, magna trepidatione ad se venientes Fridericus Imperator varijs supplicijs coram positis iubet torqueri, quorum metu impulsi deserto Conrado Fridericum in Ducem reassumunt, et novo Sacramento atque foedere se illi obstringunt

Alexander Papa tertius cum annis vno et viginti mensibus vndecim et diebus tredecim sedisset Romae moritur, et in Ecclesia beati Petri sepelitur. Cui Lucius tertius natione Thuscus de civitate Luca, et nobili prosapia originem trahens Cardinalis tunc Episcopus Hostiensis succedit. Ad quem Casimirus Dux et Monarcha Polonorum novos nuncios fatigat, ossa Sancti alicuius, de quibus semel a suo praedecessore Alexandro spes facta fuerat pro Ecclesia Cracoviensi precaturos

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS OCTUAGESIMUS TERCIUS

Restitutione sua ad Maioris Poloniae Ducatus Mieczslaus Senex parum contentus, etiam ut in principatum Monarchiae restituatur magnopere exaestuat, variisque vafris et subdolis machinamentis, nunc hos, nunc illos Consiliarios aut pollicitationibus aut largitione corrumpendo, continuumque reditum sibi ad Monarchiam conatur extruere. Saepe quoque cum Casimiro Duce et Monarcha, sponsionis et cessionis suae oblitus, de principatu duris et acerbis sermonibus parum a iusta guerra abhorrentibus contendebat, velut ambitus reum carpit, quod se et germanum et natu maiorem ex possessione Monarchiae detraxerit, et non legittimo iure illam detineat occupatam. Et verbis quidem industria et astu oblitis Mieczslaus Dux pro principatu contendens, in arma non veniebat, quinetiam Casimirum Ducem contra se arma expedientem novo ingenio novaque arte, viribus se sciens, si res in dimicationem veniret, imparem, placabat, astringens iureiurando ab omni Monarchiae iure et petitione se de caetero, cum sors suorum Ducatuum sibi absque Monarchiae principatu longe sit placidior atque praestantior, cessurum. Interdum insuper et per se et per communes Consiliarios apud Casimirum agebat, ut Leskone communi nepote absumpto, cuius aegritudo in annos aliquot procedens, moriturum illum prospiciendum nunciabat, in Mazoviae et Cuiaviae Ducatus Mieczslaus pro sui iuris, quod in Monarchia habebat contentatione succederet. Verum Casimiro abnuente, et in externa bella divertente, resumpto dolo, ad Monarchiae principatum aspirat irrumpere, asserens ad coactas se

sponsiones

sponsionis non teneri. Propositum autem animi sui aliquando tandem consequuturus, communem nepotem Leschonem Masoviae et Cuiaviae Ducem, cuius tutoriam pater Boleslaus Crispus moriturus Duci Casimiro mandaverat, ad se quibuscunque potuit blanditiis perlicit, maximam fore virium accessionem, rebus suis profuturam, existimans, si Leschko Dux Masoviae et Cuiaviae Casimiro Monarcha deserto, in suam ditionem concederet. Sciens autem Leschonem Masoviae et Cuiaviae Ducem praedictum, a Zira Comite, quem ill. Casimiri Ducis authoritas in alumnum et alterum curatorem praefecerat, in singulis actionibus dirigi, et omnia illius arbitrio Leschonis acta moderari, Ziram Comitem non largitione solum, sed ea praecipue spe, quod ex pacto inter Casimirum et Mieczslaum inito, Ducatus Masoviae et Cuiaviae, Leschone obeunte, ad Mieczslaum Ducem sint recasuri, illectum expugnat, et in omnia vota sua dolosa assertione inclinat. Leschko itaque Dux praefatus alumni sui Zirae Comitis persuasus victusque consiliis, primario et praecipuo suo curatore Duce Casimiro deserto, ad Mieczslaum transmigrat, et suae ditioni, tutoriaeque tam personam suam, quam utrunque principatum suum commendat, eumque Ducatuum et rerum suarum omnium scribit et designat successorem, in eiusque fidem militares et subditos suos iurare compellet. Quae novitas etsi Casimiro Duci permolesta fuerit, iustaque ~~ira~~ ira et in fratrem Mieszkonem Ducem, cuius astu et ambitione, et in Ziram comitem, cuius perfidia et deceptione rem noverat conflatam, moveretur, motus tamen omnes sagaciter comprimens, neque Mieszkoni fratri, neque Leschoni nepoti, sed nec eius curatori Zirae molestus

esse voluit, tacitus quoq; quonam tem improbi et in
fidi conatus reciderent, dissimulans, oportuno tempori
Sumptae suae iniuriae contemptus correctionem destina
bat. Obruit et alius aeque molestius Ducem Casimirum
sub eodem tempore casus, Dum enim filius suus adole
scentior Boleslaus minimus, arborem quandam iocan
di gratia succideret, vipera de stipite corruens, et in
gula tenera et delicata Boleslaum laedens, subita
exulceratione suffocat, et extinguit, adeo quidem prae
cipitanter, et a terra, a circumstantibus sublatus, neq;
vocem neq; gemitum ediderit. Cuius tam subitaneam
et non vulgarem mortem pater illius Dux Casimirus
diuturno prosequutus luctu, Sumptuose eum in Craco
uiensi Ecclesia extulit funebrijs, filij at Boleslai de
cessum, quod in meliorem vitam translatus, absq; di
uinitatis ordinatione cui nequit resisti illam oppete
ret mortem, facile et aequo animo laturus, de prae
iudicio quod illi fratris Mieczslai senis Maioris
Poloniae Ducis in occupandis Masoviae et Cuiaviae
terris intulerat, ambitio, animo et spiritu nec tacitus
interdum torquebatur, Quod plerique Consiliarij Casimi
ri Ducis contigisse hoc illi laetabantur, et quibusdam
exprobrationibus in eum usi, iuste circumventum a
Mieczslao sene asserebant, et experiretur cum
Hostem, quem pro suo scelere exulem pati non poterat,
quasi restitutionem illius Casimirus Cracoviensium
Dux levitate potius, et non potius commiseratione atq; in
dulgentia fraterna procurasse videretur

Conrado Moraviae Duce impetitionem Ducatus
Bohemiae deserente, Venceslaus filius antiqui, et frater
iunioris Soboslai a Baronibus Bohemiae rerum novan
darum cupidis suffectus est. Quorum potentia fretus

Pragam

~~[illegible]~~ Pragam aliquanto tempore obsedit, conatibus tamen suis nullus effectus Almanis pro praesidio rebusque egregie urbem tutantibus respondit. Interim Fridericus Bohemiae Dux collecto in Almania exercitu, Bohemiam venit, et Venceslaum decernere non ausum, erat enim Fridericus, et germani sui Adalberti Archiepiscopi Salczburgen., et Leupoldi Ducis Austriae vallatus solatiis, ab obsidione Pragensi repellit. Obsidioneque soluta etiam eos Barones qui a se ad Venceslaum defecerant, partim benivolentia, partim metu sibi conciliat, civiles motusque sedans Bohemiam pacificat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS. OCTVAGESIMVS QVARTVS

Tutoriam Mieczslawi Maioris Poloniae Ducis Lesthco nepos suus Masoviae et Cuiaviae Dux, in quam malo seductus consilio, Casimiro Duce deserto, transmigraverat, diuturno tempore non tulit, Nec ab re. Mieczslaus enim valetudine Lesthconis attenta, suspicatusque illum propediem moriturum, non curatorem se, sed Principem mox gerere coepit, et in castris et municipiis Masoviae et Cuiaviae, destitutis antiquis, suos praefectos et officiales instituit. Ex quo facile Lesthco Dux et alumnus eius Zira comes se et authoritatem suam contemptum, diminutumque iri perspexit. Mox deinde in vehementem paenitentiam actus, transgressionis suae facinus, ampliora incommoda veritus, a Mieczslawo subitura, rescindere curavit. Et ad Casimirum Cracoviensem Ducem cum Zira comite primisque Masoviae

et Cuiaviae

et Cinere frontibus, personaliter usque in Cracouiam se conferens, reatum suum humo prostratus sibi et suis humili supplicatione petit ignosci, non se amplius spondens contra Maiestatem patrui sui et patris sui Boleslai ordinationem excessurum. Excussit ea vox Casimiro Duci lacrimas, nam cum suapte clementia inclitus fuerit, calamitosorum tamen et opem suam culpa repugnata implorantium, deprecatione facile frangebatur. Lesthonem cum suis assurgere iusso, primum illum quod se deseruisset, quod paternam ordinationem temerasset, quod tranquillam et felicem vitam pati nequisset, blanda castigatione obiurgat, deinde quod in facinore et excessu suo non habitauerit, sed peregrinatus magis fuerit, commendat. Ac postremo omnem ex animo offensam complexans et exosculans nepotem, relaxat, muneratumque in Ducatuum suorum sedes remittet. Qui ex Cracouia reuersus, institutos a Mieczslao Capitaneos et praesides excedere iussit, suosque instituit. Eaque ordinatione, qua sibi successurum Mieczslaum Ducem scripserat, reuocata, paternam ordinationem ratam esse voluit. Illi quoque et suae voluntatis robur ut nemo praeter Casimirum sibi succederet, adiecit, Barones quoque et proceres suos ordinationem ipsam caste seruaturos nouo Sacramento addixit

Iaroslao Iszaslawicz Kyouiensi Duce obeunte, Swantoslaus Czyrnouien Dux, Kyouiensem accepit Principatum. Sub idem tempus quartadecima Iunij Michalko Dux Vladimirien obijt, cui frater suus Vszeuoldus in omnes Ducatus succedit. Quem Mscyslaus Rostyslawicz a sedibus, quas illi prouenerat turbaturus, cum Rostowiczij contra illum consurgit, et victus a Vussewoldo in Rostow et deinde in Nowogrod refugit. Ea autem victoria Vussewoldus erectus, vadit contra Ducem in Ressam, habens in comitatu suo, non proprias tantummodo gentes, sed et duos filios Swantoslai Vussewoldicz Kiyowienses Duces, Olgam, et Vuladimirum, et nepotem suum Vuladimirum Hlebowicz ducem Perasslauiensem. Hleb autem Dux Ressanensis callido usus consilio, assumptis in solatium suum Polowczys, in terram Vuladimiriensem propere accessit, et illam incendijs caedibus et spolijs adeo crudelissime afflixit, et Ecclesias, Monasteria, et ministros eius omnibus spolijs et contumelijs afficeret. Quo sibi Vussewoldus Dux denunciato, festine ex Ressanis recedens, cum Hleb et Polowczij confligit, ipsosque non sine utriusque partis caede magna devincit. Et Hleb Ducem Ressanensem et filium suum Romanum, et fratrem uxoris suae Mstislaum Rostislawicz, et duos nepotes suos Mstislaum et Jaropolcum et omnem eius militiam captivat, Polowczos vero delet occidit, et trucidat. Processu deinde temporis, Hleb Ducem Ressanensem in carcere mori fecit, nepotes vero illius Mstislaum et Jaropolcum cecavit, caeteros liberos dimisit

Lucius Papa tercius assiduis supplicationibus Casimiri Ducis et Monarchae Polonorum, etiam per praedecessorem suum Alexandrum tertium, ad exauditionis gratiam admissis, volens se praestare morigerum Corpus Beati Floriani eximij martyris Duci praefato et Cracoviensi Ecclesiae donandum decernit, cuius donatio etiam miraculo divinitus ostenso comprobata est probata est. Summus siquidem Pontifex Lucius, ut veteranorum etiam usq; in tempora nostra derivata fert relatio, Sacrarium, quod plura Martyrum corpora confovebat, ingressus, quis Sanctorum illic quiescentium Poloniam migrare vellet inquisivit. Ad quam vocem sermonemq; tam mortuum est a sūmo Pontifice prolatam, ex tumba, in qua corpus sacrum Beati Floriani conditum erat, manus protensa Summo Pontifici vocitantis, designantis et indicantis se apparuit, donari, Poloniæ et Ecclesiæ Cracoviensi. Sumusque manus protensione corpus suum significavit. Quo quidem miraculo sibi tunc ostenso, Lucius Papa communis minus cunctanter corpus Beati Floriani Martyris, Poloniæ et Ecclesiæ Cracoviensi tribuit. Et in ampliorem tam Sancti quam Polonorum honorem, ossa corporis Sancti per Egidium Mutinensem Episcopum Duci Polonorum Casimiro et Cracoviensi Ecclesiæ destinavit. Qui Cracoviensem urbem sexto Calendarum Novēbrium cum sacro corpore pervenerunt, a Duce Casimiro, et Gedeone Cracoviensi Episcopo, omnibusq; statibus et ordinibus obviam illi ad septimum lapidem euntibus, summo honore, summaq; iubilatione et gratulatione exceptus est, ovantibus singulis, quod Poloniæ novus suffragator et patronus divina propitiatione accessit, et quod Ecclesia Cracoviensis celeberrimi Martyris corpore et deposito fuerit illustrata. In eam etenim corpus præfatum sub frequentia ingenti populorum illatum, atq; depositum est, et illius splendido deposito decoras funiculos sui ornamenti longe lateq; et tetendit et porrexit. In honorem autem Martyris beati Basilica illi pulchro ac sumptuoso opere extra Cracovienses muros, a Gedeone Cracoviensi Episcopo

ſo, in hanc diem divinitate propitia perſeverans ex
tructa eſt, et Egidius Epiſcopus Mutinenſis a Duce
Caſimiro et Gedeone Cracovienſi Epiſcopo magnificis
onuſtus muneribus, Romam remiſſus, Ab eoq; tempo
re in Sancti Floriani decus et memoriam cæperunt
Poloni tam militaris, quam civiles et agreſtes, filios
ſuos in baptiſmate huius nominis appellatione inſignire
Fundat et Caſimirus Poloniæ Monarcha et Cracovi
enſis Dux in Eccleſia præfata, in honorem novi ho
ſpitis Beati Floriani novum Prælatorum et Cano
nicorum atq; Vicariorum Collegium, et illud e villis
et decimis a Gedeone Cracovienſis Epiſcopo precario
impetratis dotat, Præpoſituram in Eccleſia Parochia
li in Rumpella ordinans, et omnes Canonicas horas
pſalli, in ea, reſq; divinas agi inſtituens.

De Conrado Moraviæ Duce Fridericus
Bohemiæ Dux, eo quod Bohemiæ Ducatum ſibi nite
batur ſubripere, ultionem ſumpturus, fratrem ſuum
Przemiſlaum, dato ſibi ex pedite et equite exercitu
copioſo, in Moraviam, ut illam flammis et ſpolijs hu
miliet, et diſperdat, tranſmittit. Qui ea incendijs
et rapinis pervaſtata, Conrado ſecum cum viribus
inferior eſſet, congredi non auſo, in Bohemiam rediit
Hic et Theobaldum fratrem ſuum Fridericus ipſe de
Bohemia in exilium egit, conſortium ſuum abhorrens,
et præſentiam ſuam ſibi ſuſpectam exiſtimans, et ſta
tus ſui turbationem allaturam

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS OCTVAGESIMVS QVINTVS

Triennio vix plene exacto Mscislaus Haliciensium Dux, a Casimiro Polonorum Duce et Monarcha Wladimiro conflicto et eiecto, atq; in Pannonias acto, in dominium et principatum Russorum restitutus, suis Ruthenis molestus et exosus cepit esse, quod et eorum non ferebat plerosq; abusus et vitia, et in Polonorum milites apud se consistentes, parum de suis confidens, largitione et gratia propensior quam in Ruthenos videbatur. Primores itaq; Ruthenorum in eius necem, hi praesertim qui Vuladimiri exulis partes sectabantur, conspirant. Quam cum vi aperta discrimen sui verti efficere nequirent, quippe Mscislaus fidis corporis custodibus septus, sine periculo a carnificibus non poterat adiri, veneno clam propinato innocentem extinguunt, Polonorumq; militibus qui in obsequijs Mscislai versabantur eiectis, arce Haliciensi occupata, pro Vuladimiro in Vngariam mittunt, quo veniret celerius, et adversario sublato principatum suum repeteret. Laetus eo nuntio Vuladimirus rem ad Belam Vngariae Regem defert, oratq; ut qui exulem in dubijs et fractis rebus exceperat, tenuerat, aluerat, eundem rebus confirmatis et feliciorem sortem nactis, dignaretur militum, equorum, et sumptuum, ad repetendum Ducatum relevare praesidio, cum Casimiri Polonorum Ducis sciret sibi insidias et hostilitatem imminere. Qui morte Mscislai comperta Romanum Vuladimiriae Ducem in eius locum substituendum ad Haliciam transmiserat. Bela autem Vngariae Rex ad usurpandum pro se et regno Vngariae Haliciensem regionem opportunum tempus evenisse ratus, Vuladimirum exulem in vincula conijcit, filium vero suum Andream cum copijs equestribus et terrestribus in Russiam, dato mandato, ut quam celerrime Haliciensem arcem occuparet,

transmittit

transmittet. Rutheni qui Haliciense castrum tenebant, omnium rerum quae a Bela Ungariae Rege gerebantur, ignari, sed et captivitatis sui Ducis Vuladimiri experti, Andream filium Ungariae Regis, velut rerum suarum suffragatorem magno plausu excipiunt, et in castrum Haliciense, Vuladimirum enim se praeesse fingebat, intromittunt. Qui suarum gentium multitudine, facile Ruthenorum paucitatem vincens, Haliciense castrum occupat, et caesisque Ruthenis, nonnullis vero qui ad novandas res credebantur proclivi captis, tam castrum, quam Haliciensem Ducatum in suam redegit potestatem, et personaliter illic faciens residentiam, ducalem in Halicienses iurisditionem exercet. Omnia tamen officia in Ungaros, cum Ruthenos pro ambiguae fidei hominibus duceret, distribuit, et omnia per Ungaros administrat. A crimine quoque quam maxime cavet, quo Mscislaum nuper noverat interiisse. Rutheni ubique se oppressos, ubique contemptos, et perditos, tacitis et clandestinis tractatibus queruntur, et Duce suo Vuladimiro capto, etiam se sub iugum missos deplorant, et scelus suum in Mscislaum admissum alterius scelere luunt.

Viccesima Septembris Gedeon Cracoviensis Episcopus vir magnae religionis et in suam et desideratam Rempublicam magni zeli moritur, cum annos viginti sedisset, et in Cracoviensi Ecclesia sepelitur. Hic plures decimas manipulares mensae Episcopalis Cracoviensis, duobus Monasterijs videlicet Andrzeioviensi et Miechoviensi perpetua donatione contulit, et singulari devotione, et eo forsan respectu, quod utrumque Monasterium, a militibus et nobilibus Griffonum, a quibus ipse genus et originem ducebat, attractis. Successit autem Gedeoni FULCO, qui in Polonico vulgari Pelka solet dici, Canonicus electus, genere Polonus

nus, ex nobili stirpe et domo, quae crucem geminatam crucem sagitta imposita defert pro insigni et de vulpibus appellatur, trahens originem. Confirmatio tamen sua propter Lucij Papae qui in anno subsequenti diem obijt, decessum, et propter nonnullas causas ultra annum unum fuit protelata.

Anno eodem Monasterium Coprziwnicense in Cracoviensi Dioecesi per Casimirum Polonorum Ducem fundatum et dotatum est, et fratribus Cisterciensis consignatum. Ad cuius ampliorem dotem, nobiles et militares de armis Bogoria et Habdank alijsque domibus et familijs, nonnullas villas, sortes, et praedia devote contulerunt, Casimirus quoque Dux primarius fundator oppidum Koprziwnicza, iuxta quod Monasterium situm est, eidem coenobio contulit, cum omni iure, dominio, et proprietate, concedens oppido praefato et villis eidem Monasterio collatis et conferendis, ab omni onere et servitute plenam libertatem. Fratresque ordinis Cisterciensis ex Monasterio Morimundensi sumptos, in praefato monasterio locavit, Fabricavitque Ecclesiam quadro lapide, eamque Sancto Floriano Martiri novo hospiti praecavit dicari, Primarius tamen post Casimirum Ducem fuit comes Nicolaus Bogorius, qui frequentiores villas in praefatum Monasterium donavit.

In Conradi Ducis Ma~~so~~via odium Fridericus Bohemiae Dux Moraviam altera vice vastaturus Przemyslaum fratrem suum cum amplioribus copijs transmittit, data commissione et mandato, ut Moraviae regione quam latius posset populatione extensa, exterminet. Secus tamen quam rebatur successit. Conradus enim Moraviae Dux et suorum et Alemanorum fretus potentia, Przemyslao et Bohemico exercitui in loco qui Lodomierz appellatur occurrens, pugnam conserit. In qua utraque parte pro victoria adnitente, infestis animis longo tempore pugnatum est tum est. Strages quoque maxima vtrinque edita, cum diu Bohemis et Moravis primi Poloni succubuissent, in certo Marte, cruento tamen, discessum est

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS OCTUAGESIMUS SEXTUS

Cruciatus et exhaustus Lestho Mazoviae et Cuiaviae Dux, filius Boleslai Crispi, diuturno morbo et languore, neque enim duobus aut mensibus, sed annis aliquot aegritudo sua tendebatur, cum se propediem absumi prospexisset, per veredarios nuntiis missis, Casimirum Ducem et Monarcham Poloniae patruum suum germanum ad se videndum visitandumque invitat. Quo in Plocham, vbi Lestho decumbebat adveniente, vtriusque Ducatus convocatis proceribus, eos Duci Casimiro commendat, castra quoque et munitiones sibi resignat, ac non multo post Sacramentis omnibus, vt Duci Catholico conveniens erat perfunctus, animam exhalat. Cuius corpus Casimirus Dux in Plocensi Ecclesia in choro sepeliens, diebus aliquot funeris celebritatem sacrificiis et eleemosynis prosequebatur. Et quoniam Lestho Dux praefatus nullam ex se prolem reliquerat, et Casimirus Dux et Monarcha Poloniae, item patris Lesthonis Boleslai Crispi, quam Lesthonis testamento haeres scriptus erat, morte Lesthonis sequuta, Mazoviae et Cuiaviae Ducatus possidere coepit. Mieczslaus autem maioris Poloniae Dux, etsi exinde se iniuriatum et laesum iri quereretur, cum et ex iure sanguinis et iure testamenti, dimidia Ducatuum praedictorum portio ex morte impotis germani ad illum, iuxta atque Casimirum recidisset, potentiam tamen Casimiri et Baronum ac militarium in se odium serum reputans, sola querelarum ingeminatione, suam

iniuriam

in iniuriam proſequens, ab armis quibus ſe inferiorem non ignorabat abſtinebat. Vnde extunc et usq ad hæc nostra tempora, quemadmodum propitia divinitate in ſubſequentibus monstrabimus, cum ex aliis Principatibus et regionibus Polonorum, filii et nepotes Casimiri prædicti varia rerum mutatione defectioneq defluxiſſent, in Masoviæ tamen Ducatu Casimirus frater ſuccedentes linea regulari nepotes, etiam in diem hanc retinent principatum

Decimo octavo Calendas Februarii Arnoldus primus Poſnaniensis Episcopus, cum annos novem in pontificatu exegiſſet, a Dyſenteria vexatus moritur, et in Poſnaniensi Eccleſia ſepelitur. Cui Mrokota Custos Poſnanien. per Canonicam electionem ſuccedit, ab Archiepiscopo Gneſnensi Zdzislao confirmatus et conſecratus, Mieczslai maioris Poloniæ Ducis accedente favore et conſenſu

Fridericus Bohemiæ et Conradus Moraviæ Duces per communes Barones et arbitros conventu in Kunicz habito pacificati ſunt, et utraq Principatus a civili clade ſolutus

Facta est autem eo anno in Sole Eclipſis notabilis, quam magna hominum peſtis atq mortalitas morbo Epidemiæ multos mortalium abſorbens, fuit ſubſequuta. Quæ in Polonorum Ruthenorumq regionis ſæviebat

Lucius Papa tertius, cum annis quatuor, menſibus duobus diebus viginti quatuor ſediſſet Veronæ moritur, et illic ſepelitur. In cuius ſepulchro tali Epitaphium quo ortus, proceſſus, et exitus ſuus deſignatur, inſcriptum est

Luca dedit lucem, tibi Luci Pontificatum
HOstia, Papatum Roma, Verona mori

Adverſa deinde ſententia ponunt metra, et quaſi quoddam primorum Apologeticum

Imo Verona verum dedit tibi vivere, Roma
Exilium, curas Hostia, Luca mori

Fuit autem præfatus Lucius Papa Friderico Imperatore agente et cooperante de Roma pulſus, qui in Veronam

nam divertente, multi de suis Officialibus et familiaribus a Romanis capti carcerantur, et mitrati super asinos aversis vultibus ligantur. Lucio autem Urbanus ~~Petrus~~ tercius, ex patre Joanne, natione Lombardus, Episcopus Mediolanensis, Veronae electus succedit, qui nonnullas simultates et odia cum Imperatore Friderico gessit, qui ante Papatum Hunbertus nominabatur.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS OCTVAGESIMVS SEPTIMVS

Carcerales molestias Vuladimirus Haliciensis Dux apud Belam Hungarorum Regem, in quas illum inici fecerat Bospery, quo tutior filio suo Andreae occupatio Chaliciensis Ducatus permaneret, conniveret, biennio prope exacto, perpessus, cum solutionem suam difficulter proventuram intueretur, animum ad ingenia vertit, custodesque suos altis promissionibus inescatos corrumpit, et vincula carceresque evadens, iisque custodibus, qui licentiam evadendi praestiterant, fugae comitibus, et gressus suos dirigentibus, ad Russiam pervenit, castrumque et Ducatum suum Chaliciensem tentans recuperare, ab Ungaris, quorum in castro Halicz validum praesidium cum filio Regis Andrea erat, repulsus, incertis itineribus non habens sedem, in qua consisteret, per Ruthenorum regiones velut vagus et profugus votabatur. Collecta ad eum erat rapto vivere assuetorum, aut aere alieno et pro scelere damnatorum manus, cum qua et Ruthenorum circumvicinas regiones praedas agens infestabat. Sed nec Polonorum regio ab eius tyrannide tutior fuit, circa festum siquidem Assumptionis dominae nostrae, Poloniam frugum collectione et messiva occupatam irrumpens, omnem citra Premisliam consistentem oram, sub ditione tunc Polonorum constitutam invadit, et singulis hostilem vim inferens, templa, oppida, vicos, villas spoliat, aut exurit, matronasque ingenuas et nobilium sponsas et gnatas, agrestiumque aliquantam multitudinem captivat, et versus Rugos praedam huiusmodi celeriter transportat, eaque venundata, inediam suam et suorum sustentat et explet famem. Non tulit Casimirus Polonorum Dux et Monarcha suorum captivitatem et cladem, sed dato Nicolao Palatino Cracoviensi exercitu, Vuladimirum ex Rugiensi ora nusquam consistere aut congredi ausum propellit, suosque captivos partim armis, partim pretio solvit et in libertatem restituit. Non quievit tamen Vuladimiri Chaliciensis Ducis rabies, sed in Sylvas aspergineas cum suis se transferens illis pro praesidio utebatur, rugientemque suam et suorum esuriem vicinarum regionum spolijs sustinebat

TArtarorum gens et natio ex Armenis, quibus tam in vultus similitudine, quam in linguae identitate communicat, ortum ducens, prioribus quidem temporibus orbi ignota crevit. Quae cum prope civitatem Corocroram ad plagam aquilonarem in campestribus absque vicis et urbibus Regi Burtam qui Joannes presbiter appellatur, tributum solvens habitasset, in gentem maximam se videns excrevisse, proprium Regem de sua stirpe Chinchis nomine virum magnae industriae sibi creat cuius ductu vicinas regiones invadens sibi subijcit. In cuius virtutem, concurrentibus undique qui in varijs regionibus serviebant ad famam novi Regis Tartari, crevit, ut Regis quondam sui filiam missis nuncijs novo Regi deposcerent in uxorem. Qui eorum petitionem perosus, dum illos ad solitum tributum cogere statuisset, indicto bello congressus, et ab eis victus et occisus est. Ab illo quoque tempore in validissimum robur natio Tartarorum coepit protendi

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS OCTVAGESIMVS OCTAVVS

Nusquam terrarum Vuladimirus Halicienſis Dux propter recens et iniquum facinus, quo in Casimirum Ducem et Monarcham regnumq; Polonicum deliquerat, tutus conſiſtere auſus, et poſtquam Casimirus etiam per avia loca et quibus ſe abdiderat luſtra ad necem et captivitatem ordinabat inquiri, ſceleris commiſſi penam debitam perſolvere, veritus ne in periculum ad quod quaerebatur incideret, per crebros nuntios Casimirum Ducem humillimis precibus, et tandem data veniendi ſecuritate per ſeipſum proſtratus humo interpellat, ut facinori ſuo atq; errori veniam tribuat, et clementiae ſuae propitiationem illi impendat, fidum et obſequioſum ſervitorem atq; amicum, et qui priorem tranſgreſſionem geminata fidei puritate reſarciat, habiturus. Ea humilitate et prece Casimirus expugnatus Vuladimirum infeſtum hoſtem in amicum ſuſcipit, et ſuae grandi in Poloniam atq; in ſe praevaricationi facile ignoſcit. Et cum ſatis ſuperq; ſatis fuerit culpam remittere, adijcit tamen clementer magnam beneficij exhibitionem. Frequenti enim congeſto comparatoq; exercitu, et in fidem atq; poteſtatem Nicolai Palatini Cracovienſis commiſſo, in Ruſſiam illum deſtinat, exulem Vuladimirum et pridem hoſtem ſuum, ad Ducatum Halicienſem reſtituturum. In ludibrium ea expeditio apud exteras nationes vertebatur, quae impoſſibile cenſebant Pannoniorum Regem Belam, et filium eius Andream, ea tempeſtate, armis aereq;, et omnium rerum abundantia potentem, ex Halicienſis Ducatus poſſeſſione a Polonis poſſe depelli. Sed et Barones Poloniae eam expeditionem moleſte ferebant, militeſq; aegre in militiam ibant, dolentes vicinum et amicum Regem indigna hoſtilitate percelli, et hoſtem iniquum, amico non ſolum iuxta poni, ſed praeferri. Nicolaus itaq; Palatinus Cracovienſis cum Polonorum exercitu, Vuladimiro etiam exule ſecum praeſente ad Halicz perveniens, caſtrum Halicz in quo

Andreas filius Hungariae Regis, se cum Ungaris concluserat, obsidium vallavit, et coactis agrestibus castella in circuitu munitionesque aedificat, et coroná castrum angustat, magna cura providens, ne quid ad obsessos, noverat enim castrum exiguis victualibus provisum esse, posset inferri; Reficiebat Ungaros magna spes Belae Regis quem cum magnis copiis venturum et obsidionem soluturum propediem, cum ad id per aliquot nuncios sollicitatus fuerit, non ambigebatur. Verum cum obsessos primum fames maceravisset, desperatio tandem tardi sibi lati a Bela Rege subsidii animos incessit, propter quod missis ad Nicolaum Palatinum Cracoviensem Principem militiae caduceatoribus, de castro dedendo pacem componunt, pacti, ut incolumibus omnibus in personis et rebus liceret excedere. In constituta quoque die castro reddito in Ungariam, datis a Nicolao Palatino, ne quid hostile pati eos contingeret, qui ad metas prosequerentur, abeunt. Nicolaus Palatinus feliciter sua expeditione perfunctus, castrũ Halicz Duci Vladimiro, ita enim a Monarcha Polonorum Casimiro et iussus et doctus erat, restituit, iureiurando obstrictum, ut tam ipse quam successores sui Ducibus Poloniae subiecti et sinceri sint, et in eorum ditione atque obedientia perpetuo, quocunque casus illos exciperent, perseverent. Maximam haec expeditio, Ungarorumque ex Halicz depulsio, Casimiro apud Ruthenorum nationes peperit laudem, et favorem, sui principatus in omnes diffudit, efferentibus cum singulis quod Regi Ungarorum Belae contrarius evasit, qui hospitem et amicum ceperat, dein Ducatu suo exuerat, quem Casimirus quamvis infestum hostem clementia sua erexerit, atque in suum Ducatum fugatis occupatoribus restituerit.

Saladinus cognita Christianorum Regum, et Principum, qui ad subveniendum terrae sanctae transfretaverant, discessione, et eorum qui remanserant discordia, fortissimo exercitu congregato Hierusalem obsedit, et quartodecimo obsidionis die Idibus Octobris per deditionem

tionem, non enim se amplius eius muris per machinas dirutis sustinere poterant, capit. Uxores autem et filiae Hierosolimitanorum militum Christianorum, qui in bello capti fuerant, ad Saladini praesentiam admissae, ediderunt lugubrem ululatum. Inquisita causa responderunt se amisisse viros, seque possessionibus sublatas, petebantque sibi misericorditer subveniri. Ille pietate motus, eos qui superessent, captivos reddi, puellisque pecuniam ex thesauro suo dari iussit. Hanc autem urbem inclitam post Gotfredum Christiani Reges per octo et octuaginta annos nobilitate gloria tenuerant

Urbanus Papa tertius consternatus super sanctae civitatis Jerusalem captione, magna tristitia et dolore gravi corripitur. Missisque nuntijs ad Fridericum Imperatorem qui illum pro recuperatione terrae sanctae celerem agere expeditionem monerent, paucis post diebus cum unum annum, menses decem, diebus quindecim sedisset, nimio consternatus dolore moritur, et Ferrariae sepelitur. Cui Gregorius Octavus natione Beneventanus qui et Albertus, Urbani Papae Cancellarius, a Collegio Cardinalium concorditer electus succedit. Qui cum mensem unum et dies viginti septem tantummodo sedisset, composita inter Genuenses et Pisanos pace, ut recuperationi terrae sanctae potentijs cunctis fortius intenderebat, Pisis moritur et sepelitur, cui Clemens tertius natione Romanus ex patre Joanne succedit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS OCTVAGESIMVS NONVS

Depulsionem filij sui Andreae Bela Ungariae Rex ex castro et Ducatu Haliciensi moleste ferens, omnem culpam tam acerbae foedaeque suae iniuriae in Casimirum Polonorum Monarcham retorquet, et multifarijs querelis dolorem suum ingeminat, asserens se ab amico suo non diffidato Casimiro Polonorum Duce de se merente iniuria violatum, et ex

possessione

Possessionem castri et Ducatus Haliczensis contra ius fasque et contra foedus, quod Vngariae et Poloniae regna vetusto tempore observant, detractum. Nec querelis solum sed et armis iniuriam ipsam pro viribus censuit ulciscendam, et exercitum gentium suarum ad fines Poloniae transmittens, eam vastatione et spoliis perturbat. Praesidiumque militum in castris comitaneis pro lacessendo Poloniae Regno locat. Sed nec Cazimirus Rex segniter bellum a Bela Vngariae Rege motum repellit, nam et per se et per Praefectos, Capitaneosque Vngariam ingressus, eam vicissitudinario more per flammas et spolia subiicit vastitati, et praedas magnas ex illa in Poloniam depellit. Ad prohibendum quoque Vngarorum subitas invasiones et insultus, praesidia militum in locis crebris ponit. Lento tamen gradu et animo remisso id bellum inter Vngaros et Polonos gerebatur, vitebaturque dimicatio, sed soli mercatores et agrestes eo premebantur, Aegreque Polonorum milites hanc militiam et eius munera obibant, ferebantque querelas et murmura, non legitimum bellum Ducem suum Casimirum, cum regno vicino et amico, pro hoste et transfuga, nulli partium fido, suscepisse.

Polonicam Ecclesiam Clemens Papa tercius, in membris et capite reformaturus, et pro impensis ad defendendum terram sanctam, cuius recuperationem magno ardore zelabat, subsidium a clero Poloniae percepturus, Joannem Cardinalem cognomine Malabranka ad Poloniam transmittit. Qui Cracoviam primum perveniens, a Casimiro Duce et Fulcone Episcopo, omnibusque ordinibus honore processionis exceptus, Synodum omnibus provinciae Gnesnensis Episcopis in civitate Cracoviensi indixit, et aliquas Constitutiones ad reformandum clerum promulgavit, et tam Episcopis quam universo clero pro recuperatione terrae sanctae decimam imposuit. Hunc Casimirus Polonorum Dux et Monarcha comiter pertractans magnifice illum et se dignis honorat muneribus.

Fridericus Romanorum Imperator a tribus sum-

mis Pontificibus ſollicitatus, congregata inſigni et poten
ti militia, et innumerabili nobilium et vulgarium tur
ba, gubernatione imperij Henrico filio commiſſa, per Pano
niam, Bulgariam, et Graeciam, tam navali quam terreſtri
itinere verſus terram ſanctam et in eius recuperatio
nem proceſſit. Cumque mari in ſtricto et apud Sanctum
Georgij brachium ſuperato, in Armeniam filio Impe
ratoris Friderico Duce Sueviae in fronte exercitum
praecedente perveniſſent, et maxima ſpes recuperatio
nis omnes mulceret, dominus du Imperator Frideri
cus ſudoris loturus, in flumen, quod ab incolis Fretum
vocatur, tenues undas habens, prohibentibus eum
multis deſcendit, et ſubito ſive undarum rapacita
te, ſive quod magis vero proximum eſt, nervis frige
ſcentibus, militibus, qui ſecum una in flumen deſcende
rant nequaquam ſuffragantibus, ſuffocatus eſt. Cu
ius corpus repertum a filio ſuo Friderico in Tyrum
delatum, illic iuſto honore ſepultum eſt, vir largus,
ſtrenuus, facundus, et in decidendis quaeſtionibus,
iuſtitiae zelator ſeveriſſimus. Chriſtianorum autem
et cruce ſignatorum exercitus, in Imperatoris Friderici
locum filium eius Fridericum virum rarae ſtrenuita
tis ſubſtituunt, et eo Duce primum Antiochiam ubi
octo hebdomadibus immoratum eſt, deinde Tripolim,
Sur, et Akkaron proceſſit, et hoſtes occurrentes vi
ctorioſe conflixit. Verum peſte in exercitu graſſante
dum plures nobiles et vulgares abſumpſiſſet, Frideri
cus et ipſe filius Imperatoris, unica exercitus Catholici
ſpes et ſolatium deceſſit. Ex cuius et aliorum princi
pum militum etiam peregrinorum morte, expeditio tam
ſumptuoſa et inſignis, et ſubſequenter terrae ſanctae recu
peratio recidit in irritum. Mortuus eſt autem Frideri
cus Imperator anno imperij triceſimo tertio, regni ve
ro triceſimo octavo. Cui filius eius Henricus concorditer
ab omnibus electoribus electus ſuccedit, Aquisgrani per
Colonienſem Archiepiſcopum quintadecima Aprilis coronatus.

Fridericus Bohemiae Dux eodem etiam anno diem in Praga obijt. Et vniversorum Bohemorum fauore Conradus Moraviae Dux accepit principatum. Ita sub vno anno et pene eodem tempore tres Principes morte immatura visos decessisse; et fatalem illis annum ipsum fuisse

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS NONAGESIMVS

Guerram inter Vngariae et Poloniae Regna ex Haliciensis Ducatus Vladimiri per Casimirum Polonorum Ducem restitutum facta exortam communes Regnorum Barones et Consiliarij extincturi, antequam cum plus invalesceret in metis Regnorum conveniunt, pluresque inter se differunt tractatus, vnaquaque partium causam suam iustiorem affirmante. Et Vngari quidem se et Regem suum Belam de Chaliciensi Ducatus possessione armis quaesita quaerebantur depulsos, Poloni ex adverso Chaliciensem, et caeteras Russorum regiones ad se pertinuisse, tributisque et obsequijs suis subiacuisse referebant, concertatioque studijs partium in dies aliquot tendebatur, pacisque reformatio difficilis visa est. Quapropter ad rescindendum vlteriorem Guerrae processum Treuga in triennium ab vtraque parte accepta et firmata est, ea conditione interposita, vt Treuga pendente, novi ineantur de pace instauranda tractatus, et communes Consiliarij in eundem rursus locum odijs abrogatis pacem stabilem composituri conveniant

Meynardo primo Episcopo Livoniae ad flumen Duinae vbi nunc castra Iohul et Delry situata sunt, verbum Dei praedicante gentes Livoniae fidem Christi suscipere caeperunt

Vunelpsus Vladislaviensis Episcopus cum annis decem et paulo amplius Vladislaviensem Ecclesiam rexisset, moritur, et in veteri Vladislaviensi Ecclesia sepelitur. Cui Stephanus natione Almanus per electio nem Canonicam, cum esset Vladislauiensis Praepositus successit, a Coelestino Papa tertio Romae Casimiro Duci et Monarchae Poloniae confirmatus, et ibidem iussu Papae benedictus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS NONAGESIMUS PRIMUS.

Haliciensis Ducis Vladimiri, qui Poloniae fines hostili invasione vexaverat, per Casimirum Principem et Monarcham Poloniae in Principatum Chaliciensem restitutio, ante biennium ut in superioribus explicavimus facta, nemini Baronum Poloniae satis placebat, clandestinisque colloquijs et tractatibus restitutionem ipsam frequenti usurpatione alij sugillationum carpebant, Virum morte dignum non solum punitione aliqua castigatum, sed etiam honore et dignitate auctum, rem perniciosi exempli fore, et ad capita sua tandem redundaturam. Ea enim impunitate caeteros Russiae Duces in Polonorum vastationem accendi, et suam vastationem tam cumulato favore promoveri. Omnium itaque Baronum Poloniae, quorum septuaginta principales erant, huiusmodi alienatis offensisque animis, seditio contra Casimirum Ducem glisceret et tandem in rebellionem apertam spectare coepit, principatumque Casimiri ob praefatum nefas pertaesi, Mieczslaum Seniorem maiores Poloniae Ducem a se aliâs exclusum, in Cracoviensem Ducatum et Monarchiam, qui et ipse restitutionem suam omnibus ingenijs sollicitabat, restituendum decernunt, tempusque componunt. Exiverat in id temporis Casimirus Dux in Russiae partes quasdam negocia inter Romanum Vuladimiriae et Vszevoldum Belsensem Duces, de finibus unius suorum Ducatuum contenderent, compositurus. Id optimum tempus Cracovienses Barones ad exequendum destinata rati, Mieczslaum Senem nuncijs et literis accersunt. Ut insuper nobilium

et cunctu

et ciuium atq; vulgarium animos in restitutionem Mieczslawi senis facilius inclinent, fingunt Casimirum Ducem in Russorum partibus veneno propinato interijsse. Sub hac itaq; spe Mieczslaus senex cum filijs, Baronibusq; et militibus maioris Poloniae Cracouiam adueniens, ab omnibus ordinibus, vniuersisq; Baronibus, nobilibus, et ciuibus, debito honore et fauore exceptus est, et tam ciuitas Cracouiensis quam omnia castra et municipia in circuitu, in eius traduntur ditionem. Vnus solus Fulco Cracouiensis Episcopus, cum Nicolao Palatino Cracouiensi, germano suo, de armis vulgium, a consilijs et rebellione militum alienus, et restitutioni Mieczslawi aduersus, etiam ne arx Cracouiensis in potestatem Mieczslawi veniret, praeuiderat. Nouam itaq; arcem Mieczslaus senex ex lignis blancatis roboreisq; extruit, et fortissimis roboribus breui spacio communit. Castrum etiam in Botum aedificat, et aliquantum in Cracouia perseuerat. Casimirus autem Polonorum Dux et Monarcha, nouitate huiusmodi intellecta, ilico Cracouiam cum Polonorum paucis, et cum Romano Vladimiriensi, Vszewoldo Belzensi Ducibus, et Nicolao Cracouiensi Palatino aduenit. Cuius aduentu nunciato, Mieczslaus senex in Posnaniam refugit. Boleslaum tamen filium, et Henricum Kithcz militem qui illi recuperationem Monarchiae ingerere crebris sermonibus solitus erat, in Cracouiensi castro, quod nuper erexerat, caeterisq; castris et municipijs et militum forte et frequens praesidium relinquit, resistentiam Casimiro donec ipse cum nouo militum supplemento praesidium ferret, oppositiuros. Verum Kasimirus Dux pro accepta a fratre Mieczslao iniuria fremens et frendens, dum Cracouiam aduenisset, castrum a Mieczslawo erectum, concurrente ad eum tam militum quam agrestium multitudine, et de suo reditu atq; bona valitudine gratulante, nocte et interdiu oppugnat, et fatigatis defensoribus, nonnullisque peremptis tandem conquirit. Boleslaus etenim filius Mieczslaui senis parum spei in defensione patris reponens, et seipsum et castrum quod tenebat in potestatem et gratiam Casimiri sui patrui tradit, sed et caetera castra atque munitiones quae in ditionem Mieczslaui senis concesserant, ilico ditioni Casimiri reddita sunt. Et Casimirus quidem Dux ea victoria modestissime usus, castrum nullum incendit, et funditus exterminat. Boleslaum vero nepotem suum et omnes militares Mieczslaui senis illic captos, et in libertatem restituit, et benigne habitos, amplissime insuper muneratos, in propria remittit. Solus Henricus Kyetlicz cuius consilio constabat Mieczslaum senem regi, et ad recuperandam Monarchiam impelli, et qui omnis dissensionis civilis inter fratres fuerat occasio, ad Ecclesiam maiorem, et in eius criptam, sceleris sui conscius, in ea latere estimans, confugerat, ubi et latitabat. Cumque irrumpentibus Ruthenis tumultus fieret, super muris Ecclesiae animo et intentione res et mobilia Ecclesiae omnemque suppellectilem diripiendi, clamor a sacerdotibus et ministris Ecclesiae et Polonorum gentibus attollitur, ad Casimiri Ducem, et eius patrocinium, ut Ecclesiam Cracoviensem a Ruthenorum invasione et expilatione defendat, certatim imploratur. Qui accurrens insultum Ruthenorum compescuit, et res Ecclesiae ne ab eis diriperentur, animose defendit. Interea Henricus Kyetlicz ex cripta tumultu audito egressus, catervis vulgi tanquam ignotus permixtus, de castro nitebatur et sperabat effugere. Quod cum facere nequisset, captus ad Casimirum Ducem deducitur, quem Dux probris confusum, alapis caesum, Duci Romano in captivitatem tradit, et ne inter fratres seminarium esset facti dissidij, ipsum in exilium in Russiam relegat, ubi consenescens moritur.

Romanum Vladimiriensem, et Vszeuoldum Belzen Duces cum Ruthenorum copiis qui sibi tulerant solatia, in Russiam remittit. Ut autem tam clemens tamque liberalis in Boleslaum nepotem caeterosque clientes Casimirus esset, autor fuit Zdzislaus Gnesnensis Archiepiscopus, vir praeter insitam facundiam rarae et singularis industriae, qui Cazimirum Ducem, ut in Boleslaum nepotem, et singulos Mieczslaui milites esset non tam clemens, quam munificus, docens, si secus ageret, bellum atrox iterum inter se et Mieczslaum resurrecturum, si modeste, penitus cessaturum, facile permovit. Nec Pontificem Gnesnensem opinio fefellit, Mieczslaus enim senex dux maioris Poloniae, tanta Casimiri Ducis fratris clementia et liberalitate magis quam armis expugnatus, omnium iniuriarum quas a Casimiro pertulerat obliterata memoria, in puram et integram, mediatoribus optimis, praefato Petro Gnesnensi Archiepiscopo, viam agente, concordiam et reconciliationem rediit, ac ipsum de caetero mira charitate et veneratione coluit. Nec eo superstite ad movendum bellum pro recuperanda Monarchia poterat induci

Clemens Papa tertius cum annos tres dies XVI sedisset Romae moritur, et in Laterano sepelitur. Cui Caelestinus tertius natione Romanus ex patre Petro Bubonis successit, Qui in festo Paschae consecratus, secundo die sui Pontificatus Henricum filium Friderici Imperatoris in Imperatorem Romae coronat. Cum autem Imperiali benedictione accepta, in Siciliam distracta et occupata recuperaturus, Henricus Imperator transisset, et Neapolim obsidione trimestri spacio vexaret, ex epidimia quae exercitum suum vexarat, Conradus Bohemiae Dux moritur et Pragam sepeliendus refertur. Post cuius obitum Wenceslaus filius Sobieslai senioris accepit Ducatum quem cum mensibus tribus tenuisset, a Przemyslao filio olim Wladislai Regis patruo germano de sede Ducali pulsus, in confinibus Sirbiae a Marchione Adalberto Sirbiae captus et in vincula coniectus est. Przemislaus vero quia et ipse a militibus Bohemiae spretus et expulsus fuerat, magnam partem Bohemiae spolijs et incendijs vastavit. Imperator autem Henricus notabilibus proceribus et militibus a morbo Epidemiae spoliatus, cum et ipsum languor pervasisset, desidere ex Sicilia cum paucis in Almaniam reversus est. Constantia filia Regis Siciliae in consortem desponsata

Eclipsis in Sole anno eodem Nonis Calendis Julij accidens, a tertijs usque in nonas duravit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS NONAGESIMUS SECUNDUS

Plenam et sinceram Casimirus Polonorum Dux et Monarcha reconciliationem cum fratre suo Mieczslao Sen: maioris Poloniae Duce, omnium denique terrarum suarum et principatuum statum pacificum consequutus, ad ulciscendam fratris germani Henrici primi Sendomiriensis Ducis, et exercitus Poloniae, fraude a Pruthenis locorum iniquitate circumventi, mortem animum intendit, et contra Pruthenos quibus ad id usque temporis impunita fuerat eorum prava temeritas omnibus copijs bellum gesturus, omnibus terris et principatibus Polonorum expeditionem indicit. Mieczslaus Senior Posnaniensis Dux filium Boleslaum cum exercitibus in eam expeditionem transmittit, domi remanserat. Boleslaus vero altus Wratislaviensis, et Mieczslaus Ratiboriensis Duces, nepotes Casimiri et filij olim Wladislai personaliter prosequuntur. Cum autem singula copia ad Chelm oppidum supra Vislam situm, convenissent, aciebus ordinatis in Prussiam cauteloso et explorato gradu, ne quis dolus a Pruthenis inijceretur, processum est, flumineque Ossa superato usque ad interiora penetratum. Summa quoque cura, summaque diligentia et stativis eligebantur loca, et ne in pabulationes eruptiones a Pruthenis fierent, ne quis insuper locus sua iniquitate detrimento Polonis foret, Casimirus Dux tam per se quam per praefectos providebat. Pruthenj cum Polonorum copijs congredi non ausi, aut in paludes, aut in concretas nemorum densitates, inviaque loca, quae sine periculo non poterant adiri, refugerant, Polonos tamen locorum iniquitate frequenter intercipere tentabant. Quos cum Casimirus Dux ad pugnam elicere non posset, et vastationem agrorum et incendia vicorum longe lateque iussit extendi, et tam puberes quam impuberes necari. Ingens itaque trucidatio, et suorum interfectorum manibus parentaretur, non tantum propter Ducis imperium, quam ob iustam iram edita, barbaros pacem petere coegit. Venerunt siquidem Pruthenorum maiores, et ad pedis Casimiri in terram prolapsi, misericordiam precabantur, rogantes ut ferro parci mandaret, et miserandas eorum delere non pergeret reliquias, satis se poenarum pro temeritate eorum intulisse, offerentes se et solita et retenta tributa pendere, et quaecunque legitime imperarentur implere. Quorum precibus Casimirus Dux motus, et caedem et exustionem iubet rescindi, retentaque tributa coram afferri, et obsides centum dari, captivosque et signa intercepta reddi. Nec mora Barbari et omnia imperata perficiunt, et Casimirum Ducem singularibus donis placabilem sibi effecturi honorant. Ita Casimirus clade suorum ulta, obsidibusque Pruthenorum et tributis receptis, amplissima laude militibus cum offerentibus

tibus, quod provide et prospere Ruthenicum bellum gesserit, cum magna sui et suorum alacritate in Poloniam finibus Regni sui recuperatis remeavit.

Saladinus Babiloniae Rex post occupatam permissione divina et pro scelere humano terram sanctam, et post multifariam Christianorum stragem, dum apud Damascum decumbens, mortem sibi sensisset imminere, vocavit signiferum suum dicens, Tu qui solebas ferre vexilla mea, in bellorum quae gessi congressibus, fer vexillum mortis meae, panniculum videlicet vilem super lanceam clamitando per totam Damascum. Ecce Saladinus Rex Orientis, non fert secum ex omni gloria sua nisi hunc pannum vilem, et sic mortuus est

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS NONAGESIMVS TERCIVS

Castigata et ad servitutem tributariamque conditionem Ruthenica regione per Casimirum Ducem et Monarcham Polonorum redacta, ad res Vngaricales componendas, bellumque quod Treuga suspensum erat, extinguendum, opera utrinque navata est. Et Dieta primum in regnorum metis per Consiliarios communes, quemadmodum triennio ante inter eos convenerat, celebrata est. Ad quam cum pro parte Regni Poloniae Fulco Cracoviensis Episcopus, Nicolaus Cracoviensis Palatinus, et caeteri Polonorum Consiliarij, pro parte vero Vngariae regni Strigoniensis et Agriensis Pontifices, cum Palatino Vngariae, et nonnullis alijs Baronibus convenissent, multiplici tractatu irritatos animos pacificarunt, Sanciuntque ut Bela Vngariae Rex suo amplissimo Vngariae regno contentus, Ruthenorū regiones ad Poloniae Regnum spectare permittat. Conveniunt deinde personaliter Bela Vngariae Rex et Casimirus Polonorū Dux in antiqua villa, et omnibus offensis atque iniurijs hinc inde remissis, foedus dudum inter Vngarorum et Polonorum regna stabilitum iureiurando innovant, et amicitias com munes sincere et integre coli, et tam prosperos quam adversos successus vicissitudinaria relatione pariter partiri debere decernunt, et eo foedere icto, muneribusque invicem datis, discedunt.

Pragensis Episcopus Henricus, Ducalem et ipse ducens stirpem, ut cognati sui Premislaus in Bohemia, Vladislaus in Moravia, principatum gererent, apud Imperatorem Henricum non precibus solum et gratia, sed et largitione atque promissione obtinuerat, seque pro promissa pecunia Imperatori vadem posuerat. Quae cum in tempore constituto non redderetur, et Imperator tum ob id, tum quia Premislaus Bohemiae Dux cum hostibus suis principibus Saxoniae foedus contra illum inierat, Premislao offensus esset, Henricum Pragensem Episcopum tunc apud se praesentem de Ducatu Bohemiae investit, et Bohemiam ad principandum remittit. Verum etsi Bohemiae Barones se constanter Premislao Duci contra Henricum Episcopum Pragensem ad Sacluros astrinxissent, Henrico tamen Pragensi Episcopo Bohemiam cum Almanis et nonnullis Bohemis intrante, omnes Premislao deserto ad Henricum Episcopum Pragensem deficiunt, propterquod Premislaus ne a suis traderetur, in carcerem, per fugam sibi vix consulere potuit. Henricus Episcopus Pragam, quae pro Premislao tenebatur, obsidione cingens, quinto demum obsidionis mense per deditionem accepit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS NONAGESIMVS QVARTVS

Composita ab intus et extra pace, et subactis quae dudum aversae erant, in obedientiam et tributum nationibus, Casimirus Polonorum Dux et Monarcha celebris, et felicissimus apud proprias et exteras gentes habebatur, ut pote qui atrocissima bella armis et ingenio prospere gessisset. Unde illum non imparem genitore suo Boleslao Krzywousti nonnulli destinabant, quietiorum se de caetero, et religiosum vitam in pace exacturum ratus, ad res urbanas instaurandas, quae sub cursu praecedentium bellorum aut depravatae aut neglectae erant, animum inverterat. Omnem operam pro condendis et ornandis castris et urbibus deinceps navaturus. Sed factorum invidia oppressus, et proximum propositum, et spes subditorum, iam de altera felicitatis sorte nimia alacritate plaudentium, non implevit, ne humanam felicitatem supergrediens, et triumphator magnificus, et instaurator magnanimus censeretur. Nam cum in Cracoviensi urbe iuxta consuetudinarium morem, dum Sancti Floriani patroni loci et regionis sub magna devotione festivitateque, solennes et sibi dignas oblationes, et hostias offerens, exegisset, pauperesque Christi et personas miserabiles liberali munificentia pavisset, in subsequenti sancti Gotthardi die, Pontifices, Barones, et primos Poloniae generose mensa excepit, ubi inter prandendum sub magna animorum hilaritate venere in mentem priores expeditiones, laboresque, et priores frequentesque de hostibus sub Casimiri auspiciis relati triumphi. Venere evitata superataque pericula et subsecuta tempora emerita et tranquilla, sub quibus se et securos de caetero gloriabantur et beatos. Omnium tamen felicitatum et gloriarum suarum splendorem, in Casimirum Ducem et Monarcham suum referebant, cuius ductu et auspiciis commemoratas tunc felicitates nacti essent, et bella domi forisque prospere gessissent. Cum itaque singuli magnificis epulis opipare tractati degressi pararent, Casimirus Dux, quasdam pontificibus, de statu et immortalitate animae, de beatorum beatifica fruitione quaestiones, propositiones, et scrupulosius quo poterat obscurarum latentiumque rerum circumstantias exquirens, modico exhausto poculo retrorsum relapsus, subita ut ferunt virtute correptus veneni, amissis sensibus, concidit, et sub paucis horis ingravescente morbo exspiravit. Morbo nonnulli extinctum crediderunt, nonnulli veneno, quod illi a quadam ex Cracouia muliere, et illum ad sui instam maritamorem, et Venerem, ferebant propinatum. Monitus siquidem a Pontifice Cracouiensi Fulcone, quoniam vitare facinus adulterij non decrebat, mortis subitae per venenum incurrit discrimen, morte improuisa. Ex suo autem tam subito et inopinato occasu, fletus ingens tum a consorte et duobus teneris filijs Lestkone et Conrado, tum a Pontificibus et militibus in Regia coortus, etiam in urbe exaudiebatur. Illum ducem egregium, illum victorem propicium, illum iustum iudicem, illum seuerum malis, placabilem bonis, exterminatorem grauaminum et abusuum, sartorem optimarum legum, instauratorem denij, et parentem patriae crebra ingeminatione et comploratu appellabant. Quarto demum die comparatis et praeparatis omnibus, quae ad funerias tam Illustrissimi Principis necessaria visa sunt, in Cracouiensi Ecclesia regalissimo maximo sumptu et apparatu exequiae habitae sunt. Corpusque in sepulchro in Chori latere a dextero manibus militum iusto honore tumulatum. Probitati, modestiae, frugalitati caeterisque generis animi humani ornamentis constat illum in omni vita operam dedisse impensius, Ob morum suauitatem, facilitatemque naturae ab vniuersis ordinibus magno desideratus affectu.

Funeralibus exequijs rite peractis ad substituendum nouum Principem frequens Cracouiae conuentus indictus et habitus est. In quo in surrogando Principe diebus aliquot, varijs diuersisque votis certabatur. Et Fulco quidem Cracouiensis Episcopus ad milites et multitudinem oratione habita, persuadebat fortissima ratione nulla cunctatione in eligendo Principe vtendum fore, sed ex duobus Casimiri filijs, attentis beneficijs, quae in patriam egerat, alterum in solium paternum quanto celerius, et antequam calliditas Mieczslaui senis et aliorum Ducum sedem Cracouiensem ambientium quidquam in aduersum moliri possit

sit, credendum, pendentq; Casimiro optimo Principi merito
rum suorum et in patriam et in singulos vicissitudo. Qui etsi
domino evocante, morte præoccupatus sit, in duobus tamen
filijs, etsi non completam, optimam tamen et singularem in
dolem, et quæ patrem expressura sit, habentibus, vivit. Sed
neq, patriæ statum sine Principe, velut apium gregem si
ne parente, diuturnum constare, neq, suas et patriæ
res, legesq, salvas et incolumes fore, si proprio Principe, et
apud se educato, contempto, in alterius transeant di
tionem. Hisq, et alijs eleganter propositis, minorem na
tu Casimiri filium Leschonem decernebat substituen
dum. Huic sententiæ cum et Senatus et maior pars
militum assensi forent, unus ex Baronibus negavit,
rem boni moris et exempli existere, ut ad gubernandum
magnas nationes et populos puer surrogaretur, et infan
tilis atq, inexperta ætas forsitan processu temporis vel de
licatura, vel Regimine Principatus abusura, maturis et
prudentibus imperet, suoq, imprudenti regimine statum pa
triæ, et ea quæ a Casimiro parta sunt, eversum iri, et
regiones quæ tributa pendunt ad rebellionem recurrere,
opportunitate nacta contingat. Placere sibi ut magis pa
triæ consulatur, quam pueris, et pro bene gerendis patriæ
rebus, eiusq, quiete et stabilimento, aut Mietzslaus se
nex maioris Poloniæ Dux, qui et ipse obtinendi Monarchi
am potiori iure, quam Casimirus nuper mortuus censeba
tur, aut Mietzslaus Opoliensis et Ratiboriensis Dux
sufficiatur. Cum sub alterius ex his principatu et regimi
ne sperandum sit, patriam meliores quam sub puero ef
fectus habituram. Probabant nonnulli sententiam, tali
ter depromptam, pedetentim in illam ibant, et plures ve
risimiliter credebantur in illam, prima, quæ a Fulcone
Episcopo Cracoviensi explicita erat, deserta, itur, ni idem
Fulco Episcopus, sententiam ipsam refellendo demonstras

ſet, ea quae Baro diſſeruiſſet, tumdemum vera fore, ubi
ius electionis, ius ſucceſſionis non perimeret. In praeſenti
vero caſu, quo tantummodo de iure ſuccedenti non eligen
di quaeſtio ventilatur, rationes et perſuaſiones propoſitas
locum legittimum non habere, cum acerbum nimis durumque
eſſet, quandam quoque inhumanam redoleret tyrannidem
et crudelitatem, ut filiorum Ducalium ad iuſtam aeta
tem brevi perventurorum, haereditas, exteris haereditan
da traderetur, cum divina, Canonica, et imperiali lege
filijs non adulteris ſolummodo ſed etiam poſthumis pa
terna portionis ſucceſſio debeatur. Pro retinenda ve
ro ſalute patriae, pro manutenenda eius authoritate, pro
bene gerendis eius rebus, repellendisque adverſitatibus
quid vetat curatores proviſoresque eligi, et illis tam filio
rum Ducalium, quam patriae ſalutem et regimen man
dari, cum Reges et Principes frequentius per adminiſtra
toras poteſtates et Magiſtratus quam per ſe ipſos etiam
viridem aetatem conſequuti, regna et principatus admini
ſtrent. Laudata eſt Sacrae Pontificalis ſententia
et omnibus quae in contrarium allegabantur, abrogatis,
conſurgunt Proceres, milites, et voce caelotenus emiſſa ac
clamant Vivat, vivat Leſtko Dux et Rex noſter in aeter
num, ac ſic gradu concito in thalamum ingreſſi, puerum
ſplendide exornatum, alba caeſarie cum coruſcanti, pro
pter quam et albus Leſtko nuncupationem ſortitus eſt,
in publicum educunt, atque in ſede paterna collocatum Prin
cipem conſtituunt, Duosque ſibi et principatibus ſuis cura
tores, videlicet Fulconem Cracovienſem Epiſcopum, et Ni
colaum germanum ſuum palatinum Cracovienſem deligunt,
et illis ſe donec Princeps adoleſcat, in ſingulis parituros ob
ſtringunt. De hac autem Baronum et militum uniformi
concordia omnium pectora ſingularis exultatio pervaſit, gra
tulantibus univerſis pro mortuo Principe olim tam ſpe

ciosam

cusam sib. vro duxisse, Quam Nicolaus Palatinus Cracouiensis vir ea tempestate plurimum oculatus et industrius, amplius firmaturus, noverat enim vulgares animos facile auro frangi et averti, primum quidem omnibus in commune gratias agit, quod tam patrie quam Ducalium filiorum rationem habendo, dignum et sic honestum Reipublice statum formare studuissent, Et tandem ut in eo servando custodiendoq essent constantes, et in illius prevaricationem non fierent proclivi, ab unoquoq iuramenti Sacramentum exegit. Conradus vero minor natu Cristino Palatino Masouie cooperante, Mazouiam et Cuiauiam cum suis pertinentijs ex integro suscepit.

Russia Principes conventu apud Kyouiam celebrato, expeditionem contra Polowczos, regionis eorum assidua irruptione vastantes indicunt, Itaq quamprimum tempus aestiuale advenit, Swantoslaus Vssewoldicz Kyouiensis Dux, Rurik Roscyslawicz, Hleb Swantoslawicz, Hleb Jurgiowicz Turouien, Wolodimirus Hlebowicz, Mscislaus Romanowicz. Isaslaus Dawidowicz et Wszewoldus Mscislawicz Duces, Item milites Halicienses, Wladimirienses, et Luczenses, per Romanum Ducem Wladimirienē transmissi, interram Polowczorum adveniunt, et vicesima Junij die cum Polowczis in maxima et forti multitudine in occursum eorum euntibus, congressi, Polowczos de sua virtute gloriantes cede magna in bello Dei confligunt, et prosternunt, multisq caesis aut captis, paucis vero effugientibus, castris eorum et tabernaculis potiti, preda et spolijs onusti victores cum gloria revertuntur

Henricus Episcopus Pragensis et Dux Bohemie, exercitualiter Moraviam ingressus, affinem suum Vuladislaum de ea exclusit, Deinde tam ex Bohemis quam Moravis, maioribus copijs adunatis, iussu Henrici Imperatoris tores, qui Alberto Marchioni Sirbiae infestus fuerat, Sirbiam ingressus, eam vastat, et multa relatu indigna, non solum in seculares et agrestes, sed etiam in Ecclesiasticos, Monasteria, et servos Dei committit.

Parem et ampliorem famam et gloriam, quam Russiae Duces in Polovczorum vastatione consequuti fuerant, Igor Russiae Dux sibi comparaturus, cum duobus filijs, et Nowogrodenses de Syeuwor, et fratre suo Vszevolodo Olsowicz, et militibus de Czirnyow vadit contra Polovczos. Et quamvis notabiles eorum copias prostravissent, una tamen victoria non contenti, constituerunt ire ultra flumen Don, omne genus Polovczorum deleturi, et tanto insigniorem habituri laudem, quanto longiorem et quam nemo ante illos tentare ausus fuerat, exegissent viam. Interim autem Polovczorum ingens multitudo eis prope Don occurrens, cunctos conflixit et delevit, neminem ex ea clade superstitem esse sinens. Hi Russiae hostiliter terras circa Perejaslaw irrumpunt, et omnia castra in flumine Sula comprehendunt

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS NONAGESIMUS QUINTUS

Sublimationem Lestkonis albi in Cracoviensem Principatum ex morte Casimiri vacantem, per Fulconem Episcopum, et Cracovienses et Sandomirienses milites factam, se neque evocato neque consulto Mieczslaus Senex maioris Poloniae Dux molestissime ferens, frequenti suorum consilio advocato, quantum animo ob id consternatus sit, quantis vexetur curisque cruciatibus, quantam illi et suis immaturi pueri in regnum quod sibi debebatur, evectio, ignominiae materiam attulerit, et in posterum allatura sit, edicit, Omnem culpam in Fulconem Episcopum et Cracovienses milites retorquet. Quos propterea principatum puero mandasse asserit, ut totius principatus administratio apud illos consistat, et appellatione quidem vana Lestko Princeps in fascibus appareat, illi re vera actione et imperio gerant et exerceant principatum. Et in tenera quidem atque parvula aetate Lesthkonem et Conradum nepotes suos blande tractari, dum vero ad maiorem aetatem perventuri forent, deleri illos a Baronibus Cracoviensibus veneno, et occupari stirpe Ducali sublata astruit Principatum. Nec nunc primum Cracovienses Proceres, sed altera vice ignominiosae exclusionis notam sibi inussisse, et quamvis primam fratre Casimiro vivente utcunque tulerit, eundem cladem stragesque domesticas vitaturus, eam tamen quae nuper excessit nullatenus passurum, cum multiplici respectu velut natu maiori Cracoviensis sibi quondam non legitime ereptus, debeatur Principatus, et cura puerorum neminem magis quam se qui alter pupillorum parens sit, contingat. Nimis eatenus et ferro ignominiam et iniuriam a Cracoviensibus sibi datam, rescindendam fore, aut gloriosa morte occumbendum, ne sua despectui et irrisui habeatur aetas, decernit. Et cum universi propositum animi sui velut efficax et necessarium commendassent, armari suos omnes in id bellum quanto celerius, quantoque expeditius iubet. Boleslaum deinde altum, Vratislaviensem, Conradum Opoliensem et Ratiboriensem, Duces, nepotes suos, filios Vladislai exulis, Item Msczugium Ducem Pomeraniae generum suum, ad ferendum sibi personalia solatia, multifaria exhortatione et prece accersit. Iustius tamen bellum habiturus, nuncios ad Fulconem Episcopum Baronesque Cracovienses mittit, requirens et sublimationem nepotis Lesthkonis Ducis velut iniustam et in suum praeiudicium atque dedecus redundantem, rescindi, et se in administrationem et regimen Monarchiae Polonorum et Principatus Cracoviensis admitti. Fulconi autem Episcopo et Baronibus

bus Cracoviensibus, ius quod sibi ad Monarchiam et Principatum Cracoviensem competere asserebat, iustiore confutatione refellentibus, et se antiquam scita et decreta sua abrogari, pupillorumque haereditates occupari patiantur, respondentibus honeste prius morte morituros, Mieczslaus Senex maioris Poloniae Dux contra Cracovienses milites arma sumit, et habens in comitatu suo Mieczslaum Opoliensem, et Ratiboriensem, et Iaroslaum filium nepotis sui germani Boleslai alti Wratislaviensis et Pomeraniae Ducis, et filium suum Boleslaum, copiasque tam equestres quam pedestres, versus Cracoviam Monarchiam resumpturus alacer et ingenti spe plenus procedit, auxiliaribus Ducibus gradu tardiori insequentibus agmen suum. Nullo autem pacto credebat, Cracovienses milites secum in dimicationem venturos, sed pactis et conditionibus illum pro principe et Monarcha, abrogato Leshone albi principatu facile accepturos.

Non ignari Cracovienses Barones et milites quanto studio et cura qualique animo et apparatu, quantisque demum copiis Mieczslaus Senex maioris Poloniae Dux, bellum ipsis indictum provocat, arma et ipsi de principatibus, Cracoviensi, Sendomiriensi, Lublinensi, Masoviensi, Cuiaviensi, Brzestensi supra Bug siti, caeterisque Russiae oris, quae Casimiro dum viveret parebant expediunt. Romanum insuper Mscislawicz Wladimiriae Ducem et filiorum Casimiri Ducis affinem, multis beneficiis per Casimirum obstrictum, in sui suffragium accersunt. Tribus quoque agminibus, quorum unum Nicolaus Palatinus Cracoviensis, alterum Goworius Palatinus Sendomiriensis, tertium Romanus Wladimiriensis et Haliciensis Dux ducebant, Mieczslao Seni maioris Poloniae Duci et suis auxiliariis obviam procedunt, populationem agrorum et villarum, quibus iam Mieczslaus Senex ignominiose inferebat, prohibituri. Iam usque in Andrzeiowiense Caenobium, et oppidum in Cracoviensi Dioecesi situm, Mieczslaus Senex cum suo tantummodo exercitu pervenerat, exinde ad fluvium Mozgawa quatuor a Monasterio praedicto milliaribus decurrentem, stativa posuerat, dum Cracoviensium militum nuntiatur exercitum hostibus advenisse. In eo itaque loco infestis aciebus utrique exercitus concurrunt, Cracovienses enim milites nondum auxiliares Duces Mieczslawo seni scientes advenisse, ne simul cum omnibus pugnare urgerentur, aciem Mieczslavi, faciliorem victoriam consequuturi, invadunt, et sinistrum cornu Romanus Dux, dextrum Nicolaus Palatinus Cracoviensis tenebat. Goworcus Sendamiriensis Palatinus in subsidiis relictus erat, ad vesperum diei praelium extractum est, cum in tertiis coeptum esset, et miro pugnandi ardore ab utrisque certabatur, Quamvis in utroque exercitu, fratres, cognati, affines, soceri, generi, variaeque necessitudinum homines consisterent, nemo tamen animum, nemo fervorem belli remisit, nemo fratri cognato aut amico indulsit, sed mutua se caede obtruncando, iuxta atque inter infestissimos et perpetua guerra dissidentes hostes, bellum agebatur. Quapropter utraque parte refellente gradum, strages horrenda cadaverum utrinque edita est. Ad Duces quoque ipsos, qui suis lateri auxilium, praelio se, praelium restituturi immiscuerant, clades pervenit. Boleslaus siquidem filius Mieczslavi Senis, sub patris conspectu lancea traiectus, ex equo diffluens expirat. Mieczslaus Senex maioris Poloniae Dux a gregario milite vulneratus, in mortem mucrone crebros ictus repetente agebatur, ni galea detracta se Mieczslaum et Ducem, parcereque sibi et misereri postulando exclamasset. Maiestatis autem suae et nominis terrore miles gregarius perculsus, non solum ferro abstinuit, sed etiam ex acie deductum, ne a quoquam alio violaretur, fuga celeri sibi consulere persuasit. Romanus insuper Mscislaviensis Wladimiriensis Dux gravibus vulneribus adverso pectore acceptis, dum suos Ruthenos partim stratos, partim in fugam versos conspiceret, e praelio et ipse periculum vitaturus declinat. Multis enim militibus ex utraque parte aut occisis aut vulneratis, praelium diremptum est. quod tam horrendo et crudeli Marti gestum est, ut uterque exercitus cruenta referens vulnera, pro victo abiret, et nemo in certaminis loco conspectus est, qui pectore adverso cecidisset. Cognata arma, acies fraternae, signa communia, unius patriae, unius linguae robur, ingenio pari insano, infesti eo primum tum die gessere bellum animis. Solus Mieczslaus Laskonogi Dux eodem die caeteris diffugientibus in certaminis loco permansit, soliusque sibi cessisse victoriam gloriabatur

Partis utriusque exercitu ex certaminis loco defluente et delapso, Mieczslaus Opoliensis et Ratiboriensis Dux, qui et ipse partes Mieczslai senis Ducis Maioris Poloniae iuvaturus, tardius egressus praelio non interfuerat, cum nepote suo Iaroslao Boleslai Alti Wratislaviensis filio, et copiis sui exercitus advenit, eosque qui de Mieczslai senis exercitu diffugerant recolligens, in certaminis loco consedit, ac signis erectis, quasi victoris in morem consistit. Cui et eam ipsam exultationem Goworius Palatinus Sendomiriensis, ad quem reliquiae disturbati Cracoviensis exercitus se applicaverant, erepturus, nulla suorum paucitati et recenti clade perculsorum inita ratione occurrens, acerrime pugnat, et potioribus de suis amissis, caeteris fuga delapsis, numerositate hostium superatus, in hostiles manus, fugere turpe ratus, vivus venit, et longam captivitatem apud hostes, antequam manu mitteretur, pertulit. Opoliensis Dux Mieczslaus cum nepote suo Iaroslao ne iterum a Cracoviensibus militibus infestaretur veritus, ex praelii loco Goworium Palatinum Sendomiriensem et nonnullos alios Cracovienses milites captivos, spoliaque relata triumphi secum ferens descendit, et ab exploratoribus, nuntiisque doctus Mieczslaum senem graviter vulneratum lectica in Posnaniam deferri, exercitum et ipse suum armipotis in Silesiam traduxit

Sollicitus de futuro belli eventu Fulco Cracoviensis Episcopus, in villa sua Dzierzaszna duobus milliaribus a conflictu distanti substitit, et inter spem atque metum positus, obsecrationibus lacrimosisque, suis victoriam cedere prestabatur. Adveniunt interea aliquis ex praelio fugiens, et Pontifici de exitu belli avide sciscitanti, respondit magna caede, Cracovienses et Sendomirienses et Romanum Ducem Vladimiriae cum exercitibus eorum per Mieczslaum senem maioris Poloniae Ducem contritos esse, et tam palatinos quam Romanum cum primoribus in acie cecidisse. Mieczslaumque Ducem triumphali pompa insignitum et spoliis atque signis debellatorum a se hostium onustum, celeri cursu ad occupandam Cracoviam contendere. Nondum is relationem suam expleverat, et unus alius itemque alius et alius diversam ferentes successisse rabiem adveniunt. Fulco autem Episcopus quod veritas contineat gestorum agnoscere, unum e presbiteris suis, sub dissimulato habitu in certaminis locum, singulaque et quali ordine acciderint, et quos successus palatinos Cracoviensem et Sendomiriensem, Ducemque Romanum maneat exploratorum, iubens illum impigrum, diligentem, et cautum esse, misit. Qui cum pedestri itinere in praelii locum ante ortum Solis pervenisset, et ab his qui semineces relicti erant, et ab his qui interfectorum aut animas exhalantium legebant spolia, percunctata resciretque veritate ad praesulem suum Fulconem reversus, singula eo ordine quo acciderant exponit. Referens Mieczslaum senem maioris Poloniae Ducem et pro nece filii sui Boleslai et pro vulnere pro victo discessisse, Romanum

Sendomiriensis

Sendomiriensem Palatinum a Mieczslao Opoliensi Duce et suo exercitu qui supervenerat conflictum et captum esse, Romanum Mscislaidez Ducem in Russiam sauciatum, caeteros prout quemque casus tulit in loca varia abiisse. Et Fulco quidem Episcopus maerore nimio consternatus, pusillis et patriae consulturus, nocte subsequenti Ducem Romanum consequutus obnixe rogat, quatenus cum his qui illum sequebantur reliquiis Cracoviam redeat, arcem et filios Ducales contra saevitiam Mieczslai Senis, quem sperabat supplemento militum habito ad occupandam Cracoviam reversurum, defensurus. Sed Romanus Dux duplici se praepeditum causa respondit, et defectu militiae, quae aut praelio occubuerat, aut fuga defluxerat, et acceptis vulneribus, quae tumescebant. Quaerenti deinde Episcopo quid in tam periculoso necessitatis articulo agendum pro incolumitate patriae, optimum et necessarium fore videret, respondit, de capite omnem curam habendam esse; et Cracoviam provinciarum omnium dominam et principem ab hostili invasione tutandam, qua salva et incolumi, caetera omnia felicius sequutura. Id consilium Fulco Pontifex sequutus, dum altero die Nicolaus Palatinus Cracoviensis instaurato exercitu magnis ausis ignominiam acceptam ad Moszgawa detersurus, Mieczslaum Senem insequi iter pergeret, illum prohibuit, et ne arx et civitas Cracoviensis in aliquod periculum recideret, secum una Cracoviam rediit, et militum praesidio non Cracoviensem solum arcem, sed et singula ditionis pusillorum castra, ne nunciata cladis aliquam procellam excitet, munivit, et ne novandi res quisquam ausus sumeret, praevidit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS NONAGESIMVS SEXTVS

Facta inter Mieczslaum Senem, Maioris Poloniae Ducem, et Cracovienses milites pro principatu ad Mosgawa gesta dimicatio, facta insuper cladis, per quam plures mortales omni bello et nullum referente triumphum absumpti sunt, diu partem vtramq; sub quieti destinuit, quasi ex composito vtrorumq; crederes vtrumq; bellum suspendisse. Mieczslaum siquidem senem maioris Poloniae Ducem accepta ignominia plurimum pudebat, quod et in praelio inito multos milites multasq; fortunas, et super haec omnia charum filium Boleslaum perdiderat, et quod ipse nihil ex praelio praeter vulnera filijq; Boleslai cadauer retulerit. Tenebat et Cracouienses milites ingens rubor, quod nonnulli eorum signis et locis desertis in fugam abierint, et partam prope victoriam e manibus emiserint. Sub hoc autem turbatarum publicarum rerum dispendio, salutare visum est Ducissae Helenae Casimiri relictae, supra sexum muliebrem singulari prudentia pollenti, fasces imperij et regimen principatus committi; ea conditione adiuncta, vt absq; Fulconis Episcopi et Nicolai Palatini Cracouiensis consilio, et assensu, nihil in Republica statueret, innouaret, aut decerneret. Itaq; ad filiorum maturam aetatem, Helenae Ducissae praefatae arbitrio, et vacantium dignitatum atq; officiorum magistratus personis idoneis mandabantur, et Ducales census et introitus aut inferebantur in fiscum, aut in Republicae distribuebantur commoditates et profectus. Charitate siquidem, quam erga Casimiri stirpem gerebant, milites acti, conditionis suae quodammodo, in tempus, quo viri essent obliti, muliebri potius subiacere imperio, quam Ducales filios deserere maluerunt

POSNANIENSIS Episcopus Mrohota febribus correptus moritur et in Ecclesia Posnaniensi sepelitur, cum annis decem pontificali regimini praefuisset. Cui per electionem Canonicam octaua Septembris tentam, Philippus Canonicus Posnaniensis nobilis Polonus de domo Vuenlauua via frentinij succedit a Sdzislauo Gnesnensi Archiepiscopo Mieczslauo Duce maioris Poloniae consentiente confirmatus et consecratus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS CENTESIMVS NONAGESIMVS SEPTIMVS

Petrus titul. Sanctae Mariae in via lata Diaconus Cardinalis Capuanus vulgariter nuncupatus, a summo Pontifice Caelestino tertio legatus de latere ad reformandam Ecclesiam Polonicam destinatus, venit in Poloniam. Qui Cracoviensem civitatem ingressurus, a Fulcone Cracoviensi Episcopo, et omnium Ecclesiarum processione, magno honore exceptus est. Primamque congregationem in Cracovia, alteram in Lubecz agens, deinde in Gnesnensem, Wratislavien., Posnanien., Plocensem, Wladislavien., Chelmen., et Lubucen. Dioeceses se transferens, id praecipuum in Ecclesia reformanda sibi curae assumpserat, quatenus presbyteri a mulieribus et concubinis abstinendo, continentem et castam, et quae laicos aedificare posset, ducerent vitam, cum plures ea tempestate Sacerdotes uxoribus velut iure legittimo uterentur. Cuius usus corruptelam Cardinalis ipse summo studio a Polonica eliminavit, abrogavitque Ecclesia, et presbyteris uxores accipere, et tenere sub gravissimis poenis interdixit. Laicis vero quacunque excellentia pollentibus, connubia sua in facie Ecclesiae contrahere instituit. Et haec quidem salubris praefati legati Cardinalis constitutio, facile a Polonorum clero, et ab universa Polonica Ecclesia accepta, et accurata diligentia custodita servataque est. A Bohemis tamen clericisque Bohemis apud quos Cardinalis ipse legationis etiam officio fungebatur, non solum repudiata, sed parum abfuit quin Cardinalis ipse constitutionem ipsam, ordines in Sabbato sitientes celebraturus, promulgans, et presbyteros ad castitatis votum compellens, necaretur. In cuius occisionem Bohemici Sacerdotes grassari Pragae coeperant, nisi illorum improbos conatus Episcopus Pragensis Henricus, Ducalem tunc obtinens in Bohemia potestatem oppressisset. Non solum autem in his sed et in pluribus aliis Cardinalis praedictus Polonicam Ecclesiam, Pontificibus et clero, benevolos se praebentibus ad singula reformavit.

Wladislaviensis Episcopus Stephanus, cum annis sex sedisset, diem obijt, et in veteri Ecclesia Vladislaviensi sepelitur. In cuius locum Ogerius natione Italus propter discordiam electionum Capitularium, ab Innocentio tertio provisus successit.

Valido languore Henricus Pragensis Episcopus et Dux Bohemiae correptus, decimo septimo Calendas Iulij moritur. In aegritudine tamen positus, Przemislaum Ducem, consanguineum suum, quem de Ducatu Bohemiae eiecerat, in spem mortis suae Ducatum occupare volentem, per gentes suas conflixit, et de Bohemia fugavit, quamvis et parti suae non incruenta provenerit multis cadentibus victoria. Post mortem vero suam Dux Vladislaus Premislai germanus, a vinculis, quibus propter germanitatem Przemislai velut suspectus detinebatur, solutus, favore militum in ducem acceptus est. Verum dum Ducatum praedictum mensibus quinque tenuisset, Przemislaus germanus suus collecto ex Bohemis Almanisque exercitu venit in Bohemiam pro principatu certaturus, Vladislaus autem quamquam maiori gentium potentia fultus esset, noluit velut vir pacificus in dimicationem cum fratre venire, sed missis communibus Baronibus, pacem et foedus cum fratre init, sortique Moraviae contentus, Przemislao de Ducatu Bohemiae excessit. Qui a Philippo Romanorum Imperatore Friderici secundi fratre, quem Romana Ecclesia non acceptat, coronari iussus Diadema accepit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS NONAGESIMUS OCTAVUS.

Vladimirus Haliciensis Dux beneficio brachioque Casimiri olim Polonorum Ducis et Monarchae ad Haliciensem principatum, e quo per Pannonios deiectus fuerat, restitutus, morte absumptus, dum nullum superstitem reliquisset, magnam inter Lestkonem et Conradum Polonorum Duces et eorum curatores, Cracovienses milites ab una, et Ruthenos Ruthenorumque Duces dissidij suscitavit procellam. Iure quidem et aequitatis ordine, foedere insuper cum Casimiro Polo norum Duce, per Vuladimirum, dum restitutus esset, ideo, Haliciensis Principatus ad Poloniæ Regnum et ad filios Casimiri, super quo et Halicienses milites Sacramento adacti erant, debebat devolutus censeri. Sed multorum Principū Russiæ ducatum prædictum sibi in feudum dari deposcentium, ambitio, plures seditionum rumores concitare videbatur. Ad quos antequam latius serperent opprimendos, Nicolaum Palatinum Cracoviensem cum copiis tam equestribus quam pedestribus in Haliciam ad providendum de Ducatus vacantis statu, et ut in formam provinciæ redigi, regnoque Poloniæ uniri posset, ordinandum, mitti placuit. In Lachrimas Mo Lestho Dux resolutus, ne se desererent, sed in illius expeditionis comitem assumerent primum curatores, deinde Consiliarios, singulos blandis Sermonibus complexibus, precabatur. Et dum tam mater, Ducissa Helena quam Consiliarij resisterent, et parvus illum in aula interim manere persuaderent, quantum inquit refert, quod signamenta et omni sensu carentia vobiscum itura sunt, et ego Dux vester futurus relinquor. Assumite precor me et virorum contubernio fortium fortis evadam, quoniam inter fæminarum greges me tædet pudetque amplius esse, quod si non impetro, sequar, vel uno tantummodo comite contentus vestra vestigia. Hisque et alijs sermonibus, suam indolem futuram exprimentibus, usus, consiliarios animum Ducalem certatim efferentibus, ut se assumerent, permovet. In frequentique militum numero, dum in Haliciensium fines pervenisset, Haliciensium primi illi occurrunt, et velut dominum suum legitimum devotus suscipiunt, et adorant, idque primum ab eo precantur, ut solus illis imperet, solusque Haliciensem administret, regatque principatum, alioquin Russiæ Ducum execraturos se, et dominia prius morte morituros pronunciant, ditionem. Collaudatos et blande habitos Dux Lestho procedere iubet. Verum illi Lesthoni et suis curatoribus infensi, quod rumore vulgato cognoverant Romanum Mscislawicz Vuladimiriæ Ducem se pro Duce et præside Lesthoni locaturum, armis correptis obviam Lesthoni et hosti procedunt. Sed cum brevi negotio primae eorum turmae fusae fugataeque, postremae quoque, in quibus erat ingens multitudo peditum, metu perculsa; fuga dilapsae essent, et Lestho ad oppugnandum Haliciense castrum properaret, Halicienses missis caduceatoribus, petita obtentaque venia portas castri Lesthoni aperiunt, et omnia quae imperaverit se facturos repromittunt

Plenam et castri et totius Haliciensis Ducatus Lesthoni Polonorum Dux possessionem consequuto, tum demum inter competitores de Ducatu Haliciensi Russiae Duces in altius certamen res venit. Et post longa litigia inter illos ventilata, caeteris a proposito resilientibus, solus Romanus Mstislawicz Vladimiriensis Dux, mortui Haliciensis Ducis nepos germanus, Ducatum Haliciensem sibi conferri, ratione et respectu multiplici deposcebat. Isque caeteros Duces Russiae, a petendo Ducatu Haliciensi tum rogando et persuadendo, tum terrendo avertebat. Apud Ducem quoque Polonorum Lesthonem et suos Consiliarios in praefato Ducatu Haliciensi petendo multiplicibus ingenijs usus, supplicationem suam quotidie novis adminiculis subornabat. Indignum esse dicens ut patrui germani sui haereditas ad alium quam ad se perventura, ampliorem sibi mortis paternae causaret dolorem. Neminem praeterea adeo ut se meritum inter Duces, cui beneficium illud praestari aequum esset, cum merita sua in Poloniae Ducem Lesthonem, recentia stigmata ad Moszgawam accepta, et plures sui milites illic desudarati testarentur. Adiungebat his causis minas, iniuriam suam si a Ducatu Haliciensi et sorte patrui excluderetur, armis et omni hostilitate se vociferans ulturum. Difficilis apud Lesthonem et Consiliarios suos huiusce rei decisio visa, consultationem illud in plures dies, sub quibus Dux Romanus submissius se gerens, Haliciensem Ducatum

catum non iure, sed precario, non in proprietatem et titulum, sed in procurationem et regimen temporaneum sibi petebat mandari, extraxit. Nemo erat ex consiliarijs Polonorum, cui satis placeret, tam foecundum Ducatum Romano suapte inter Ruthenos diviti et potenti, ne in superbiam erectus calcitraret, et ex subdito hostis infestus fieret, conferri, sed Ducatum ipsum Regno Polonorum velut utilem et valde pernecessarium, plures allaturum commoditates, uniri. Haliciensium insuper Baronum et militum et querelis et precibus movebantur, qui sibi callidum et versipellem Principem, varia tyrannide in se usurum, dari et praefici abhorrebant. Offerebant praeterea Lesthoni Polonorum Duci si in formam provinciae redacti Romano non committerentur, auri, argenti, gemmarum, vestium, equorum, boum, et armentorum, certam quantitatem annis singulis pensuros. Movebant ista Lesthonem Principem et Polonorum Consiliarios, respectus tamen futuri cum Romano, si refutatum iri suas preces contingeret, belli, et superimpendentis a Mieczslauo Sene maioris Poloniae Duce hostilitatis, ne pro uno et eodem tempore a fronte et a tergo urgerentur, Lesthonem Ducem et Polonorum Consiliarios perurget, ut proprijs commoditatibus, et caeterorum Ducum Russiae ac Haliciensium militum petitionibus neglectis, Haliciensem Ducatum Romano Vladimiriensi Principi, subditum illum atque fidum putantes sibi futurum, conferrent, ipsumque tunc de Ducatu praedicto investiret, et illius possessionem, non sine Haliciensium amaro cruciatu multiplex malum sibi ominantium, contraderet. Romano fidem devotionem et obedientiam in Ducem Polonorum Lesthonem, aequitatem vero et iustitiam in Halicienses milites et subditos servando astringente et vovente, custoditurum. In hunc modum rebus Haliciensium compositis Lestco Dux cum sua militia Cracoviam repetijt

Boleslaus unus ex filiis Beatae Hedwigis, et Henrici cum barba Ducis Wratislaviensis, substantiam paternam, celebrata cum fratribus Henrico et Conrado Crispo Ducibus Wratislaviensibus, patre permittente, divisione adeptus, Ducatum Lubucensem qui illi sorte obtigerat, cum illius arce et territorio, Marchionibus Brandiburgensibus pro certa summa pecuniae, vivens luxuriose et prodigaliter perpetuo vendidit. Ex quo tempore Ducatus praefatus et Episcopatus unus Lubucensis insignis, a Poloniae Regno abstractus et sequestratus est, ac perperam, et iniuste Marchionatui Brandiburgensi applicatus, non sine Regni Poloniae notabili mutilatione, usque in nostra tempora durante. Adeo autem praefati Boleslai Ducis malitia et transgressio accreverant, ut in oppido Sroda et in Cimiterio Parochialis ecclesiae? oppidi Colisiensis octingenti homines, ipso causam et occasionem praestante flamma incendio perierunt

Caelestinus Papa tertius cum annis sex mensibus octo, diebus undecim sedisset, Romae moritur, et in Ecclesia Sancti Petri sepelitur. Cui Lotarius appellatus Innocentius tertius natione Campanus ex patre Transmundo, quamvis aetate iuvenis sed scientia divina atque humana acuta, in omnium conspectu gratiosus, vicesima secunda die Februarii succedit. Eodem insuper anno in die Sancti Michaelis, Henricus Imperator cum annis undecim imperasset, apud Panormum in Sicilia moritur, et in Neapoli insigniter sepelitur. Hunc plerique annalium scriptores asserunt in fine vitae suae magnum hostem et adversarium Ecclesiae fuisse, et nonnullos Episcopos, qui iniquitati suae assentire noluerant, ob quam causam a Apostolico fuit innodatus gravi anathemate, trucidasse. In substituendo Imperatore cum Principes variassent, et Coloniensis atque Treverensis ~~Episcopi~~ Archiepiscopi Otthonem comitem Pictaviae filium Henrici quondam Ducis

Saxoniae, Maguntinensibus vero Archiepiscopus cum alijs Philippum Ducem Sueviae fratrem Henrici Sexti Imperatoris elegissent, gravissimus bellicus stridor, et perniciosa atque miserabilis vastatio et caedes in Germania per universa exorta sunt, incendijsque Almania fumabat. Philippus suae electionis de se factae roboraturus, plures Almaniae Principes sibi conciliat. Bohemiae quoque Ducem Przemislaum in sui suffragium vocat, quem ut propensius sibi obligaret, in Regem creat, et sub sui in Bamberch praesentia, vel ut quidam ferunt, in Maguntia, coronari in Bohemiae Regem per Archiepiscopum Maguntinensem procurat, Cuius fretus auxilio Coloniensem Archiepiscopatum et alias Almaniae sibi adversas partes crudelissime devastat. Innocentius autem Papa odio habens quod frater suus Henricus Imperator multis contumelijs et iniurijs apud Siciliam, Pontifices et Sacerdotes domini affecerat, Othonis partem studiosissime promovebat, Cuius etiam mandato ipse Otho corona prima apud Aquisgranum fuit insignitus, et Philippus velut iniustus imperij invasor anathematizatur.

Franciscus alias Franko, qui alio nomine Suuantslw appellatur, Vratislaviensis Episcopus cum annis decem et septem sedisset moritur. In cuius locum Jaroslaus Dux filius Boleslai alti Ducis Vratislaviensis patre ordinante et dirigente succedit. A Zdislao Archiepiscopo Gnesnensi confirmatus et consecratus. Hic Jaroslaus de consensu paterno Ecclesiae Vratislaviensi terram Nisensem perpetua donatione contulit et inscripsit in dotem, per communes Barones reconciliatus patri, quem iuvenili ambitione fervens, et propter odium Adelheidis novercae, cum filios ex ea susceptos videret, a patre sibi praeferri nonnullis militibus et factionibus nutrientibus de Ducatu Vratislaviensi propulerat. Hic etiam Jaroslaus donationem decimarum novalium per Ziroslaum praedecessorem suum Monasterio Lubensi in toto territorio Legnicensi factam, velut mensae Episcopali plurimum nocivam irritam fecit

Principalior Ruthenorum Dux Swantoslaus Kyouiensis Princeps moritur, et in Ecclesia Sancti Cirilli quam pater suus Czyrnowiensis Dux fabricauerat sepelitur. Post cuius mortem Rurik Rostislawicz Dux apud Kyouienses principatum receperat, sed cum per Ingouienses temporis processu pulsus esset ad Polowczos confugit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS CENTESIMUS NONAGESIMUS NONUS

Haliciensium prouinciam Romanus Wladimiriensis Dux fauore, liberalitate, et largitione Lesthonis albi Polonorum Ducis consequutus, Haliciensibus se cepit primum esse blandus, mox infestus et ad extremum truculentus. Nec fides, quam de regendo Haliciensi Principatu in iustitia et aequitate Duci Polonorum Lesthoni praestiterat, sponsio fuit constans et diuturna, sed iurando et foedere praeuaricato, primos Haliciensium nihil hostile de illo suspicantium ad se euocatos captiuat, e quibus quosdam publice truncat gladio, alios infodit, mergitque sabulo, alios membratim coram discerpit, alios excoriat, alios exenterat, plures quasi signum ad statuam ligatos missilibus conficit, variisque mortis generibus interimit. Cum autem occisorum multorum affines, consanguinei, et filii et fere uniuersa nobilitas tam foeda crudelitate perculsa, in vicinas regiones diffugisset, omnem suis eiulatibus et quaerelis in Lesthonem Polonorum Ducem, et Polonos, quod sibi tam efferum, nil praeter humanam effigiem humani habentem, principem praefecissent, culpam retorquentes, Romanus suis artibus usus, exquisitis blandimentis et pollicitationibus illos reuocat. Et parumper in honore et fauore habitos, variis tandem excruciatos interficit tormentis, et fere uniuersam Haliciensium nobilitatem tyrannide sua eneruat, et extinguit, solitus eo pro excusando suo scelere, quasi solenne quodammodo et celebre oraculum extitisset, uti prouerbio neminem melleasum, nisi perprius examen oppressisset, securiorem esse posse.

Tantum autem terrorem sua truculentia et tyrannide non propriis tantummodo, sed et finitimis ingesserat, tantumque sibi famae et potentiae brevi quaesierat, ut facile omnibus Ruthenorum imperaret gentibus, et singulos Russiae Principes haberet tributarios et subiectos. Quare, ne in Polonorum perniciem verteretur, saepe Polonos affligebat, iam tacite saepenumero, superimpendentem Romani tyrannidem in se quoque ominantes aliquando versuram.

Mieczslaus Senex Maioris Poloniae Dux qui post cladem ad Moszgauam acceptam pacificus constiterat, ad res per bellum et controversiam gerendas animum inclinat, et Cuiaviensem provinciam, quae de Lestconis et Conradi filiorum Casimiri sorte erat, velut principatibus suis continentem ex propinquitate et opportunitate occupat et in suam redigit ditionem. Quae quidem iniuria a Lesthone Duce et suis curatoribus repressa tunc non est, quoniam et civile bellum verebatur consurgere novas clades iterum pariturum, et atrox concertatio dissensioque inter Nicolaum Cracoviensem de domo vulpium, et Goworium Sendomiriensem Palatinos de domo Ravitarum, ab aemulatione et livore orta intervenerat, in illumque processerat ardorem, ut post plura seditiosa litigia Goworius Sendomiriensis Palatinus hostis sui Nicolai Palatini Cracoviensis potentiam perhorrescens, in Bohemiam ad fratres et cognatos domus suae, beneficio Ducis Bohemiae in sedes suas et haereditates, eo tamen pacto ut veteribus insignibus abrogatis, in signum patratae fraudis, asciam in Bohemico vulgari Bradaticzam, in Polonico Oxam vocatam, pro armis deferrent, restitutos, exulare cogeretur.

Zdislaus Gnesnensis Archiepiscopus cum annos sedecim sedisset, moritur, et in Gnesnensi Ecclesia sepelitur. In cuius successionem etsi Capitulares Thomam Archidiaconum Gnesnensem elegissent, Mieczslauo tamen et Vladislao Ottonis, Maioris Poloniae Ducibus instantibus, frater Henricus dictus Kietlicz ordinis minorum in Monasterio Sancti Jacobi apud Vratislaviam, ordinem professus, ex patre

Theodrico

Theodorico Duci Brenensi et Eudoxiae Ducissae Poloniae genitus, licet renitentibus per Innocentium Papam tertium, aut et alijs placet per Martinum quartum pronepos, Moraviae principis propinqua cognatione et Beatam Hedwigim gradu tertio contingens.

X nono Calendas Maij Bela Ungarorum Rex cum annis tribus et viginti regnasset, moritur, et in Albaregali sepelitur. Cui filius eius Emericus successit communi et conformi Praelatorum et Baronum consensu, in solium paternum evectus, sed parvo regnavit tempore.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS

Cracoviensi Ducatu iniuste per Mieszkonem Seniorem, maioris Poloniae Ducem, occupato, Mieczslaus ipse ad occupandum Cracoviensem Ducatum, et Polonorum Monarchiam, animum conatusque omnes intendit. Et quia arma quibus id primum assequi volebat, minus illi prospere cesserent, astu et dolis, quae omnibus armis potentiora existunt, sperat se semel dubie consequuturum. Fulconem itaque Episcopum, et Nicolaum germanum eius Palatinum Cracoviensem, caeterosque primi ordinis et dignitatis viros, tum per se magna comitate, tum per literas et nuntios varia largitione sollicitat, quatenus illum filijs praesertim Casimiri Ducis, Lestkone et Conrado nondum ipsa bonum aetatem excedentibus, in Polonorum Monarchiam assumant, prosperam et tranquillam vitam sub illius ditione acturi. Verum cum animos virorum huiusmodi, blanditijs expugnare non posset, quippe magna charitati pupillis affecti, quicquid per Mieczslaum Senem ingerebatur, surdisque auribus excipiebant, ad matrem puerorum Ducissam Helenam Casimiri relictam, se totum convertit facile sperans, quemadmodum successit, suis se calliditatibus illam ad vota sua inclinaturum, reddebant etenim illam Barones quos Mieczslaus prius aut precio pertentaverat, sui consensus facultatem. Suggerit itaque Helena Ducissa atque suadet, ut paratum sibi Principatus et Monarchiae Polonorum fasces deferri, stabilitura ex hoc regnum filiis, et maximas commoditatis et profectus perceptura. Se quidem, ad quem velut natu maiorem Monarchiae devolutus censetur Principatus, differenti; non posse filios Casimiri neque pacifice neque legitime in Principatu Cracoviensi, qui solio Monarchiae designatus est, consistere; sed protinus ademptione iniusta, nunquam se et filios suos quieturum. Ubi tamen Ducissa Helena de Ducato praefato cedere consenserit, velle se et filios Casimiri Lesthconem et Conradum nepotes suos, primum adoptare in filios, baltheo illos militari cingere, Cracoviense restituere principatum, et regnum Polonorum perpetuo illis, ut se mortuo Principatus eorum non possit, neque a filiis suis, neque a quoquam alio revocari in dubium, stabilire, neque aliter posse illos iuste et tute in regnum succedere, neque successionem posse esse stabilem et diuturnam, si ab ipso firmata et stabilita non fuerit, cum huiusmodi stabilimenti robur ex eius arbitrio et authoritate pendeat. Ea vero quae morte Casimiri fratris sui secuta de filiis suis ad Principatum et Monarchiam per Fulconem Episcopum et Barones electio et substitutio facta est, fragilis et [illegible], nullum penitus firmamentum, si a se ratificata non fuerit, habitura consistat. Attendat praeterea se senem et decrepitum, parvoque tempore victurum esse, et pro brevissimi temporis spacio non cunctetur de Ducatu Cracoviensi excedere, fructum multiplicem usura filiis adiectura. His Helena Ducissa crebro expugnata sermonibus, facilitate muliebri omnia quae in dolo a Mieczslauo disserebantur, in credulitatem admittens, Fulcone Episcopo, Nicolao Palatino Cracoviensi, caeterisque proceribus nequicquam renitentibus adversantibusque, de Cracoviensi Principatu cum Lesthkone et Conrado filiis excedere, sub pactis per Mieczslaum senem propositis, dum modo tamen ea se iuramento observaturum astringeret, consentit. Constituitur dies ad haec consumanda beati Bartholomaei Apostoli dies, pro quo dum in Cracoviam prout inter Helenam Ducissam et Mieczslaum convenerat, frequens Praelatorum et Baronum multitudo convenisset, Mieczslaus senex

facta

~~Uro~~ facta promissa resumet, Lestkonem et Conradum in filios se adoptaturum, Cracoviam se illis restituturum, Regnum se absumpto stabiliturum repromittens. Quae non solum a Mieczslao sene, sed etiam ab utriusque partis proceribus iureiurando tunc in manibus Pontificalibus sancita sunt, idque utraque laudante parte additum, ut si aliquis pacta taliter percussa praevaricari, violare, infringere et irritare, aut in earum violationem et irritationem consulere et assentire praesumpserit, per Gnesnensem Metropolitanum et quemlibet alium provinciae Gnesnensis Pontificem, anathematis innodetur fulminatione et opprobrio, divina ultione, per cuius nomen fallaci corde iuraverat, puniendus. Isto facto huiusmodi, Ducissa Helena cum Lestkone et Conrado multis Baronibus eam prosequentibus, se vertit ex Cracovia in Sandomiriam, reliquos principatus sortis filiorum suorum gubernatura. Mieczslaus autem senex Monarcha Polonorum effectus, Cracoviensis civitatis, arcis, et Ducatus accepit possessionem, et post paucos dies in oppido Bethomiensi castrum forti aedificat, ut Cracovienses milites in fide contineat, et in rebelliones euntium propinquum habeat praesidium, quo tutus divertat. Tunc etiam Goworius Palatinus Sandomiriensis ex Bohemia amicorum literis revocatus revertitur, et apud Lestkonem et Conradum primum sortitus locum, Nicolai Palatini Cracoviensis, principatibus divisis, hostilitatem, cum uterque sub diverso Principe consisteret, non verebatur.

Quinta Maij mensis die terrae motus in Polonorum regione, vicinisque regnis et terris, sub meridiano tempore exortus, et frequenti dierum spacio resumptus, plerasque turres, domus et munitiones attrivit. Quae res raro in Polonia contingens, velut prodigiosa, et apud plerosque in religionem versa videbatur. Constantinopolis Graecorum civitas, in qua tunc Alexius imperabat, a Venetis et Francis capitur, cuius captio longo tempore non credebatur, pro eo quod fatatum fuit, eam non nisi per Angelum capi posse. Sed hostibus per murum ubi Angelus pictus erat intrantibus, veritas facti et aequivocationis error tum primum notata est. Ascharius autem Constantinopolitanus Imperator capta urbe versus Ponticum mare Tersonam transijt, et abinde postea Galaciam, alias Haliciensem provinciam, quae est pars Russiae, hodiernus sub Polonorum Regno consistens, pervenit, et a Romano Russiae Duce benigniter et humane susceptus, tractatus atque habitus, aliquamto tempore illic permansit.

Adleyda Dominicella virgo religiosa et devota filia Casimiri olim Cracoviensis et Sendomiriensis Ducis, Monasterium fratrum praedicatorum sub titulo Sancti Jacobi in oppido Sendomiriensi fundat et erigit, quae in virginitate Deo serviens cum anno Domini Millesimo Ducentesimo undecimo, octava Decembris diem obijsset, in eodem Monasterio sepulturam accepit

Emericus Ungariae Rex cum vix anno regnasset, moritur pridie Calendas mensis Decembris, et in Ecclesia maiori Agriensi sepelitur. In cuius locum filius eius Ladislaus suffectus est. Coronatus septimo Calendas Septembris

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS PRIMVS.

Alterum iam annum Mieczslaus Senex in Monarchatu et principatu Cracoviensi agebat. Nondum tamen ex multiplicibus promissis et pactis Lesthoni Duci et genitrici suae Helenae Ducissae factis aliquod impleverat. Sed nec Cracoviensem terram superioribus annis iniuste occupatam restituerat, sed vafro astus ingenio interdum publicas occupationes, interdum corporis valetudinem in sui excusationem opponebat. Tum primum Ducissa Helena Casimiri relicta se a Mieczslao Sene circumventam et delusam vanissimis promissis querebatur. Tum etiam coepit agnoscere muliebres suas actiones et consilia, quibus in id ludibrij ventum erat, virorum consilijs quae id quam maxime improbabant, longe inferiora et minus tuta fore. Nondum tamen omni spe, quam ex promissis Mieczslai Senis conceperat, deposita, Cracoviam advenit

Mieczslaum priuatim primum, deinde publice conuenit, vt
pactorum secum et filiis suis initorum memor, Cracouiam
Senioy terram restituat, militari cingulo vtrumq insigni
at, et Monarchia atq Cracouiensis Principatus haere
dem se moriente seruat. Verum Mieczslaus senex vt
erat vir versutiarum plenus, placando primum Helenā
Ducissam Casimiri, glotim suam Sabetam sermonibus, sa
tis restare asserit, quo haec perfici possent, de tempore, De
inde vbi muliebrem importunitatem vidit, eo responso
non contentam, fortius de pactorum violatione queri, respon
dit pacta ampliorem violationem sumptura, si filiis propriis
et debitam iam non aetatem tantummodo, sed et prudenti
am habentibus, neglectis, nepotes primaturos et Ephabos
antiferat. Sed nec potuisse priuatis pactis filiis sibi legit
timis successuris ius publicum successionis tolli aut enervari.
Abiret proinde et intelligeret ius publicum iure priuato
non posse conuelli, nec a se alios creari aut scribi haere
des, quam eos, qui ex lumbis suis prodeuntes quamlibet
aliam creationem minime forent laturi. Eo responso
Helena Ducissa, Casimiri et violatum pacta, et proles suas
repudiatum iri dinoscens, tristis et gemens in Sendomiriam re
uersa, plures ex Cracouiensibus Baronibus, quorum fida
quondam consilia neglexerat, per nuncios et literas, ne tam
notoriam iniuriam sibi et filiis suis illatam inultam esse si
nant, et filios suos in Principatum Cracouiensem restituant,
obsecrat, promittens de caetero nihil se nisi ex eorum arbitrio
in rebus publicis acturam. Promouebat autem petitionem
huiusmodi non solum filiorum Casimiri charitas in pectori
bus singulorum, ex beneficiis paternis veniens, sed etiam
Mieczslaui senis odium, qui et securius in Cracouiensi im
peraret principatu, aliquos Barones ex veteribus possessio
nibus ad se illas asserens pertinere, deturbauerat, et no
bilibus ex maiori solum, quasi magis sibi fidis, illas, et
publicos magistratus atq officia contulerat, pluresq credeba
tur temporis processu firmato solio deturbaturus. In perni
ciem itaq et exclusionem Mieczslaui senis facile exulcera
ti omnium animi consentiunt, et Mieczslauo in terras ma

ioris

viis Silesiam divertente, Nicolaus Palatinus Cracoviensis arce Cracoviensi occupata, Lesthonem album et matrem eius Ducissam Helenam in Cracoviensem Principatum introducit, et omnium illi animos studiaque conciliat. Officiales et Praefectos Mieczslaui et quoscunque illi favere noverat, iubens post illum in maiorem Poloniam transmigrare. Et licet omnia castra et munitiones Cracoviensis Principatus Lesthoni parerent, solum tamen Betomiense castrum pro Mieczslao Sene tenebatur. In quod Mieczslaus Dux fortissimum militum praesidium transmittens, Cracoviensem provinciam spolijs praedis et rapinis caeterisque incommoditatibus vexare non omittebat

Przemislaus Bohemiae Rex prima et legittima sua vxore Adla, sorore Marchionis Misnensis repudiata, Constantiam Regis Vngariae Belae sororem accipit in vxorem

Decimo Calendas Februarij Iaroslaus Episcopus Vuratyslauiensis, filius Boleslai Alti Ducis Vuratyslauiensis moritur, cum Ecclesiam Vuratyslauiensem triennio vix exacto gubernasset, et in Ecclesia Vuratyslauiensi sepelitur. Cui Cyprianus Episcopus Lubucensis, qui Abbas Sancti Vincentij extra muros Vuratyslauienses existens, in Lubucensem Episcopum promotus fuerat, canonice postulatus succedit, ab Innocentio tertio confirmatus. Et non multo post plures dies Boleslaus Altus Dux Vuratyslauiensium filium suum Episcopum Iaroslaum sequutus octavo videlicet Idus Decembris moritur, et in Monasterio Lubens sepelitur. Hic cum duas vxores habuisset, videlicet Vuenczslauam Ruthenam, et Adelheidem sororem Imperatricis coniugis, videlicet Conradi secundi Imperatoris, ex Vuenczslaua quidem Iaroslaum Episcopum Vuratyslauiensem, et Boleslaum filiamque Algam nomine genuit, Ex Adelheide vero genuit Henricum cum Barba vocatum, Conradum, Ioannem, et filiam Adylheidem, quae Depoldo Marchioni Moraviae fuit matrimonialiter copulata, Sed omnibus filijs Bolesla. Alti immature obeuntibus et in Monasterio in Lubencz sepultis, solus Henricus cum barba superstes existens patri in Vuratyslauiensi Ducatu et alijs dominijs successit. Secundo enim genitus suus Boleslaus dum pro militia consequenda oras et regiones visitaturus se praeparasset, quintodecimo Calendarum Augusti obijt, Conradus tertio Nonas Junij, et Joannes sexto Idus Martij fato absumpti. Erat itaq; Henricus cum barba non solum Ducatuum Poloniae a patre relictorum integritate conspicuus, sed etiam splendido et raro coniugio Hedwigis consortij suae filiae Bertholdi Moraniae Ducis famosus et clarus, quae admirandis iam tunc fulgens virtutibus, sanctitatis suae decus longe lateq; diffundebat

Ladislaus Vngariae Rex cum exiguo tempore regnasset Nonis Maij mortuus, in Alba Regali sepelitur. Post cuius obitum Andreas filius Belae tertij adscitus est regnum. In die Pentecostes favore omnium coronatus. Huic erat coniux Gertrudis filia Bertholdi Moraniae Ducis soror germana Sanctae Hedwigis, de qua tres filios videlicet Belam, Colomannum, et Andream, et unā filiā videlicet Beatam Elisabeth produxit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS SECUNDUS

Cracoviensi Principatu Mieczslaus Senex maioris Poloniae Dux gravi molestia et dolore se quaerens Baronum Cracoviensium dolo et ingratitudine exutum, ad recipiendum illum animum et cogitationem intendit. Armorum autem via, velut quae multas secum difficultates nodosq; et casus fortuitos ferebat omissa, ad ingeniorum viam plus commodi minus impensae habituram se totum convertit. Et Baronum quidem Cracoviensium pertentatis, exploratisq; animis, dum spei suae omnibus Principatum suum execrantibus non responderet effectus, ad nota et ~~tuta~~ trita redit ingenia, et Ducissam Helenam Lestkonis et Conradi matrem, Casimiri fratris relictam, blandioribus quam ante convenit sermonibus, et primum quidem suspicionis facinus ex transgressione prioris foederis, quantum valet, extenuat. Deinde muliebrem animū amplissimis promissionibus onerat, Non ex me inquit Glos charissima foederis inter nos icti conditiones putes neglectas, aut violatas esse, ad quarum observantiam continuo ferebar, et nunc feror ardore, sed Cracoviensium Procerum, quod servatae et impletae non fuerint, scias iniquitati effectum, qui non sinebant me ad illorum procedere executionem. Nec alia extat meae exclusionis a Principatu Cracoviensi causa, nisi quod me senserant eorum consilijs neglectis ad observandum conditiones in foedere expressas processurum. Fides itaque mea et iurisiurandi religio, in tuum et filiorum profectum proventura, me Cracoviensi exuit principatu. Quam quidem iniuriam etsi ego patientius, quam mihi conveniret, tulerim, te tamen pro filiorum tuorum commodis, quae interceptum et neglectum iri vides, non arbitror aequo animo laturam. Ut autem de mea in te, et filios tuos nepotes meos certior qualificatione existas, Cracoviensem provinciam etiam nunc iam resigno, de eaque cedo, literasque quantumcunque efficacis volueris, in filiorum tuorum favorem, principatum eis Cracoviensem me obeunte resignans, et eos haeredes institutos scribo, tibique trado. His Ducissa Helena lenificata promissionibus Mieczslao seni se de Cracoviensi Ducatu cessuram, si promissas conditiones primum impleverit, obligat. Verum Mieczslaus Dux veritus, ne nova vis, novaque consilia Cracoviensium Procerum, et praesertim Nicolai Palatini Cracoviensis, cuius nutu singula dirigebantur, conclusionem huiusmodi infirmet, et irritet, Helenam Ducissam rogat, ut si velit singula pacta rata esse, Nicolaum Palatinum Cracoviensem, et in exilium agi, et de arcanis suorum consilijs consentiat eiici, ne de principibus et dominis suis ludibria exerceat, ne pro libito suo, uno deiecto, alterum pro Principe instituat. Eo enim, in magistratu quem gerit remanente, neque foederum impletionem, neque concordiam et quietem inter se et nepotes proventuram, eo vero exulante, omnia quae aut pacta, aut concordiam infirmare possent, cessatura. Haec autem Mieczslaus senex ideo astuabat perficere, ut Nicolao Palatino, quem sciebat Lestkonis et Conradi nepotum suorum fidelissimum et constantem amicum, et cultorem esse, sublato, facilius in suos Vladislaum et Othonem derivaretur successio. Ducissa autem Helena, Casimiri jamdudum relicta, Nicolao Palatino Cracoviensi pro varijs rebus et suspicionibus quibus invidorum livor eum ut probe industrium virum, et iusto ac legittimo tenore singulas Reipublicae partes fideliter administranti, offensa, in exclusionem suam, exiliationemq; facilem praestitit consensum. Quo periculo Nicolaus Palatinus intellecto ad Ducissam Casimiri relictam et filios suos Lestconem et Conradum supplex venit, orans, ut fidelium suorum obsequiorum, tam praestitorum, quam praestandorum memores, exiliatum se iri non paterentur, in eius praesertim hostis favorem, quem non nisi propter fidem in eos partemq; eorum habitam sibi graviter nosset iratum, ne quoq; hosti communi suum devoverent caput, quod ipse in certamine ad Moszyaniam cum eodem habito hoste extremo periculo pro eis obiecisset. Verum cum nihil pacificum a Ducissa et filijs responderetur, quippe tam gravi indignationis nubilo Ducissa in Palatinum Nicolaum efferbuerat, ut supplicationes suas surdis auribus audiret, Palatinus ~~suum~~ ipse implacabilem attendens Ducissa iram, rebus suis prospecturus ad Mieczslaum ipsum senem Posnaniam personaliter contendit, facilius sperans se apud publicum et iratum hostem, quam apud infensam Ducissam veniam obtenturum. Magna gratitudine ac benevolentia a Mieczslao Duce exceptus est, maximoq; favore et honore habitus, Non dubitabat enim Dux Mieczslaus, principalis et praecipui Baronis accessione, solium suum in principatu Cracoviensi et pro se et pro filijs firmaturum. Gaudebat insuper eum se rerumq; suarum habere adiutorem, quem antea infestum expertus erat hostem, et cuius sola authoritate de principatu Cracoviensi, vice iam tertia exciderat. Omnium itaq; offensionum superiorum sibi culpas liberaliter donat, et ignoscit, et amplissimis promissionibus oneratum, in sui fidem et amicitiam conciliat, intelligens se ad conditiones in faedere cum

Helena Ducissa metu, Palatini assistentia habita, cogi non posse. Nec eum fefellit opinio, eius quidem ductu et consilijs Mieczslaus Dux senex Cracoviam receptus est, et tam arx quam urbs Cracoviensis, ceteraque civitates et munitiones in Ducatu Cracoviensi, mandante et dirigente Palatino Nicolao, in ditionem Mieczslai consignantur, totiusque Ducatus Cracoviensis, Mieczslao nulla illarum conditionum, quam Helena Ducissae promiserat, impleta, possessio plenaria assignatur, et in Ducissae Helenae odium singuli Cracovienses Proceres, Mieczslao plenam et fidelem faciunt adhaesionem. Ex qua re, Mieczslaus senex iureiurando cum Ducissa et filijs suis se solutum tenens, cum non ex sua resignatione, quemadmodum conventum fuerat, sed ex Nicolai Palatini Cracoviensis se asseret adeptum fuisse principatum, nihil de his, quae promiserat, se censet implendum, et in hunc modum Ducissae et nepotibus de implendo foedere in conditionibus eius, cum requirentibus respondet, Mulcentibusque responsionem suam Cracoviensium proceribus, nedum Cracoviensem terram iniuste occupatam non restituit, sed insuper Visliciense oppidum cum tribus castris ad terram Sandomiriensem pertinentibus, quae de ditione Lestconis et Conradi erant, occupat, pro quorum restitutione interpellatus respondet illa iuris sui esse, et iuste occupasse, et non ad Sandomiriensem sed ad Cracoviensem provintiam spectare debere. Sed neque tulisset ceteras Sandomiriensis terrae urbes et munitiones sub ditione nepotum esse, sed illum magno animo de reintegratione universae Monarchiae cogitationibus detentum, mors insperata absumpsit, prius enim quam cogitata perficere caepisset, a morte praeventus, in Ecclesia Collegiata Sancti Pauli in Calisz, cuius ipse fundator erat primarius, in sepulchro filij sui Mieczslai sepelitur. Oppido autem Calisiensi de veteri loco in quo tunc consistebat, in novum locum, in quo nunc situm est, translato, etiam Ecclesia collegiata Sancti Pauli in Ecclesiam Sanctae Mariae collegiatam translata et transmutata est, et fabrica Ecclesiae Sancti Pauli labefactata, et diffluente, Ducale sepulchrum sub dio relictum monstratur potius ab accolis quam scitur. Reliquit autem Mierzslaus senex duos filios, Vuladislaum natu maiorem, et Otthonem, alij enim antequam ad debitam aetatem pervenirent, diem obierant, et Ottho quidem paucis annis post superveniens moritur, filium unum Vuladislaum impuberem, qui Plwacz vocatus est, derelinquens, propter quod Vuladislaus frater suus, qui maior et Lyaszonogi vocatus, nepotis tutelam agens, universum principatum gubernabat

Expulsionem suam Rurik Roscislawicz a Kyowiensi Ducatu acerbe ferens, Polowczonum ad quos confugerat nactus, in notabili numero suffragia, habens etiam in suo comitatu filios Olg, venit contra Kyow, et nemine adversus illum stare, aut castrum Kyowiense defendere auso, castrum Kyowiense secunda Januarij cepit. Barbarorum autem Polowczonum multitudo et feritas, civitatem multifaria clade, crudelitate, et spolio affligens, in omnes etiam Ecclesias, Monasteria, et aedes Deo dicatas, ministrosque eius desaevit, spolians Metropolitanam Ecclesiam Sanctae Zophiae et omnes alias. Universis autem senibus et infirmis, partim trucidatis, partim caecatis, sacerdotes, Monachos, Monachas, et omnes Kyowienses Boiaros et cives et plebem communem cum uxoribus parvulis et lactentibus, in captivitatem et regionem suam deduxit. Captivati et sub eodem tempore fuerunt Mscislaus Vulodimirzowicz, item Roscislaus Dux et milicia eius per Polowczos, quibus malis patratis Rurik in sede Kyowiensi vastata tamen et pene deserta consedit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS
DUCENTESIMUS TERCIUS

Ad ſubſtituendum in Cracovienſem principatum, et Mieczſlaui ſenis vacantem, alium Principem, Fulco Epiſcopus et Nicolaus Palatinus Cracovienſis, generalem conventum, comitiorum gratia apud Cracoviam inſtituunt. Quo cum militarium frequens numerus convenisset, ſinguli ad Leſconem album tum ob paterna merita, tum ne principatus Cracovienſis ſequeſtrationem Sendomirienſem acciperet, tum ob indolem Principis, caeperunt habere reſpectum, nec inter Principes Poloniae alius aeque utilis videbatur. Adverſabatur huic voto Nicolaus Palatinus Cracovienſis et indignum cenſebat parere principi cuius ſingulae actiones ex levitate foeminea, notabat autem Helenam Duceſſam Caſimiri viduam, et matrem Leſconis, dependerent, cuius bile indignabatur ſe ſuperiori anno fuiſſe proſcriptum. Parva tamen haec cauſa et inferiori ordine reponenda putabatur, alia multo acerbior extabat. Nicolaus enim Palatinus Cracovienſis, et Goworius Palatinus Sendomirienſis, in tam teſtatas et vulgatas inimicitias devenerant, ut unus alterius nedum fortunis ſed et capiti inſidiaretur. Superiori quoque tempore Goworius Sendomirienſis Palatinus potentiam Nicolai Palatini Cracovienſis non ferens, in Bohemiam exulatum abierat, De qua a Leſcone albo, poſtquam Mieczſlaum Monarchiam et Principatum Cracovienſem occupaſſet, revocatus, in primo honoris gradu apud Leſconem et Sendomirienſes Proceres habebatur. In hunc itaque odium Nicolaus Palatinus Cracovienſis Leſconi magnopere abnuebat principatum, difficileque erat illo diſſentiente in favorem Leſconis aliquod condere decretum, cum et ſui et Fulkonis Epiſcopi reſpectu caeteri Cracovienſium Proceres ex eorum ſententia penderent. Longo itaque tractatu habito etſi omnium vota pro Leſcone albo inclinarent, non aliter tamen pro Principe ſuſcipere placuit, niſi ut Goworium Palatinum Sendomirienſem, a ſe prorſus relegeret et abdiceret. cum ex duorum mutua et infeſta colliſione, neq; Rempublicam legittime poſſe dirigi, neq; conſulta tute tractari, neque fidei et subiectioni locum esse. In hunc morem dum Lesco albus Cracoviensium legatos accepisset, diu cum suis quid ageret perplexus mansit, et optabile quidem erat Cracoviensem Principatum ultro delatum suscipere, et execrandis scismatibus et bellis propterea orituris seminarium auferre, nemini tamen satis placebat virum innocentem absque demerito exilationis poena quam de illo Nicolaus Palatinus Cracoviensis petebat, multari, et in assequutionem Cracoviensis Principatus bene meritum Consiliarium proscribi. Dum autem in huiusmodi ambiguitate Lesco albus et sui Consiliarij versarentur, nec quale responsum Cracoviensium legatis ederent, invenirent, Gouorius Palatinus Sendomiriensis, difficultatis praefatae nodum soluturus, ita disserit. Indignum, inquit, clarissime Princeps, reor, ut propter me unum, cras forsitan aut hodie a vita excessurum, publica deseratur utilitas, et ob meae salutis unius respectum, salus infinitorum negligatur, tu quoque a Cracoviensis Principatus, cuius tibi divina et humana debetur iusta successio, excedas portione. Cum in omnibus humanis actionibus publica optimum sit privatis anteferri, de me quidem exiguam et nullam, dummodo ut Cracoviensem Principatum assequaris, habendam fore rationem, et omnem moram exortae propter me difficultatis censeo rescindi. Nunquam enim in iusta acie horrendum est fideli servo et militi pro Principe et domino suo honestam mortem oppetere, quanto magis et mihi gloriosum erit pro tui principatus defendenda amplitudine ad iniustum exilium ire, Felicem me et genus meum ratus, si quid indignum pro te et pro Republica, cui soli vitam debeo, pertulero. Plus virtuose loquendo profecit, quam si arroganter se gessisset. tam modesta enim et humili sermonis suppellectili omnes movet, ut potius de sua salute servanda, quam de assequendo Cracoviens. Principatu cogitarent. Lesco quoque albus, Dux, legatis Cracovi-

ensibus

ngibus in consilium introductis ita respondit. Etsi vestram caeterorumque Cracoviensium Procerum erga me fidem gratam commendatamque habeam, qua me in Cracoviensem Principatum elegistis, in quem et ipso quoque iure naturali et divino mihi competebat successio. Non sum tamen terrenorum Principatuum adeo avidus, ut pro illis consequendis tyrannum me potius, quam legittimum Ducem geram. Et Goworium Palatinum Sendomiriensem, militem probatae erga me fidei, pro sola Nicolai Palatini Cracoviensis voluntate et beneplacito a me relegem, et virum innoxium contra fas iusque exulare compellam, et carnificinae flagellum potius, quam Ducali usus authoritate, improbo commercio caliginem mihi et nomini meo obfundente, Cracoviensem nanciscar principatum. Alijs itaque Cracovienses Proceres, eam quam attulistis legem dictant. Me enim ita institutum norint, ut malim prius honeste mori, quam innoxios iuxta atque scelestos plus iusto punire. Murmure deinde, postquam Dux Lesko finem dicendi fecisset, a Consiliarijs Lestconis suborto, vexabatur nonnullorum probris Palatinus Cracoviensis Nicolaus, quod et superbius se quam conditioni suae conveniret, gereret, et splendore alieno invidia et incommodo laboraret; immoderataque eum cupijsse, ac petisse parum honesta astruebant. Solusque contenderet repudiatum iri, quae caeteri probabant, et contra omnium decreta suam valere sententiam.

Lustro uno in Pontificatu Vladislaviensi Ogerius exacto moritur, et in Vladislaviensi Ecclesia sepelitur. Cui Bartha Italus auditor Palatij ab Innocentio Papa tertio provisus succedit.

Cracoviensium Proceres de voluntate Lestconis albi per legatos suos certificati, quid facto opus sit, altero apud Cracoviam conventu indicto, consultant. Et quamuis omnes conditionem improbam de exulando Goworio Palatino Sendomiriensi tolli, et Lestconem in Principem assumi frequentibus sententijs decernerent, Nicolao tamen Palatino Cra coviensi in adversum cum Fulcone Episcopo germano suo et caeteris suae cognationis fratribus, intellecto, universus Senatus qui in Babali morem ab eo quorunque vellet trahebatur, sententiae suae assensus, Vuladislaum Ducem Posnaniensem, filium Mieczslaui Senis nuper defuncti eligit in Ducem, Noui quoque ad illum transmittuntur nuntij exhortaturi illum, ut Cracouiam quam citissime adueniat, geminato iure et successionis videlicet haereditario et paterno, et electionis conformis nuper de eo a militaribus factae, Cracouiensem Principatum possessurus. Vuladislaus autem Mieczslawicz Posnaniensis Dux sciens Cracouienses Proceres priorem electionem de Lescone albo, Sendomiriensi Duce fecisse, in petitionem Cracouiensium legatorum consentire cunctabatur, bellorum dissidia, quae quondam inter patrem suum Mieczslaum Senem, et patruum Casimirum viguerant exsecratus. Verum legatione refellentibus, et refutasse Lesconem album electionem de se factam asserentibus, Vuladislaus Mieczslawicz expressam voluntatem Lesconis albi, ne se et patriam ciuili bello inuolueret, sciturus, nuntios transmittet per quos et legationem Cracouiensium Baronum ad se factam insinuat, et an factum electionis de eo ad Cracouiensem principatum, prosequi ne an refutare velit, diligentius explorat, offerens se pro debito fraterno, quamuis et sibi iuxta ac illum, tam electionis, quam paternae haereditatis contingat in praefato Cracouiensi principatu successioni et voluntati suae non aduersaturum. His Lesco albus consilio habito contra omnium Consiliariorum vota respondet, Electionem ad Cracouiensem Ducatum de se factam dudum propter conditionem de exulando Goworio Palatino Sendomiriensi oppositam, refutasse, nunc quoque nisi eadem purgetur conditio eiusdem voluntatis atque tenoris esse, nec posse adduci, ut cum Palatini sui dedecore et iniuria, sui fastus augeat principatus. Ageret proinde,

quod pro se

quod pro se et Republica profuturum existimaret, neque se neque fratrem suum Conradum eius ad Cracoviensem Principatum ascensum impediturum. Haec responsio a Lescone albo, iuvenili potius ardore quam maturo consilio facta, pluribus Ecclesiasticis et Saecularibus illam magnopere execrantibus, gemitus et lacrimas expressit, dolentibus et vociferantibus progeniem Casimiri Ducis optimi a iusta Monarchiae successione excludi. Vladislaus itaque Mieczslawicz de voluntate Lesconis albi Sandomiriensis Ducis certior factus, etiam Duces Opoliensis et Ratiboriensis, et Henrici Wratislaviensis sibi animos conciliat. Quorum etsi non magnopere sentiebat sibi prodesse favorem, volebat tamen ut vir prudens et industrius tollere invidiam. Quibus omnibus perfectis Vladislaus Mieczslawicz in Cracoviam ascendit, et ab universis Proceribus exceptus omnium concordi favore et consensu Monarcha factus, Cracoviensem accepit principatum. In quo se mira benignitate omnibus gratiosum gessit, praebens quibusque ad se faciles aditus, causas iusto decidens examine, iniurias ab insurgentibus propulsans, et singulorum iustis et honestis petitionibus condescendens. Universa quae habere poterat in milites munifica liberalitate effundebat, formam et fortitudinem nactus a natura egregiam, formae tamen ipsi, crurum obstabat alta tenuitas, ob quam et ipse Lyaskonogi appellationem fuerat sortitus

Henricus Dux Wratislaviensis et Slesiae, frequentibus suae consortis Ducissae Hedwigis, feminae devotissimae et religiosae precibus, consiliis, persuasionibus permotus, in Ducatu suo et loco qui nunc appellatur Trebnicz tribus milliaribus a Wratislaviensi civitate distanti, fundat Monasterium Sanctimonialium ordinis Cisterciensis sub honore et titulo Sancti Bartolomaei Apostoli. Pro dote autem Monasterij oppidum Trzebnicze, item villas Lipniczam, Comischam, Breytnow, Cottowicze, Turzmandorff et Hartlipsdorff, Sadilno, Janowk, Stankowa, et Rozotuncze, et plures alias villas census et introitus qui pro mille personis sufficerent, donatione perpetua contulit, et donavit. Ducissa beata Hedwigis abdicanti se iure dotalicij quod in bonis Monasterio largitis habebat inscriptum. A fundamentis autem tam Ecclesiam beati Bartholomaei, quam Monasterium et eius officinas, immurans muro pulcherrimo et sumptuoso infra annos quindecim consummavit, et anno Millesimo ducentesimo decimonono Ecclesiae ipsius perfecit dedicationem, Compertum autem est facto calculo sumptus Ecclesiae et Monasterij ad triginta millia marcarum Polonicalium ascendisse. Sub omnibus autem quindecim annis quibus opus praedictum perficiebatur, Ducissa beata Hedwigis, nullum maleficum quantocunque scelere inquinatum, sive per Henricum Ducem, sive eius Officiales, et iudices ad capitis damnatum sententiam permisit notari, sed quemlibet Monasterij applicabat Fabricandis laboribus, et secundum culpae demeritum, duriori vel faciliori labore, diuturno vel breviori tempore patratum facinus expiavit. Ex Monasterio autem Bambergensi Moniales ad suscipiendum locum illum novum erectae primum praefatum Monasterium incolere coeperunt, primaque loci ipsius Abbatissa fuit virgo Petrussa Almana, secunda Gertrudis Henrici Ducis et beatae Hedwigis filia, et tam in primitijs quam expost centum moniales in monasterio ipso pro uno tempore dote Monasterij abundante, morari et degere consueverant. Idcirco autem locus praefatus pro fundando Monasterio praedicto acceptus est, licet se alij maiori commoditati subiecti offerrent, quod Henricus Dux venationibus operam dans, in eum ipsum locum tunc quidem paludinosum cum equo incidendo, non se aliter periculum imminens evitaturum existimaret, cum lasso et limosa congerie involuto, et amplius, nisi invocasset auxiliū ex alto, involvendo, familiaribus comitibusque per alia loca saltusque discurrentibus feris opimum nemus, nisi se voto astrinxisset, monasterium sanctimonialium illic quamprimum fundaturum. Verum, ut est conditio hominum in periculorum articulo, multa arduaque polliceri, et promissorum facile voto consequuto oblivisci, Henricus Dux ab imminentis voraginis exitio, cum quo diutius luctatus fuerat, sola ope divina liberatus, quod solenniter voverat, caepit negligere, voti sui cunctatorem se aliquanto tempore exhibens, magis quam impletorem. Faemina autem beata consors sua Hedvigis, et votum huiusmodi virum suum Ducem Henricum sub praefata necessitate emisisse, et in eam diem neglexisse per spiritum intelligens, non prius illum salubribus, tum precibus, tum monitis, ad reddendum votum quod emiserat, et cuius emissionem, quod absque arbitris facta erat, tam Ducissam suam Hedvigim, quam quoslibet alios celatum iri crediderat, compellere destitit, donec sponsionem suam pleno operi mandaret. Cuius quidem Monasterij tam aedificatione quam dotatione perfecta, cum Dux illustris a Petrussa abbatissa et Sanctimonialibus quaereretur, si qua re adhuc ipsa vel Monasterium ipsarum indigerent, offerens se cuilibet indigentiae Ducali munificentia provisurum, et responso accepto dotalia sibi et Monasterio ab eo praestita munera plena atque sufficientia fore, neque Monasterium ampliori provisione indigere, a responsione eventu loco nomen indidit, et ipsum Trzebanicz quod in vulgari Polonico sonat, nullius egens appellavit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVARTVS

Lenis et parva, Lesconi albo, Cracoviensis Principatus, in quam omnibus primoribus Consiliarijs adversantibus prorupit, temere magis quam consulto, renunciatio et cessio, primum videbatur, quae processu temporis non solum illius famam, et amplitudinem diminuit, sed etiam hostium et invidorum animos contra illum suscitavit et erexit

Romanus namque Vladimiriensis Dux, qui ex concessione et munificentia Lesconis, etiam Haliciensem adeptus erat Principatum, cognoscens illum a Monarchia et Principatu Cracoviensi excidisse, et tantummodo ad Sendomiriensem, Lublinensem, Masoviensem, et Cuiaviensem Ducatus redactum esse, contemptui illum, tum propter diminutam potentiam, tum propter lasciviam, et nondum ad virilem aetatem pertingentem, et cuiuslibet iniuriae opportunam, habere coepit. In rebellionemque versus, pensa hactenus denegat tributa, et se non vasallum neque subiectum, sed hostem infestum Lesconi et suis Ducatibus declarat. Nam et negociantes in terras suas Polonos singulis fortunis despoliat, et commercia illis cum subditis suis decreto interdicit. Adhaec et terras Lublinenses et Sendomirienses suis finitimas, primum clandestinis, mox etiam publicis excursionibus invadit, et vexat. In plerisque locis praesidia locat, et milites in frequenti numero illis imponit, terras Lesconis infestaturos. Tulit aliquanto tempore Lestko Dux atroces huiusmodi iniurias, et missis ad Romanum nuntiis, redire ad bonam mentem monebat, existimans se illius temeritatem benevolentia magis quam hostilitate reciproca sanaturum. Verum dum Romanus ex verbis et legationibus Lesconis inflatus magis quam correctus, nihil pacificum responderet, represalibus Lestko uti coepit, et e vicissitudinalijs ordinatis praesidijs Ruthenos temere progressos et ad spolia effusos aliquot certaminibus secundis straunt, eorumque insolentiam brevi compescunt.

Moravorum Princeps Dypoldus, Premislao Bohemorum Regi et Bohemis infestus, Bohemiam hostiliter ingreditur, et plurimis spolijs incendijs et damnis in ea commissis, adeo in illam propter Premislai Regis absentiam, qui tunc in expeditione Almanica constitutus, Philippum contra Otthonem pro imperio dissidentem adiuvabat, grassatus est, ut etiam Pragam gravi et diuturna obsidione stringeret. Quam Premislaus Rex ex Almania reversus absolvit, Dypoldo cum suis detrectante certamen

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVINTVS

Ex incursionibus privatis et levibus Romanus Mscislavicz Vladimiriensis et Haliciensis Dux, Casimiri olim Cracoviensis et Sandomiriensis Ducis germanus nepos ex sorore, quibus hactenus Polonorum oras vexaverat, non contentus, in id temeritatis grassatus est, ut Lesconi et Conrado principibus et dominis suis, quibus fidem et subiectionem iureiurando se servaturum obligaverat, generale bellum inferre, et principatus eorum non horrent, invadere. Animum siquidem Romani magnum suapte et ferocem, opes immensae tyrannide quaesitae; Russia fere universa subdita, equestris et terrestris copia ex ipsa Russia vasta, Polonorum imperium lacerum et destractum et in plures scissum Principatus, Procerum Regni Scismata, et dissidia, Ducumque ipsorum Lesconis et Conradi simplicina aetas, ad inferendum bellum magnopere accendebat. Accessit et durior responsio legationi suae per Lesconem et Conradum facta. Dum enim peteret et moneret pro damnis et impensis circa dimicationem in Suchdol contra Mieczslaum Senem factam sibi satisfactionem impendi, et omnem oram terrae Lublinensis in perpetuam possessionem sibi tradi, resignari, et inscribi; responsum est, nihil illum velut profugum et desertorem meruisse. Quo responso factus iratior, Poloniam magnis copiis invasit, prius tamen quam exercitibus et copiis in unum congestis Russiae finibus excederet, mittit Romanus Mscislavicz Dux ad sui Scismatici ritus Vladimiriensem Episcopum nuntios spirituales, cum donis, rogans, ut sibi in Poloniam expeditionem processuro, et terminis Polonos vastaturo, quo felicius bellum tractet, et de hostibus trophaea referat, pontificali authoritati benedicat. At Vladimiriensis Episcopus missa munera dedignatus, nuntiis etiam benedictionem instantius flagitantibus respondit, non se Romano Duci impia bella aggredienti, et Polonis non tam iniustum quam execrabile bellum inferenti, cum saepenumero Poloni pro Ruthenis contra barbaras nationes pugnantes capita sua morti et periculis obiecere, conferret benedictionem. Super qua responsione Dux Romanus nijs nimio exagitatus furore, Episcopo Vladimiriensi remandat se eam contumeliam capitis truncatione Pontificalis, cum ex Polonico bello redierit, ulturum. Sed cum minas Episcopus Vladimiriensis negligens, renuntiat, frustra se terroribus exagitari, quoniam et mors sibi pro veritate nunquam pavenda fuerit, et Romanus an ex inchoato bello rediturus sit, ignoret. Magnitudo fidei etiam in Catholico Episcopo admiranda. Maximis itaque et frequentibus copijs ex equestri et pedestri milite coadunatis, primo aestatis tempore Romanus Ruthenorum Dux in terras Polonorum descendens, Lublinensem regionem sibi finitimam primum invasit, castrumque Lublinense, quod per praesidium Polonorum militum servabatur, obsidione cinxit, et pro eius conquisitione plures conatus et studia, Polonis arcem probe defendentibus, in Lublinense intendere non destitit. Matronas, uxores, et filias militum captivas in quandam indaginem ut pecora praecepit detrudi, et a suis Ruthenis permisit impudice tractari. Interim autem Lesconis et Conradi Ducum iussione ex Sandomiriensi, Masoviensi, Cuiaviensi provincijs grandis confluxerat versus Sandomiriam exercitus, non solum ex militaribus, sed etiam ex agrestibus collectus, quem etiam aliqui voluntarij milites ex Cracoviensi Ducatu coauxerant. Romanus ab exploratoribus certior factus, Lesconem et Conradum exercitibus collectis in armis esse, obsidione Lublinensi soluta, quam sibi minus prospere videbat provenisse, in ulteriores Polonorum regiones singula rapinis et flammis consumendo processit, minatusque se non solum Poloniae regnū vastaturum, sed et paginam divinam Latinorū exterminaturū. Mittuntur itaque Fulco Cracoviensis Episcopus, cum Vito Plocensi Episcopo, cum aliquibus Baronibus ad furiam eius mitigandam, et pacem tractandam, offerendo satisfactionis aequitatem, si Poloni in aliquo foedera societatis temerassent. At ille dolos in pectore versans, pacem pollicitans, et Nuntios [illegible] remittens, in ulteriora grassari coepit, quosdam quoque clericos captivos ictibus sagittarum iussit obrui, ut eliceret ab eis fidelem relationem, ubinam Lescho cum exercitu latitaret. Ad fluvium quoque Visla perveniens partim fluminum navibus et lembis, partim vadijs in aliquot locis repertis siccitate aestatis aquis illius diminutis superat, et ad oppidum Zawichost stativa ponit. Illic cum consisteret frequentes sui exploratores de Polonorum adventu avisant. Quorum cum irrideret relationes, milites quos pro excubijs tenendis transmiserat, exploratorum sententiam confirmant. Sed cum his quoque Romanus diffideret, et Polonos nequaquam secum pugnaturos asseveraret, decima nona Iunij mensis, Sanctorum Gervasij et Prothasij martyrio dicata, die, Sole oriente, Lesko et Conradus Duces cum Polonorum exercitibus quorum Crystinus palatinus Masoviae erat ductor, adveniunt, et ordinatas acies ad certamen parati ostendunt. Romanus ex fastuoso trepidus factus, vix primas acies urgentibus et infestantibus illum Polonorum sagittarijs explicare in arcto spacio permissus, copias et ipse suas tumultuario magis quam legitimo more educit, et signis collatis dimicat. Ingenti clamore ab utroque exercitu sublato, infestis lanceis concursum est, et acri primum Marte praelium gerebatur, Polonis indignatione quadam iusta, quod vasallus eorum nulla offensa laesus, ipsis bellum ultro inferret, Ruthenos libertatis memoria, et Dux ipse adhortans, unumquemque ad sustinendum certamen accendebat. Polonorum Duces Lesko et Conradus, etsi in exercitu praesentes affuissent, pugnae tamen propter aetatem interesse prohibiti, paululum ex certaminis loco declinantes, exitum rei inter spem et metum anxij praestolabantur, in loca tuta cum custodibus suis si hostibus cessisset victoria diversuri. Interim fervente pugna primis Ruthenorum ordinibus per Polonos contritis et prostratis, Polonorum res meliori, Ruthenorum deteriori loco esse coepit, abundanti tamen multitudine, et Romano integros pro cadentibus aut vulneratis subducente, providentia et sollicitudine Ducis Romani praelium in plurimis locis inclinatum restituitur. Poloni non Ruthenis sed Duci Romano velut proditori, foedifrago, et transfugae irati, ad illius occisionem ardentissime conspirant, et globo facto Romanum inter primos pugnantem et ex insignibus cognitum adorti invadunt.

Romano Duci gravissima cuncta obversabantur oculis, manus universa militum quae circa illum conglobata illum hactenus egregie defendebat, a Polonis deleta, strenui ac fortissimique propugnatores ante Ducis sui ora caesi, mutuoque cadentes fugam et Ducis Romani et caeterorum suorum Ruthenorum inhibebant. Inter haec Romanus Dux ultimi periculi videns sibi imminere discrimen, cum enim et equus cui insidebat telis frequentibus confossus excutere illum satagebat, per medias acies prorumpens ad fluvium Vistulam pervenit, ubi equus viresque illum deserunt. Hinc vero maius obortum periculum, quonam modo manus est illic evasurus, fluvium traiecerit. Tandem ephippium ut fertur equum a suis sibi administratum ascendens, fluvium aegre superavit, innato quoque illi quo adiutore fluvium tranaverat, non secus quam parenti pro sua salute gratias egit. Mixtus deinde fugientium suorum turbae, inter permixtum vulgus, a Polonis fugientes insequentibus, et gregarium militem illis existimantibus obtruncatus est. Dum insuper milites et gentes Romani Ducis, qui periculum mortis fugiendo et tranando Vislam quaesiverant, in ripa altera Vislae conglobati et densi aliorum suorum commilitonum prospectando effugium starent, summus ripae ab ungulis equorum et gravitate in ea stantium moram sustinere non valens, disrupta de subito vadiatis suffossa corruens, plures hostium cumulos absorbuit in Vislam praecipitatos. Gloria autem totius triumphi tunc ex Ruthenis relati in Cristinum comitem Palatinum Plocensem absque controversia conferebatur, qui et princeps militiae erat, et suo astu et industria pugnam conservat. Rutheni versa cum dudum in fugam nisi Romanus obstitisset spectassent, terga vertunt, et in flumen Vissla, a quo haud longe pugnatum est, prout quemque sors ferebat, caeci et desperati prosiliunt, et in gurgites undarum prolapsi catervatim vir virum premens suffocabantur, plerique etiam ripa Vislae ad quam natando fugiebant, ab ungulis equorum contrita cadente absorpti sunt. Pauci quos aut natandi ars aut equorum fortium robur

bur

bus adiuuerant, tranarunt, et hi quoque maiori ex parte a militibus Polonorum eos usque ad Wladimiriam noctu et interdiu persequentibus, nonnulli ab agrestibus, vel dum errarent in sylvis, vel hospitarentur in villagiis trucidati vel capti sunt, et de Romani illo potentissimo frequentissimoque exercitu pauci admodum incolumes comperti sunt, qui suis tam ingentem cladem nunciarent. Ad ripas Visla cadaverum complebantur acervi, illic enim cunctantibus Ruthenis tergoribus undarum se credere, caedes aliquanto maior quam pro numero edita est, adeo ut fluuius Visla cruore humano tinctus, aliquamdiu rubrum fluorem cum natiuo miscens, caedis magnitudinem intuentibus testaretur. Multos denique imperitos natandi qui graues erant armatura aut senio hausere gurgites. Castris et spoliis Ruthenorum Poloni potiti, ex opulentissima supellectili illic reperta, vasis quoque auro argentoque caelatis, vestibus, equis, armis admodum ditati, et magnificati sunt. Victoria quoque ipsa tam sonora et famosa fuit, ut variarum gentium et nationum crebris celebraretur sermonibus, Poloni quibus prouenerat, quosque quoque fama diuitiis et honore extulerat, variis illam et seriem eius prosequebantur carminibus, quae etiam in hanc diem canora voce in theatris audimus diuulgari. Cadauer Romani Ducis, quod iam Sendomiriae iussu Lesconis Ducis sepultum erat, exhumatum per Ruthenorum proceres, omnibus quos ceperant ex Polonis restitutis in libertatem captiuis, in mille marcis argenti ad sepulturam a Lescone Polonorum Duce redemptum, et in Wladimiriam delatum, Lesko et Conradus Polonorum Duces propitiationi diuinae et suffragiis Sanctorum, eorum praecipue in quorum die pugnauerant, omnem ascribentes victoriam, altare in Cracouiensi Ecclesia sanctis Geruasio et Protasio erigunt, et largissimis prouentibus illud dotant, quibus processu temporis adeo castratum esse constat, ut nonnisi in legatorium Platea Lapidea et Sar ipsa deserta, et ex stelicidio ruinata, et locus in postico domorum Canonicalium, ex tam amplissima dote remanserint remanserit. Cædis Romani Ducis et suorum exercituum adeo Ruthenorum proceres nationemque attriverat, atque humiliaverat, ut ultra non auderent Polonorum terras lacessere. Episcopus Vladimiriensis maximum ex illa apud suos Ruthenos præconium consequutus, fama et opinione, quasi futuri eventus præscius, cladem Duci Romano prædixerit, celebris habebatur. Fertur Romanus nocte cladem præcedente per quietem somniasse, quod parvus avium rubra capita habentium, quas Szczygli appellamus, numerus, ab ea parte qua Sandomiria sita est adveniens, maximum passerum numerum devoravit. Id cum amicis in diluculo retulisset, licet plerique iuvenes felix auspicium pronunciassent, senes tamen et prudentes astruxerunt somnium triste esse, et Polonis quidem felicem portendere successum, Ruthenis vero adversum et calamitosum

Vastationem crudelem, quam in se terrisque suis Russiæ Duces a Polowczis pertulerant dolentes, in eandem eis transisse impunitam, expeditionem contra Polowczos concludunt, et indicunt, et oportuno tempore adveniente, vadunt Duces Russiæ cum copijs suis ex equite et pedite collectis contra Polowczos, videlicet Ruryk Kiyoviensis, Iaroslaus Peraslaviensis, magni Wszewoldi filius, Romanus Msczislawicz Haliciensis, et Vladimiriensis, et Rostislaus Msczislowicz, et invadentes tabernacula quæ ipsi magis proprio et vetusto vocabulo turres id est Wieze appellant, magnos greges hominum utriusque sexus senibus trucidatis, magnas prædas camelorum, caballorum, pecorum, et pecudum capiunt, et in Russiam deducunt, plerosque vero Ruthenicæ gentis captivos, et prædis ac spolijs multifarijs onusti, nullam ipsi adversitatem aut resistentiam passi, in Russiam alacres revertuntur, de quo apud Russiæ regiones lætitia ingens coorta est. Et quoniam Ruryk Kiyoviensis Dux Polowczos ad vastandum Russiæ terras induxerat, et omnium malorum, quæ in terris Russia patrata fuerant, author extiterat, a Romano Msczislawicz Haliciensi, et Vladimiriensi Duce, cæteris rogantibus et probantibus, dum ex Polowczis redirent, castigatur. Qui illum catenatum a Kyow deducens, tondet eum in Monachum, et vxorem eius in Monacham, filias insuper eius liberas dimittens, filios ipsius Roscislaum et Vuladimirum captiuat, et in Halicz deducit captiuatos

Sub idem tempus Lithuani magna multitudine glomerati veniunt contra Russiam, contra quos Duces Olhouicz exeuntes cum illis campestraliter congrediuntur. Et licet multi ex Ruthenis cecidissent, Lithuani tamen ad vltimum conflicti sunt, et fere vniuersis captis aut occisis pauci effugiunt. Tum quoque primum Lithuanicae gentis nomen quod in eam latebat dum auditum, serui enim Ruthenorum existentes annis pluribus serizomata subereis.

SVVANTOSLAVS Mscislauicz Dux intelligens Kyouiensem sedem vacuam principe esse, fauentibus Kyouiensibus arcem Kyouiensem ingreditur, eatenus id munus suscipere tunc metu Romani Mscislawicz Haliciensis Ducis non audentibus, in illa in Monarchia morem principaturus. Quod cum Romano Mscislawicz Haliciensi Duci molestissimum foret, quippe qui Ruthenorum Monarcha reputari, et summam rerum Ruthenarū apud se consistere volut, cum potentiis suis in Kyow adueniens, Suantoslaum Mscislauicz ex Kyow cum ygnominia exturbat et depellit, in sedeque Kyouiensi Roscislaum Ruricowicz quem apud se tenebat captiuum locat. Alterum quoque germanum suum Vlodimirum de captiuitate dimittit, vt fama tam potentiae quam clementiae suae magis sonora fieret et aestimatio sui nominis augeretur. Vt quoque expeditionem quam in Polonos eo anno moturus erat, liberius transigeret

Albertus tercius Liuoniensis alias Rygensis Episcopus, qui Bartholdo Liuoniensi secundo Episcopo, a Liuoniensibus prope Rygam interfecto successerat, ordinem fratrum de militia Chrysti nuncupatum, qui gladium et desuper crucem in mantelo insutum deferebant apud Liuoniam instituit pro defensione fidelium contra barbaros, et tertiam partem bonorum Rygensis Ecclesiae illis in dotem assignauit. Quem Gregorius Nonus ordini Theutonicorum vniuit, et vt in iurisdictione Praelatorum Liuoniae consisteret, constituit

Annus Domini

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DU CENTESIMUS SEXTUS

Listho albus Sendomiriensis Dux, dum post relatam de Romano Ruthenorum Duce famosam victoriam et apud exteros et proprias nationis nominatus et celebris haberetur, Cracoviensibus tamen Proceribus qui pro solo Nicolai Palatini Cracoviensis beneplacito, naturali relicto, Vuladislaum Mieczslawicz Ratiboriensem et maioris Poloniae Ducem, pro domino et Monarcha assumere, et Cracoviam illi tradere coacti erant, magis charus, magisque desideratus esse coepit, cum multis gratibus et virtutum meritisque Honestate clarior, et felicitati fortunataeque superior, et ab his, quos pater suus Casimirus multiplicibus beneficiis devinxerat, et novandarum rerum studiosis, Vuladislao Mieczslawico Ratiboriensi Duce putaretur. Et viventi quidem Nicolao Palatino Cracoviensi, studia Procerum Cracoviensium erga Listhonem album intercidebant, omnibus authoritati et potentia Palatini Nicolai a rerum novatione deterritis. Quamprimum vero, anni huius tempore Nicolaus Palatinus Cracoviensis, ex cuius beneplacito fere singulorum voluntas dependebat, morte absumptus est, clero sub Fulconis Cracoviensis Episcopi praesentia, conventu apud Cracoviam celebrius indicto, omnium Cracoviensium Baronum et militarium votis et suffragiis Listho albus Sandomiriensis Dux, Monarcha et Princeps Polonorum decernitur, et omnes in eius assumptionem, et in Ratiboriensis Mieczslawicz deiectionem conveniunt. Dux interea Vuladislaus Mieczslaus Ratiboriensis praesidendo Cracoviensi arci, regioni, et urbi, fatis absumitur et in Ecclesia maiori Cracoviensi iusto honore sepelitur. Dictus vero fuit Lyasonogy eo quod erat longarum tibiarum, procera statura, pulcher aspectu, solo intuitu gratiam in se aspicientium merebatur, militia strenuus in Theutonia a pueritia, imo ab infantia nutritus et eruditus in tornamentis exercitatus, moribusque compositis, cultis praeeminebat, pauperum, oppressorum, viduarum, orphanorum sagacissimus auditor, et protector. Cuius morte sequuta et impedimento sublato, missi extemplo Sendomiriam ad Lesthonem album nuntij, decretum de eo universali consensu factum publicant, simulque orant, ut solium paternum non cunctetur et accipere, et conscendere, magis Sachnus a Vuladyslao Mieskowicz, potentia Nicolai Palatini Cracoviensis, cum sui iniuria occupatum, quam aliquo iure legitimo possessum. Qui tam Cracoviensium precibus quam suorum Baronum Sendomiriensium consilijs permotus, Cracoviam adveniens, ab universis ordinibus statibusque mira fidei mira devotione et honore exceptus, Cracoviensem adipiscitur principatum, et Vuladyslaum Mieskowicz maioris Poloniae Ducem et Capitaneos praefectosque suos de illo effugat et exturbat, et omnibus civitatibus munitis et castra faventibus singulis eius imperio, in suam redegit potestatem. Vuladislaus autem Mieskowicz qui Lyaskonogi propter tibiarum longitudinem appellatus est, maioris Poloniae Dux, ignominiam et iniuriam suam cum esset vir modestus et pacificus pari animo ferens, in Posnaniam cum suis secessit, et Ducatu suo contentus, Cracoviensem Ducatum repetere non apposuit. Mittit autem Lesko albus Cracoviensis Dux, Cracoviensium, Sendomiriensium, et Lubliniensium militum exercitum, praeficiens illis Sulislaum Sendomiriensem Castellanum, in Ducem et Capitaneum ad vastandum Russiam, qui Swiantoslaum Russiae Ducem, patrem Agafiae, quae postea Conrado Masoviae Duci nupta erat, cum quatuor militibus insignioribus Russiae captivat, et iussu Lesconis miserabiliter suspensos in eculeo interimit, propter quod ferunt vero Lesthonem ipsum etiam occisum fuisse, et stirpem suam non protelasse.

Bohemorum et Moravorum exercitus, superioribus vastationibus hinc inde habitis, animis irritatis et frementibus, campestri certamine congressi, dum mutua collisione plures milites amisissent, Moravis cedentibus et profligatis, Bohemi efficiuntur victores, licet et ipsis, multis militibus desideratis, non incruenta cesserit victoria

Varijs odiorum et dissensionum turbinibus, Russiae Duces clandestine collisi, tandem in apertum furorem diutius illum celare non valentes prodeunt, et hostiliter convenientes videlicet Georgius Vuladimirien. et Jaroslaus Pereaslauiensis ab una, item Vulodimirus, Constantinus, et Msceslaus Duces Smolnen. Nouogroden. fratres germani partibus ab altera, duodecima Aprilis die, mutuo comin. in prospera vel sera verso, confligunt. et multis mortalibus utrinque caesis, captis, aut in undis submersis, cessit Constantino, Vulodimiro et Mscislao victoria, qui Georgium Vuladimirien. Ducem in Vuladimiriam diffugientem sequuti, Vuladimirien. Ducem obsidione cingunt. Videns autem Georgius propter defectum militum se castrum tueri non posse, exijt ad victores Duces, petens pacem, et concessa est ei pax ea conditione, ut de castro excedat, quo excedente, datum est Constantino. Exercitum deinde victores Duces contra Jaroslaum in Pereaslaw post fugam se continentem, ducunt, qui illico a victoribus pacem petunt, Quam cum aequis conditionibus, et quod sibi Pereaslaw retinere liceret, impetrasset, plurima munera reconciliatis transmisit Ducibus. Caesi feruntur eo praelio Ruthenorum plus quam decem millia

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEPTIMVS.

Monarchia Polonorum et Cracouiensi Principatu ad Lesthonem album Cazimiridem plene devolutis, Conradus natu iunior portionem haereditatis paternae sibi sequestrari efflagitare coepit. Ephebarum siquidem aetatem transgressus iuris esse sui aestuabat, ad quod non solum naturali ferebatur affectu, sed insuper aliquorum suorum fortunam suam extolli ambientium instigabatur persuasione. Conuentu itaque ob eam rem apud Sendomiriam propter Ducissae, Lesthonis et Conradi praesentiam indicto, cum Fulkone Cracouiensis et Gedkone Ploczensis Episcopi, primique ex Baronibus omnium Principatuum conuenissent, variis tractatibus per plures dies habitis, diuisio tandem Principatuum et terrarum inter Lesthonem et Conradum germanum in hunc modum

dum celebrata et sancita est, ut Lesco albus velut Monarcha et natu maior Cracouiensem, Sendomiriensem, Lublinensem, Siradiensem, Lanciciensem, et Pomeraniae terras et Ducatus obtineat. Masouiam propter amplitudinem diffusam, cum Culmensi, Cuiauiensi, et Dobriniensi terris, Conradus natu iunior pro sua sorte et portione accipiat. Haec diuisio cum ab vtroq; Principe accepta et approbata foret, etiam verbali sponsione a Ducibus et Baronibus interposita firmata est, et Anathematis execratio in praeuaricatorem per Pontifices apposita, Rebusq; taliter compositis vterq; Dux in suam sedem abijt

Litthuanis ea aestate terras Russiae vastantibus Ruthenorum Duces, Vladimir Rurikowicz Kyouiensis, habens in suo comitatu Smolnensium militiam, Romanus Borzistowicz, Constantinus, Mscislaus, et Rostislaus, filij Dauid occurrunt, et Litthuanos magna caede confligunt, multosq; ex Ducibus Litthuanorū interficiunt, Fugientes autem Litthuanos in longum persequuti, multos in vijs, sylvis, caeterisq; abditis locis quibus se a facie persequentium condiderant, occidunt

Fulko alias Pelka Cracouiensis Episcopus, cum annis vno et viginti sedisset, vndecima die mensis Septembris moritur, et in Cracouiensi Ecclesia sepelitur, genere nobilis, sed actionibus nobilior, plures libertates, priuilegia, et immunitates Ecclesiae Cracouiensis apud sedem Apostolicam, et signanter ut Episcopus Cracouiensis omnibus alijs Episcopis prouinciae et Ecclesiae Polonicae loco et voce praesit, et primus Gnesnensi Archiepiscopo in consecrando manum imponat, obtinuit, In locum eius conformi electione Magister Vincentius Kadlubkonis de Karnow vico prope Opatow sito, praepositus Sendomiriensis cum esset grauius, nobilis de domo et familia Rosze, licet aliquam dignitatem aut praebendam in Cracouiensi Ecclesia non obtineret, propter excellentiam ingenij et doctrinae, quibus pollebat, postulatus, et ab Innocentio tertio confirmatus, cui natura praegnantis diserti et facundus oris praeclarum ingenium contulerat, quem tam benigno lumine astra respexerant, ut sine externae opis adminiculo, novum condendo corpus de Annalibus Polonorũ historiae magnificas per seipsum literarum sensibus expressisset, ex literarum studiis decus et ornamenta, mores ingenuos, et normam rectae vivendi comparatum iri advertens, disciplinam pro nobilitate, pro patria, pro parente, pro nutrice adoptaverat. Et quamvis ad illa usq; tempora Duces et Monarchae Poloniae, qui apud Cracoviam principabantur, ad suum beneplacitum, sedem Cracoviensem contulissent, decedentibus Episcopis novos pro suo laicali more substituendo, quidam tamen Praelati et Canonici Cracovienses viri elegantis, et fortes columnae huic abusioni et corruptelae viriliter restiterunt, et unanimiter praefatum Magistrũ Vincentium in Episcopum Cracoviensem elegerunt, et electionem eius Innocentio tertio summo Pontifici praesentarunt, qui praesentatum confirmat, et per Henricũ Gnesnensem Archiepiscopum demandavit consecrari. Fuit autem ex Praelatis Cracoviensibus unus Janus Archidiaconus, qui liberam electionem Episcopi Capitulo Cracoviens. obtinuit

Cracoviensem Episcopum Fulkonem, Vratislaviensis Episcopus Cyprianus cum in sede illa annis sex sedisset, sequutus est, et sexto Calendarũ Decembris diem obiens, in Monasterij Lubensis Ecclesia, debito honore tumulatus. Laurentium Canonicum Vratislaviensem per Canonicam electionem, quam Dux Henricus Vratislaviensis cum barba gratificavit, habuit successorem nobilem de familia Doliwitarum, ab Henrico Gnesnensi Archiepiscopo confirmatũ et in Olobok consecratum

Rezanorum ea tempestate Dux Hleb nomine stupendae crudelitatis et avaritiae homo, integrum apud Rezanos principatum occupaturus, sex fratres germanos impia caede sustulit. Sed et plures de Boiarijs quos captis et conatibus suis obstare credidit, vario mortis genere delevit

Gregorius Papa Nonus anno Pontificatus sui vndecimo, ad instantiam Rigensis, Osiliensis, et Derpatensis Episcoporum Liuoniae ordinem fratrum militiae Christi, vniuit et incorporauit ordini beatae Mariae Teutonicorum, crucem nigram in albo pallio deferentium. Et ab eo tempore coepit esse vnus ordo, ordinans et statuens, quod ordo ipse sub Iurisditione Episcoporum consisteret

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS OCTAVVS

Occiso apud Zauichost Romano Vuladimiriensi et Chaliciensi Duce, qui sibi fere vniuersa Russia partim tyrannide, partim largitione, et ingenio vsurpauerat dominationem, et principatum, et Russiae Duces in suum coegerat obsequium et tributum, plures sibi aut armis aut preci, aut pretio Russiae dominium destinabant, Proceres vero et Boiari Russiae in varias voluntates scissi, patriam etiam horrendis bellis impleuerant. Ad finitima itaque regna et bellum ciuile tollendum censebant primores habendum recursum, ut alienis illorum viribus et potentia opprimerentur exorta mala et oritura, Et licet aliqui, Polonorum Ducum suaderent petere suffragia, et in eorum transeundum ditionem, recentis tamen cladis apud Zawichost acceptae memoria, ne ad Polonos deficerent, prohibebat, Pannonij aptiores rei suae visi, per primores Russorum aditi sunt, et Rex eorum Andreas supplicatiua Ruthenis exoratus, ut filium suum Colomanum illis in dominum praeficeret, offerentes se illi fide et deuotione sincera parituros. In credulitatem Rex Vngariae legatione Ruthenorum admissa, filium Colomanum, cum magnis copijs Russiam, et motus intestinos compressurum, et Regnum Ruthenorum apud Haliciensis accepturum transmittit. Qui dum in Halicz iam peruenisset, a primis Rutenorum Ducibus et Boiaris iusto honore exceptus est, et castri Haliciensis illi tradita possessio, et Mscislaus Mscislawicz vnus ex Russiae Ducibus de Haliciensi Principatu exclusus, qui sub eodem quo Haliczam ingressus erat tempore, se ab Episcopis Catholicis, videlicet Vincentio

Episcopo Cracouiensi, Iuone Cancellario Poloniae, et alijs Episcopis, quos secum ex Pannonia adduxerat, in Regem, et vxorem suam Salomeam in Reginam inungi et coronari, Regemq Halatiaeque vocari et intitulari, ita enim a patre Vngariae Rege doctus erat, procurauit. Quae res Ruthenorum animos fluxam suapte fidem habentis, a Colomano, cum eis inconsultis confecta fuerit, et alienauit, et in odium atq irritationem perduxit, portendentibus coronationem ipsam, et ritus ipsorum, et generis exterminium effecturam. Omnes itaq in Colomanum conspirant, et exercitibus Colomani, qui eum in Russiam conduxerant, ad Vngariam reuersis, dum se Colomanus tutum crederet, Ruthenorum Princeps Mscislaus Mscislawicz, appellatus, ob praestantiam Chrobry, Ruthenorum et Polowczonorum adiutus solatijs, Haliciam perueniens, nonnullis Haliciensium fortalicijs et ciuitatibus captis, spoliatis, et incensis, ad Haliciensium quoq arcem obsidionem admouit. In cuius oppugnatione dum Polowczorum Dux Mirzewuicza superiore occisus est, in Ducis autem sui ultionem Polowczi multa et execranda mala Haliczensium terrae intulerunt, scindendo quosdam Haliciensium in quatuor partes, caeteros occidendo, excoriando, mutilando, et plurimos in perpetuam abducendo seruitutem. Expugnata et capta arce Haliciensi, a Ruthenis plurimi Polonorum et Vngarorum proceres occisi aut capti, et qui se auro redimere parato non poterant, in seruitutem venundati. Nouus etiam Rex Colomanus captus, per fugam turpem, Vincentio Cracouiensi, et Iuone Cancellario Poloniae fugientibus, sibi consuluit. Eodem insuper anno praefatus Colomanus Salomeam virginem, sororem Lesthonis Ducis Cracouiensis accepit in vxorem, cum qua vsq ad mortem caelibem vitam ducens, et sibi et consorti decus virginitatis seruauit.

Philippus Dux Sueuiae alter de contendentibus de imperio, dum fauorem et assistentiam multorum Principum contra Otthonem Comitem Pictauiae aduersarium suum sibi vendicasset, et ab Adolpho Archiepiscopo Coloniensi, qui Otthonem elegerat, et coronauerat, etiam se coronari prece et pretio obtinuisset, potentiaq; sua continue invalesceret contra Otthonem, a Bertolfo Comite Palatino de Vithelnibach, qui partem tenebat Otthonis, sub pace simulata in Bamberch occiditur. Ex quo magna orta est in Germania commotio, sed per Innocentium Papam, qui in odium et detestationem domus Suevicae, propter mala Henrici, quae commiserat in Romanam Ecclesiam, favebat Otthoni, sedatur. Ipseq; Ottho Philippi competitoris sui filia desponsata, pacificatis rebus Almaniae, venit cum magno exercitu Romam, et magno honore favoreq; susceptus, pridie Calendas Octobris in Ecclesia Sancti Petri ab Innocentio Papa Imperialem recepit benedictionem

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS NONVS

Eiectionem filij sui Colomani de Regno Haliciensium Andreas Ungariae Rex veritus, expeditionem insignem in Ruthenos magno sumptu et cura paraverat. Pro comperto enim habebat, fere universos Russiae Duces in eius deiectionem conspirasse, et bellum in eam aestatem maximis apparatibus gerendum decoxisse, duplex malum superimpendens vitaturus, unum ne Ungari regionem illorum iuris sui facerent, s. Colomannus thronum suum in Haliciensi regno stabiliret, alterum ut poenas impugnati et obsessi anno transacto in Halicz Colomani, et pluribus crudelibus et nefariis operibus in Halicienses per se et per Polonicos patratis, iusta supplicia darent. Intelligens autem Andreas Ungariae Rex Russiae Duces Polonicorum solatia in quantitate magna contraxisse, et ipse ad Lesthonem album Monarcham Poloniae mittens, exercitum notabilem, ex Polonorum militibus in bellum Haliciense mitti obtinuit. In tempore itaq; quo inter Andream Regem et Lesthonem Ducem convenerat, et Ungaricus et Polonicus exercitus ad Halicz conveniunt, Ungaricum Palatinus Ungariae Attila Selvia, Polonicum Palatinus Cracoviensis Nicolaus vir in armis egregius ducebant. Nec Rutheni remorantur

tur, quatuor enim Duces venerant Mscislaus, Mscislawicz, Vulodimirus Rurikowicz, Roscislaus Dauidowicz et alter Roscislaus Mscislauuicz, ceteris omnibus suas copias destinantibus, adveniunt. Polowczonum deinde exercitus ingens et Vngarorum et Polonorum exercitum geminata superans quantitate, Communi autem consilio Vngari et Poloni bellum adversus Ruthenos gesturi, arcem inprimis Haliciensem fortius quo possunt communiunt, Sed et in ipsa arce Ecclesia Sanctae Mariae incastellata, alterum castellum et fortius efficiunt, praesidioque suorum fortiorum, quos inter Vngaros et Polonos habebant militum superimposito, Colomanum cum vxore et matronarum faeminarumque et imbecillium grege relicto, ipsi contra Ruthenos ex Halicz egrediuntur, et aciebus ordinatis prodeunt ad pugnam, Polonis dextrum, Vngaris et Haliciensibus laevum cornu tenentibus, Levique deinde armatura militibus praemissis exercitum Ruthenorum infestabant. Duas etiam acies Rutheni constituerant, vni Mscislaus Mscislauuicz, alteri Vulodimirus Dux praeerant. Polowczonum vero turmae in loco remotiori consistentes id sibi consilij et propositi sumpserant, ut pugna fervente quasi ex insidijs prodiret. Mscislaus autem Mscislauuicz quanta hostilis foret potentia conspecturus, in editiorem locum ascendit. Sed a Vuladimiro Duce arguitur vehementer quod in periculoso tempore speculatoris magis quam Ducis officium gereret, et suo defectu vniverso Ruthenorum exercitui ruinam compararet. Illico descendit, et suos ad congressum animans, bene illos in virtute Crucis sanctae triumphum relaturos, sperare iussit. Sub quo tempore Polonicum agmen exercitum Vuladimiri fortissime invadit, et plurimis Ruthenorum cadentibus exercitus Vulodimiri contritus est, et in fugam cum Vulodimiro et alijs duobus Ducibus Roscislao Dauidowicz, et Roscislao Mscislawicz, qui et ipsi in illo constiterant, versus. Fugientes autem in plura millia, non Polonus tantummodo sed et Vngaricus exercitus persequutus est, plurimos trucidans, aut captiuans, iam existimans debellatum. Caeterum, cum tam longa persequutio Vngaris et Polonis victoriam adimeret, cladi ingenti illos afficit. In terga enim Vngarorum et Haliciensium, qui solutis ordinibus incedebant, Mscislaus cum Polonicis irruens, ipsos facili negotio fundit et prosternit. Duces insuper Rostislaus Danielowicz, et Rostislaus Mscislawicz dum Vngaros se persequi cessasse agnoscunt, fugam sistunt, et in pugnam redeuntes, latus Vngari exercitus inuadunt, plurimisque caesis Palatinum Vngariae Atthsclam capiunt, et plenam victoriam de Vngaris et Haliciensibus Rutheni consequuntur, palatino enim capto Vngari et Halicienses animos remiserant, passimque a Polonicis trucidabantur, quoniam nec dimicandi nec fugiendi illis poterat esse facultas, Ruthenis et Polonicis vndique circumfusis. Redeunt interim Poloni a caede, et persequutione Vladimiri, et ducentes secum spolia et maximum captiuorum numerum, carmen patrium ignari cladis, quae Vngaris acciderat, et Haliciensibus canebant, existimantes se plenam victoriam retulisse. Verum a Rostislao Danielowicz et Polonicis ab omni parte circumsepti, dum nec pugnandi nec euadendi locus esset, occiduntur. Locant deinde Rutheni et in altum erigunt, Polonicum signum, ad quod dum residuitas Polonorum, qui vel ex caede diffugerant, vel ex persequutione Vladimiri redierant, credentes illic suos consistere, confluxissent, omnes passim trucidantur, nec interfectorum poterat numerus estimari. Adeo ut flumina ex cruore rubra forent, et morientium atque vulneratorum vociferatio in castris Haliciensibus exaudiretur. Iacebant autem interfectorum velut arena cadauera insepulta, nec erat circumquaque Halicz qui ipsos sepelisset. Polonicz autem multis nobilibus spoliis, equis, armis, vestibus potiti etiam plurimos Vngaros et Polonos in terram suam, perpetuam laturos seruitutem deduxerant. Mandauerat autem Mscislaus Mscislawicz victoria potitus, et superbe victoria abutens, suis Ruthenis, ne quinquam Vngarum aut Polonum viuum esse sinerent, quapropter non ab hostilibus tantum Ruthenis, sed etiam ab Halicz ciuibus gratificationem Mscislao et suo decreto impensuris, ad quos confugerant, aut apud quos latitabant, pecorum more strangulabantur, penitusque omnis Vngarorum et Polonorum exercitus deletus est. Efferebatur autem tum Mscislaus Mscislawicz Dux, quod et victoriam retulisset, et totidem inclitos Vngaros et Polonos ferri iussisset, a Ruthenis qui in laetitiam effusi magnis vociferabantur clamoribus dicentes O magne Dux et victor Mscislae Mscislawicz, O fortis arripiter, ad conterendum fortes et robustos armas, illorum, transmissus a Deo, Desinent se glorificare, qui te victo sibi destinabant victoriam, quoniam a te omnes, magnifico et glorioso Domino nostro humiliati et confusi sunt. Assumpto deinde Mscislaus Dux palatino Vngariae Attila, ad castrum Haliciense accessit, ex quo iam Vngari et Poloni futurae obsidioni se preparantes, Halicienses Ruthenos cum vxoribus eorum et pignoribus, perfidiam insuper eorum, et victualium defectum veriti eiecerant. Et dum non aperiretur illi castrum, quod Palatinus Vngariae Attila aperiendum, nec victori vltra resistendum, apud quem Deus, et imperium regnumque Haliciensium, et victoriam consistere voluit, suadebat, Mscislaus ad castra reuersus, iterum ad eos qui castrum obseruabant, caduceatorem Demetrium, vnum ex suis Ruthenis, aperitionem persuadendam transmisit. Qui dum vacuus redisset, iterum personaliter accessit, et repulsam tertio passus, vniuersam arcem die altero sepsit, asserens se obsessos non oppugnando, sed sedendo tantummodo confecturum. Dum autem Colomannus, et hi qui secum in arce erant, negligenter infra obsidionis tempus portam castri posteriorem obseruarent, noctium vna Rutheni suffossione facta in castrum irrumpunt, et porta occupata Mscislaum cum gentibus, Vngaris et Polonis pavore nimio consternatis, et ex castro partim diffugientibus, partim se praecipitantibus, cum caligo nocturna, intrantibus omnia maiora cerni iuberet, intromittunt. Castro potitus Mscislaus luce erumpente ad castellum et Ecclesiam Sanctae Mariae; in quam Colomannus filius Regis cum vxore et potioribus militibus atque foeminis, se, irruptione comperta, receperat, accedens illud obsidere cæpit. Saepiusque colloquium cum Colomanno filio Regis expetijt, quod cum sibi, militibus Vngaris et Polonis suadentibus, negatum fuisset, perseverandum in obsidione duxit. Siti deinde Colomannum et suos premente, vas aquae illis a Mscislao transmissum est, quod pro magno munere acceptum, et in capita per mensuram distributum, vix dimidia parte satisfecit. Fame deinde premente obsessos vitam tantummodo pacti se Mscislao dedunt, ostiaque aperiunt. Mandantique Mscislao educebantur Vngarorum Barones et vxores eorum, et plures insignes personae, foeminae et matronae, nonnullique Polonorum milites, quos omnes aut Polowcis distribuit, aut circumstantibus suis donavit. Vltimus enim Colomannus filius Regis cum vxore sua eductus, a Mscislao acceptus est, et in Torczko transmissus, mandante Mscislao ut sub diligenti cura et diligentia asservaretur, licentiatisque Mscislaus exercitibus, in Halicz consedit. Dum autem nuntius tantae cladis ad Vngariae Regem perlatus fuisset, nimio maerore consternatus, et manu frontem verberans, lacrimis indulgebat, dolens se tam turpiter conflictum, quibus ad consultationem consortis abstersis, militem suum Iarosch ad Mscislaum Ducem Russiae mittit, monens ut filium suum et vxorem suam caeterosque vinctos solveret, denuncians se ni id faceret cum omnibus potentijs contra Russiam venturum. Quo terro

ris

res huiusmodi nihil pendenti, et asserenti, non in sua potestate sed divina victoriam consistere, et se si veniret illum excepturum, et in virtute Dei conflicturum. Ungarorum Rex Andreas ea responsione magis quoque consternatus, cum et Consiliarii illum de superba legatione arguerent, et nisi gratiorem ei intimaret, filium visurus non esset, mitiora consilia secutus, mansuetiorem legationem per eundem Iaroslaum ad Mscislaum aequis conditionibus offerendo pacem, et solum petendo filium transmittit. Consors insuper Andreae Regis specialem legationem ad Mscislaum mittens, submissius quam Reginam conveniebat pro relaxatione filii supplicabat. Mscislaus autem veritus ne dum Colomannum dimitteret, de novo contra illum redintegraretur bellum, Colomannum relaxare negavit, sed propriis Praefectis in castris Haliciensibus positis, in Kyow ad Mscislaum Romanowicz Ducem Kyoviensem transiit, et pluribus diebus illic in solatiis et voluptate exactis, in Halicz rediens illic agebat principatum.

Philippus Posnaniensis Episcopus post annos tredecim, quibus Posnaniensem rexit Ecclesiam, Somno exanimus, in Posnaniensi Ecclesia sepultus, Paulum primum Posnaniensem Cancellarium a Capitularibus Canonice electum, et a Gnesnensi Archiepiscopo Henrico, de Mieczslavi maioris Poloniae Ducis consensu confirmatum et consecratum habuit successorem.

Prima Augusti Mieczslaus filius Boleslai victoriosi Dux maioris Poloniae fundat monasterium S. Benedicti in Koscziol ante Calisz, monasterio Tinecensi illud subiiciens. Cui donat pro dote villas, Koscziol, Gora, Rosczkowo, Cranowo, Glogowa, Crznosamkowo, Clisowo, Piotrowo, Nadzorzowo, cum molendino ante Calis et Lisiecz ante Conin, libertando illud et omnia bona ab omnibus angariis, tributis, et servitutibus Polonicalibus, in praesentia Ducis Vladislai Odonicii, et Herkemboldi Castellani Calisiensis

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS DECIMUS

Singulis terris et provincijs quae in suam sortem portionemque obvenerant, Lestko albus Dux et Monarcha Polonorum providens, singulas earum specialiter et seriatim adibat, calamitatem maestitiamque omnes, quae pectori suo ex clade de Ruthenica apud Halicz accepta graviter insederat, extenuans, restaurans, reformans, violentos et calumniatores puniens, et quaestiones differentiasque subditorum dissolvens. Sed et terram Pomeraniae sub sorte sua cadentem respiciens, cum ampliori Baronum et militum, quam solebat, frequentia in eam descendit, et tam a militaribus quam civibus, honore debito susceptus, omnemque statum et Ditionum castra et civitates illius visitando, ordinando, iura populis reddendo, videlicet Gdansk, Swiecie, Nowe, Slupsko, adhibitis Palatinis, Castellanis, et ceteris, qui magistratus publicos gerebant terrestres, in ea exegit. Verum quia terra ipsa remotius, quam quaevis alia a sede Cracoviensi porrecta est, et difficile erat super omnibus quaestionibus et iniurijs ortis recurrendo ad Ducem Lestkonem et eius tribunal habere Pomeranis recursum, Pomeranorum igitur assiduis precibus et instantijs motus Lestko albus, et de pacifico tranquilloque terrae Pomeraniae statu providens, Swentopelconi natu maiori genere nobili de domo Gryphorum filio Msczugij Ducis Pomeraniae prudentia et ingenio praestanti, Pomeraniae Capitaneatum committit, et ei in totum in administranda iustitia, in regendo defendendoque Ducatu, in decidendisque quaestionibus, vices suas plenarie committit, illique principatum in Pomerania confirmat, neglectis alijs Principibus, Comitibus, et Baronibus, aeque claris, moderatis et insignibus, credens illum singula non insolenter, nec iniuste, sed modeste et sincere administraturum. Utrumque autem palatinum tam Gedanensem, quam Swiecensem, et ceteros dignitarios et Officiales, omnes Capitaneos et Tenutarios, illius iubet parere ditioni, recepto ab eo iuramenti corporali sacramento, quod terram praefatam Pomeraniae pro Duci Lestkoni, filiis suis et successoribus Ducibus Polonorum fideliter tenebit, et ipsos colet, et venerabitur, fide, obsequio, et obedientia, prorsus nunquam ab illorum subiectione et dominio se sequestrando, praestabit etiam annis singulis marcas mille argenti, et in fiscum Ducale Cracoviam inferet, et pro illorum amplitudine et commodis intendet, totosque se, nunquam illos deserendo, in prosperis aut adversis. Verum Swantopelkus praefatus brevi post fidem cum tempore varians, et mores cum dignitate permutans, fluxae variaeque fidei esse coepit, et malignitatis aculeum contra proprium calcitrando principem exacuit, situm terrae, et callida eorum quibus praefectus fuerat imitatus ingenia, principi et Domino suo Lestkoni albo viro qualibet tanto illudens artibus, quanto operosius uberiorem spem fidelitatis suae et obsequii repromittebat. Pomeraniae etenim Satrapam sortitus, insolenter se agere, et ~~i~~ summam totius principatus ac Pomeraniae aspirare coepit, metuens autem Pomeraniae praesulatum, quem avaritiae zelo et multo malignitatis spiritu occupandum conspirarat, amittere, multis se teterrimis actionibus, et illum quoquo modo retinere, implicabat.

Filium suum Colomanum et uxorem eius Salomeam, Andreas Vngariae Rex de captivitate soluturus, plures cum Mscislao Mscislawicz per Barones et Consiliarios suos egit tractatus, et conventus. In ultimo autem conventu in finibus Vngariae habito, pax perpetua his conditionibus inter Vngarorum et Ruthenorum convenit, ut alter filiorum Regis Vngariae Bela filiam Mscislai Mariam in consortem habeat. Mscislaus de Haliciensi Ducatu Colomano post triennium cedat, et tam ipsum Colomanum et uxorem suam omnesque suae potestatis captivos, quae omnia eo anno fuere consummata

Annus

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS UNDECIMUS

Secundorum eventuum certaminumque prosperitate, quibus Colomanum Ungariae Regis filium de Haliciensi Regno primum ejecerant, deinde insigni pugna fuderant, Rutheni eorum Duces elati, plures faciebant in regiones Polonorum excursiones, a Lithuanis insuper et adiuti et docti, rapta praeda cum celeri festinatione in propria recurrebant, et nusquam consistere ausi, magnis incommodis et vastitati Poloniae regionis afficiebant, Jamque eam inflationem pompasque induerant, ut Polonos contemptui et ludibrio ducerent, Quibus rebus Lestko albus Polonorum Dux et Monarcha permotus, habito cum Consiliariis maturo tractatu, Sulislaum Castellanum Sendomiriensem datis ei expeditis militibus, in Russiam talionem Ruthenis refusurum, et incursionis eorum oppressiorum transmittet. Sulislaus autem Castellanus Sendomiriensis Ruthenorum terras ingressus flammis illas vastat, et caedibus magnoque numero captivorum congesto illos in Poloniam vinctos remittet. Ruthenorum autem Duces vastationem tam crudelem regionum suarum non ferentes, illi occurrunt, et pugnandi copiam faciunt, quam superioribus annis vafro usi consilio detrectaverant, Pugna autem commissa Rutheni facili negotio dum primas acies Poloni stravissent, victique fugatique sunt, et Swantoslaus, Msczislaides, et quatuor alij Duces videlicet Georgius, Jaroslaus, Vladimirus, et Constantinus, multusque militum et nobilium Russiae numerus captus est, Sed et non minor erat desideratorum, in quos ab ira Poloni gladios strinxerant, Et milites quidem nobilesque Ruthenorum Sulislaus Castellanus Sendomiriensis in vinculis habuit, Poloniamque deduxit, quorum plerique aut liberalitate Lestkonis Ducis manumissi sunt, aut a suis redempti. Swantoslaum vero Ducem, et quatuor Duces alios secum captos, propter furtivas excursiones, quibus Poloniam plurimum vexaverant, attriverantque, et redimendas, et in futurum prohibendas vinctos tenuit. Victoremque exercitum divitiarum spoliis ditatum et onustum non sine sui amplissima laude in Poloniam reduxit. Processu deinde temporis Duces Ruthenorum Swantoslaum Mscislawicz, Georgium, Jaroslaum, Vulodimirum, et Constantinum, Poloniorum Dux Lestko a captivitate absolvit

Cometes Stella in mense Maio eo anno apparuit, quae caudam et facem ab oriente dirigens in Occidentem, decem et octo diebus duravit, Regionibus Ruthenorum magis propinqua, cladem quam in anno sequenti a Tartaris pertulerunt, portendebat.

Sextadecima die mensis Maii Mieczslaus Dux primus Ratiboriensis et Opoliensis, filius olim Wladislai exulis, et avi Cognominem a fratribus vaflicti, moritur, agilis multum et praeeminens statura, peritus artis gladiatoriae, multas pugnas Duelli et Tornamentorum in Almania non sine multorum admiratione animose exercuit, cui filius eius unicus Casimirus successit in principatibus. Fundavit autem praefatus Mieczslaus Dux Ratiboriensis primus, monasterium Sanctimonialium ordinis Premonstratensis, in Ribniki; et sufficientem illi dotem praestitit. quod postea filius suus Casimirus in Czarnowansch, ad fluenta fluvii Malpadew, qui illic de prope Odrae miscitur, transtulit. Consors autem eius Ludmilla obiit tredecimo Calend. Decembris. Mortuus est autem Mieczslaus Dux Ratiboriensis in Cracoviensi castro, Cracoviensem enim tunc obtinebat pacifice principatū, et in Ecclesia maiori Cracoviensi iusto funere sepultus. Dictus vero fuit Plyaslonogi eo quod erat longarum tibiarum, procerae staturae, pulcher aspectu, solo intuitu gratiā in se inspicientium merebatur, miles strenuus, in Teutonia a pueritia, imo ab infantia nutritus et eruditus, in tornamentisque exercitatus, moribus compositis cunctisque praeeminebat, pauperū oppressorum, viduarū, orphanorū sagacissimus auditor et protector

Annus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS DVODECIMVS

Natalem Christi sequentis anni Lestko albus Polonorum Dux et Monarcha Cracoviae cum genitrice sua Helena Ducissa, et Vincentio Episcopo Cracoviensi, Baronibusque in magna egit solemnitate et aliquot diebus splendidis conviviis Consiliarios tenuit, Et quia eo anno res omnes ad tranquillitatem reciderant, singulis hostibus in circuitu aut quiescentibus aut debellatis, rebus urbanis et civilibus vacatum est, et iudiciis particularibus et generalibus in singulis districtibus instauratis, iura populis reddebantur. Sed nec ea tranquillitas ad integrum tuta fuit, superna vexatio acerbitatem ingessit. In mense siquidem Julio, fulminis ictu aerarium Cracoviensis de caelo tactum est, cuius virtute, tignis et roboribus tectum sustentantibus incensis, etiam flammam ad interiora aerarij, nimium ardorem restringente pervenit, scriniaque et cistas corripuit, et capsulas, cassasque et multa Cracoviensis Ecclesiae ornamenta, atque decora, largitione et liberalitate Regum, principum, Pontificum, et Christi fidelium donata, quae in cistis ipsis condita erant, dissolvit et devoravit, Cracoviensemque Ecclesiam suis preciosis et charis induvijs pignoribusque, quibus ultra caeteras Polonias Ecclesias dotata erat, privavit, Quod quidem factum prodigij loco habitum, etiam apud Ministros Dei et alios timoratos viros in religionem versum est, autumantibus conflagrationem ipsam solius Dei nutu propter facinora illum provocantia provenisse.

Potentiam suam Tartarorum gens in eam diem ignorata et vix audita, ad partes Septentrionalis extensura, Polowczijs ex illa parte maris consistentibus, et pluribus alijs nationibus conflictis, deletis aut subiugatis, etiam ad terras eorum, qui citra mare Ruthenis confinantes degebant, venit, Qui de potentia sua diffisi, periculum quod illis a Tartaris imminebat, petentes se communiter potentijs Ruthenorum adiuvari, insinuant, denunciantes par discrimen, si victi a Tartaris fuerint, Ruthenis imminere; Veniunt et sub idem tempus ad Russiae Duces Tartarorum

Nuntij, exorando illos ne se bello Polowczorum implicarent, nec iungendo se Polowcis, in offensam Tartaris bellum contra Russiam movendi, imponant, sed si sapiunt, de suis finibus Polowczos saepius plurima ~~mall~~ mala Russiae terris inferentes exterminent, cum de alijs regionibus Tartari illos sint verisimiliter exterminaturi. Duces autem Russiae parum provido usi consilio, et nulla super his matura deliberatione praemissa, gentium iure violato, Tartarorum nuntijs interfectis, vadunt exercitualiter contra Tartaros, solaciū Polowczis laturi, videlicet Mscislaus Romanowicz cum militia Kyoviensi, Item Mscislaus Mscislawicz cum Haliciensium militia, Item Volodimir Rurikowicz, caeterique Duces Russiae; Item Dux Czirnyoviensis, Dux Smolensis, Item omnis Polowczorum terra, et omnes Duces eorum. Et aliquibus Ducibus et militibus Russiae in equis euntibus, aliquibus in navibus, perveniunt usque in Protholcze, et abinde singuli ascensis equis duodecim stationibus ad fluvium Kalcza perveniunt, quo iam Tartari castra sua posuerant. Et hic Tartari respirandi spacio non dato in Ruthenos et Polowczos decima septima die irruunt, Polowczis autem contritis et diffugientibus etiam acies Ruthenorum turbantur, et bellum Duces Mscislaus Kyovien. et Czirnoviensis continuantur, plurimaque caede edita, multis aut captis, aut necatis, ceteri diffugiunt. Sed et in fugientes alium aeque horrendum discrimen a Polowczis socijs per quorum terras fugam maturabant, editum, nulli enim aetati aut conditioni parcendo, Polowczorum agrestes, Ruthenos si equites propter equos, si pedites propter vestes, trucidabant. Qui vero ex Ruthenis in montes confugerant, fame moriuntur, plerique in aquis suffocantur, horrendumque malum in die illa sequutum est, quale nusquam fuit in terris Russiae visum aut auditum. Mscislaus autem Mscislawicz Haliciensis Dux dum fugiendo ad naves pervenisset, superatis fluvijs, naves, persequutionem Tartarorum veritus, disrumpi mandavit, abindeque fugax in Halicz pavore et trepidatione plenus pervenit, dum vero omnis alia multitudo Ruthenorum ad naves fugiendo pervenisset, et eas offendisset violatas, in maerorem versa,

[illegible]

dum vadis transire non posset, fame contabescens ac bellis consumpta est, praeter Duces aliquosque eorum milites, qui in lembis fluvios transierant, Vlodimirus autem Rurikowicz fuga et ipse salvatus in Kyow perveniens sedem arripit Kyoviensem eaque prima clades extitit quam Rutheni pertulere a Tartaris

Otho Imperator omnibus insigniis imperialibus functus, et nullum sibi secundis in imperio competitorem superesse, insolenter se gerere, et Innocentio Papae tertio, cuius favore provectus et adiutus ad Imperium confirmaverat, rebellis et adversarius esse coepit. Unde et Regnum Siciliae praetendens illud pertinere ad imperium, Innocentio Papa inquiquam prohibente et obstante invadit, et magnam illius partem dedentibus se, aut expugnatis urbibus Friderico abstulit. Propter quam causam Innocentius tertius videns se deceptum ab Othone ipsum excommunicat, et ab imperio deponit, et omnes Principes et Barones a fidelitatis iuramento absolvit. Mandatis Principibus, Electoribus, ut ad electionem alterius procedant. Qui Apostolico parentes mandato Fridericum secundum Siciliae Regem ex Henrico quinto et Constantia monacha vetula genitum, in Imperatorem eligunt. Fridericus autem in Regem Romanorum declaratus, in Almaniam descendens, et conventus aliquot celebrans, benevolentiam sibi conciliavit Principum, et a Sifrido Maguntinensi Archiepiscopo, et Apostolicae sedis tunc legato, Aquisgrani coronatus est, et Almania bellis, et seditionibus intestinis fervere coepit. Hic armorum strenuus linguarum peritus, vigorosus, luxuriosus, Epicureus, nihil curans vel credens nisi temporale fieret.

Asserunt annales Ungarorum litera eo anno Gertrudim Ungariae reginam Andreae filii Belae Ungariae Regis consortem, et beatae Elizabeth genitricem, uxorem Bankbani in curia sua obversantem fratri suo ad illudendum tradidisse, et Bankbanum de genere Bororum dum in ultionem stupri uxoris suae Reginam Gertrudim occidisse, in genus quoque Bankbani varia caede saevitum esse.

Annus Dñi

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS TREDECIMUS.

Miserando et miserabili casu Pannoniorum Regnum ea tempestate affligitur, et apud Polonos sibi conterminos, varijs quoque molestatibus coniunctos, et apud vicinas exterasque nationes sonorum suae lamentationibus edidit ululatum. Cum enim Rex Andreas filius Belae tertij et si splendido coniugio et prolis multiplicatae felix et insignis esset, et de consorte sua Gertrudi filia Bertholdi, Moraniae et Carinthiae Ducis, sorore germana Sanctae Hedwigis, Ducissae Poloniae, et Henrici cum barba consortis, tres filios Belam, Colomanum, et Andream, quartam quoque beatam feminam Elisabeth, Lantgravio Thuringiae Ludovico Hermani Principis primogenito in aetate tenera desponsatam, et multa sanctitate refulgentem suscepisset, tantae tamen suae felicitatis fulgorem, fortuna nihil ad plenum tribuens, caliginoso euentu repente confundit, Praefatam siquidem Reginam Ungariae Gertrudim unus ex maioribus Ungariae Baronibus Banchbanus vocatus, de genere Bor oriundus, mucronem transuerberans, funesta occisione quarto Calendas Octobris necauit. Cuius quidem necis duae a scriptoribus feruntur fuisse causae. Una quidem quod praefata Regina Gertrudis uxorem praefati Banchbani in sua curia consistentem, cuidam fratri suo aduenae et hospiti illudendam consenserat. In cuius sceleris ultionem Banchbanus stuprati coniugij poenam, quam a patratore non poterat, a consiliatrice exegit. Sed absurdum videtur, ut foemina alioquin per se pudica et casta, et quae sanctam filiam progenuerat, genus quoque ab ingenuis et religiosis parentibus ducebat, stupra et adulteria procurasse credenda sit. Alia vero quod cum Andreas Ungariae Rex ad consilium consortis suae Gertrudis plures Almanos in Ungariam accersisset, et cum illis rebellium Ungarorum castra et munitiones expugnaret, magistratus quoque Reipublicae Ungaris neglectis Almanis mandasset, Ungari contemptum iri se dolentes, ad occidendum regem Andream conspirant, et cum praebente illis animum et ductum Banchbano conspirationem complices, in curiam Regis advenissent, Andreas quidem Rex a Regina Gertrude cautatus, fugiens mortem evasit, Banchbanus vero Rege non comperto, Gertrudem Reginam supplices manus pro vita tendentem, lanceis et contis perfossam obtruncavit. In cuius necis tam horrendae ultionem, Andreas Rex Banchbanum et omne genus suum ad interemptionem usque, et exterminium delevit. Corpus reginae occisae in Monasterio de Pilis iusto cum honore sepultum est, Quae dum viveret in Ecclesiam Vuratislaviensem liberalem se exhibens, et munificam, nobilem coronam auream, quam pro ornamento in diebus solennibus gestare consueverat, eidem Ecclesiae Vuratislaviensi transmisit, qua conflata, calix aureus iuxta eiusdem Gertrudis reginae voluntatem et desiderium est fabricatus.

Tredecimo Calendas Novembris Vuladyslaus Otthonis, Dux Calysiensis fundat Monasterium in Olobok Sanctimonialium ordinis Cysterciensis in terra Calysiensi, et Diaecesi Gnesnensi, et illud sumptibus Ducalibus a fundamentis extruit, Cui in dotem, villas, et haereditates infrascriptas assignavit videlicet Olobok, Thsichadlowo, Zidowo, Polye, Vuroszki, et Rablawy. Item Vuirzbiatha filius Clementis militis contulit quatuor villas paternas Monasterio praefato, videlicet Conrado, Grzybowo, Mislalowo, et Orishowo, Item idem Dux Vuladyslaus contulit eidem loco villam Staw, commutatam a filiis Laurentii Dobrogostio et Czessarda, pro tribus villis, Chotinino, Golikowo, et Lyenyashowo. Henricus autem Gnesnensis Archiepiscopus ad petitionem Vuladysla. Ducis consecravit in Olobok basilicam, Monasterio vero contulit decimas Archiepiscopales, de consensu sui capituli in villis quae sunt inclusae inter Olobok et Barcz fluvios

Tam virili aetate quam viridi Henricus Vuratislaviensis et Silesiae Dux cum felici et beata foemina Hedvigi consorte sua, in prosperabili et aequabili fortuna traducta, magna utriusque coniugum tempestate sub media pace, dum iam in secundam vergerent aetatem, obrutus est. Duorum siquidem filiorum, videlicet Henrici, et Conradi qui Crispus vocatus est, qui usque in virili robur euaserant, dum iam tertius Boleslaus fato subtractus esset, liuoroso inter illos sensim serpente colludebantur odio, alterum Esau, alterum Jacob, ex euentu et conditione describeres, Cum pro vno pater Henricus, pro altero genitrix Hedwigis staret. Henricus siquidem Dux pater minorem natu Conradum singulari affectione complectens, Ducis Saxoniae illi filiam desponsat, et Lubucensem terram, Lusatiaeq. regionem illi perpetua consignat portione. Henricum autem natu maiorem beata Hedwigi persuadente, Slesiae et Vratislauiensibus Ducem destinat. Id cum molestè et irato animo Conradus ferret, et ex naturali instinctu Polonis amicus, et blandus, Teutonicis vero hostis infestissimus foret, parentum ordinationem armis rescindere, dum preces inualidae essent, constituit, et non tam patri quam fratri iratus, ipsum et omnes Teutonicos qui partes suas sequebantur, de Silesia exterminare constituit. Exercitu notabili ex Polonorum et Lubucensium militibus et agminibus comparato, fratrem inuasit. Et licet vterq. parens tollere dissidium fraternum, et quietare filios maximis conatibus laborassent, videntes tamen labores suos in cassum recidere, vtrunq. filium propositum suum Dux Henricus in Glogouiam, et Ducissa Heduigis in Xyempcz secedentes, exequi passi sunt. Non tulit et Henricus maior natu fratris Conradi inuasionem, sed exercitum ex Polonis et ex Theutonicis colligens, Conrado inter Legniczam et aureum montem, in loco qui dicitur Studnicza seu Ruffa Ecclesia occurrit. Vbi dum congressu facto fortiter ab vtraq. parte pugnatum foret, plurimis in ore gladij cadentibus, Henrico cessit victoria. Conradus Crispus, cum multis suorum amissis ex praelio diffugisset, ad patrem Henricum in Glogouiam diuertit, ratus prout euenit, se illic tutum consistere. Verum cum deinceps processu in syluas Tharnouienses venandi gratia secessisset, feram agitans, ex equo corruens, fractis ceruicibus expirauit, in Trzebnicensem Monasterium relatus, operante sorore sua Agnete Abbatissa Trzebnicensi, quae cum tenerrime vnicum di lexerat, in Capitali loco sepelitur. Quo sic absumpto, fraternum et domesticum bellum, quod quandoque resumi et reintegrari nemo dubitabat, conquievit. Ne autem matri religiosissimae Ducissae Hedwigi mors filij Conradi Crispi, precordia dolore ingenti, repente denunciata, sauciasset, non ad funerias filij sed ad visitationem aegroti venire rogata est. Illa autem et cladem primum, et mortem filij dudum in spiritu praecognoscens, et illum iam extinctum esse sciens, nuntijs respondit. Quare, inquit, languidum filium meum Conradum simulantes illum vivere confingitis, cuius orta sub dudum ante mihi fuit cognitio, quoniam sua temeritati sanguis fun~~[illegible]~~deretur plurimorum. Ivit demum ad exequias filij et iusta illi et pro Ducalis dignitatis excellentia, et pro materna charitatis affectu impendit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVARTVS Decimus

Nondum pubertatis annos, Vladyslaus Dux, qui ex post, cum esset in sputo nimius, Pluwacz agnomen sortitus erat, filius Ottonis, filij Mieczslaui senis Ducis maioris Poloniae transgressus, curatorem tutoremque suum Vladyslaum maioris Poloniae Ducem, et Ottonis fratrem ab aliquibus ob proceritatem staturae magnum, ab aliquibus vero propter tibiarum excellentiam Lyaslonogi vocitatum, qui velut patruus germanus ipsius tutoriam assumpserat fastidiebat, Principatumque maioris Poloniae partiri, et sibi illius dimidium a patruo consignari deposcebat, vige mature ad principandum aspirans, et disciplinam patrui sui magnopere abhorrens. Pravam autem suam intentionem non solum innata promovebat ambitio, sed nonnullorum nobilium et adolescentum, qui secum una creverant, nutriebat incendebatque persuasio. Verum cum Vladyslaus magnus Lyaslonogi, partim ingenijs, partim authoritate iuvenilem ardorem frustraretur, Vladyslaus Pluwacz morae cuiuslibet impatiens, satellitibus aliquibus auctus, Calysense castrum subintrat, et patrui sui Officialibus expulsis, tam castrum quam civitatem occupat, in castroque se recludit, resistentiam pro viribus si impeteretur, Vladyslao magno patruo suo oppositurus.

Quod cum Vladislao magno nunciatum fuisset, magnas copias ex militibus et agrestibus subito contrahens, castrum Calisiense obsidione cingens, nepotem suum in eo includit. Qui dum quindecim diebus obsidionem continuasset, videatque obsessos sentiret prope diem deditura, veriti obsessi, ne si castrum per violentiam caperetur, iratus Vladislaus magnus in eos aliquid gravius consuleret, caduceatoribus missis, ut et incolumes eos esse, pristinumque honorem et statum retinere liceret, de dedendo castro paciscuntur. Vladislaus vero Sluwacz de favore patrui diffisus, carceralibus se deputandum pertimescens squaloribus, cum septem tantummodo comitibus nocturno tempore ex castro Calisiensi delapsus, versus Cracoviam ad Lisconem album contendit, et ad Andream Ungariae Regem perveniens, causis et timoribus expositis, humaniterque ab illo exceptus fotus et habitus est

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS QUINTUS DECIMUS

Nobilem et illustrem Cracoviensem Ecclesiam Vinantius Cracoviensis Episcopus, cuius pontificatus tempore amplius illustraturus, pro habendis quotidianis refectionibus, undecim decimas manipulares, et septem pecuniales in villis circum circa Czchow oppidum sitas, ad mensam suam Episcopalem pertinentes, donatione perpetua contulit et donavit. Ex quarum introitibus, in vino, luminaribus, caeterisque suis necessitatibus praerogatur Cracoviensis Ecclesia, et praelatis Canonicisque Ecclesiam frequentantibus, distributiones quotidianae largiuntur. Nimium fortunatus, nimiumque liberalis Episcopus, aeterna in laude versandus, qui et Ecclesiae suae providit in necessitatibus, et plurimum illi contulit stabilimenti et decoris, amplissimam sui doni compensationem per gratiam pontificio et remuneratoris superni abunde iam consequutus. Ne autem de nominibus villarum decimas huiusmodi afferentium, a quopiam ambigi posset, etiam nomina earum inserui, et primo quidem manipularium, Grownik, Gotsprzedowa, Tymowa, Zbunorhowa, Iurkow, Vgyazd, Opathowiecze, Luczlanicze, Fasczeskowa, honczisha, et Zdarya. Item pecunialium, Brzozowa, Olszowa, Slona, Byesznik, Policzka, Poszna. Item in oppido Casimiriensi, Cracoviensi urbi vicino. Ita ut candela inextinguibilis nocte dieque ardeat in altari, reliquum Canonici in suos usus conferant. Asserunt alij decimas ipsas non mensae Episcopalis, sed Ecclesiae de Czchow extitisse.

Actum est eo anno in mense Novembri apud Lateranum concilium celebre et famosum per Innocentium tertium congregatum, quod tanta frequentia illustrium personarum fuit insigne, ut ex Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, alijsque praestantibus Praelatis, mille ducenti et quindecim numerarentur, in quo et pro generali subsidio terrae sanctae ferendo enixius laboravit, et plures ordinationes pro reformanda Ecclesia Dei et tollendis nonnullis abusibus edidit. Cui etiam concilio Beatus Dominicus pater et institutor ordinis praedicatorum interfuit, et ille sui ordinis confirmationem ab Innocentio Papa fieri petiuit, quem in Tholosanis partibus verbo et exemplo contra Haereticos praedicando instituerat. In eodem insuper Lateranensi Concilio, praefatus Innocentius Papa, desiderio animae suae potitus, quo aestuans, in sermone in concilio proposito, quasi Prophetice inchoaverat, Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, obijt, cui Honorius tertius successit, a quo Beatus Franciscus post multos labores, per multam instantiam, ordinem suum obtinuit confirmari. Beatus insuper Dominicus ex Hispanijs iterum Romam reversus, ubi magistrum Rainaldum Decanum S. Aniani Aurelianensis, de peregrinatione terrae sanctae revertentem, offendens, ad assumendum suum ordinem induxit. Quo assumpto, cum Beato Dominico venit Bononiam et coepit praedicare et commendare ordinem praedicatorum, et eundem ordinem Domino cooperante per totam Lombardiam, et Venetijs in brevi tempore feliciter disseminavit, quasi enim tuba sonora, vox praedicationis eius corda audientium percutiebat, et pectora indurata efficaciter liquefaciebat

Cum annis prope duodecim, Wladislaviensem Ecclesiam Bartha Episcopus rexisset, rebus eximitur humanis, dolore calculi correptus. Qui apud Ecclesiam Wladislaviensem tumulatur. Michael Polonus nobilis, de familia Rodzamba, per electionem Canonicam, ab Honorio Papa tertio, Conrado Mazouiae et Cuiauiae Duce eius electionem promouente prouisus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS SEXTVSDECIMVS

Duobus de imperio vendicando Friderico et Otthone contendentibus, diutius bellorum stridor Almaniam premebat, Magnae etenim atque frequentes pugnae cum caede et interitu multarum insignium personarum inter Fridericum et Otthonem habitae sunt, et nunc uni nunc alteri obueniebat victoria. Nec dubium quin Ottho qui plures amicos et fautores in Almania habebat, superior euasisset, nisi Innocentius Papa tertius duram sententiam tulisset, contra omnes Otthonis fautores, Cuius suffragio Fridericus adiutus contra Otthonem praeualuit, et Ottho ad Philippum Regem in Gallias, qui suae parti fauebat, diuertit. Et quamuis Innocentio Papae non placuisset electio Friderici, dissimulauit tamen propter odium Otthonis, quia durum erat tot principes perturbare, coronare tamen Fridericum distulit, interdum illi aetatem obijciens, quae dilatio ab Electione Friderici usque ad mortem Innocentij, quod fuit septennale spacium, tendebatur. Innocentius autem Papa tertius post Concilium apud Lateranum celebratum, in Tusciam descendit, ad pacificandum Pisanos et Ianuenses, quatenus unitis potentijs facilius terrae sanctae possent ferre suffragia, Sed cum venisset Perusiam infirmatur et moritur, cum annos decem, et septem, menses decem, dies viginti tres sedisset, et in Ecclesia Sancti Laurentij in Perusio honorifice sepelitur, Procurantibus autem Perusinis includi Collegium Cardinalium, Cincius Episcopus Hostiensis natione Romanus, in Summum Pontificem concorditer electus est, et Honorius tertius vocatus, qui eodem promotionis suae anno, ordinem praedicatorum, quem Innocentius quondam confirmare decreuerat, sed morte praeuentus, neglexerat, confirmauit.

Litthuani cum in anni huius hyeme Russiae regionem praedatum venissent, vastaq. praeda more suo diffugerent, a Duce Jaroslao Wszewoldicz et Nowogrodensibus consequuti, praelio inito confliguntur, Ruthenis quoq. non incruenta cessit victoria, quia et Dux Dauid Thoropeczkij et plures alij Russiae milites desiderabantur, Sequenti quoq. tempore dum alius Lithuanicus exercitus ciuitatem et regionem Poloczko vastaret, Dux Mscislaus Dawidowicz, cum Smolensium militia celeri cursu in Poloczko adueniens, Lithuanos incautos offendens, absq. numero sternit, et occidit, plerosq. autem qui in turres et domos occultandi gratia confugerant, inde extractos, vario supplicio necat, alios etiam in lacubus submergit, et paucos euadentibus fere omnes delevit

Andreas Pragensis Episcopus, tam a Przemislao Rege quam a nobilibus et militaribus Bohemiae plures iniurias et oppressiones, tum in villarum concremationibus et tributorum exactionibus, tum in decimarum derogationibus, quas et sibi et Monasterijs et pijs locis ac vniuerso clero irrogabant perpessus, dum videret et Regem et nobiles inexorabiles, in ampliora Ecclesiarum grauamina grassari, et plus solito ad facinora legi diuinae contraria procliues esse, et nec precibus, neq. admonitionibus salubribus acquiescere velle, sed deteriora in dies sectari, Beatum Adalbertum quondam Pragensem Episcopum imitaturus, merito cui successisse se sciebat, in loco, primum Premyslaum Regem et Barones Bohemiae excommunicationis sententia percellit, deinde cum Rex et sui, censuras irridendo contemnerent, vniuersum Bohemiae regnum Ecclesiastico supponit interdicto, et furorem regum extimescens atq. militum, quarto Idus Aprilis, deserta sede sua ne contaminaretur sordibus sceleratorum, Romam aliquibus Ecclesiasticis et timoratis viris cum concomitantibus secessit, nec ad plebem obstinatam, cuius duram et irrefragabilem ceruicem nouerat difficulter domari, quanquam Metropolitanus suus Archiepiscopus Maguntinensis pluribus instantijs elaborasset, usq. ad diem mortis suae redire acquieuit. Adeo enim grauamina Regis et militum in Clerum efferbuerant, vt in quibuslibet Theloneis, in quibus Judaeus non nisi pro capite nummum reddebat, praesbiteri et clerici ratione coronae, siue tonsurae, triginta soluere cogebantur, neq. ea tantummodo

sed et plura

sed et plura alia barbara ferre, adeo ut plerosque taederet vivere, impellebantur Christi Domini et sacerdotes, et vitiorum contemptibiliorumque apud Bohemos quam Judaei obtinebant locum.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS DECIMVS SEPTIMVS

Tyrannidem qua Conradi Masoviae et Cuiaviae Ducis, germani Lestkonis albi pectus refertum erat, quam in aetate iuvenili effudit, quamque expost effusurus erat, horrendus suarum primitiarum casus monstravit. Erat ille Baro et miles insignis Crystinus nomine, Sares de Gozdowo, Plocensis Palatinus, genere nobilis de domo et familia, quae pro insigni Lilium defert Gozdowitarum, sed opere et virtute quoties quid agendum erat aut expediendum nobilior, per quem salutem Polonis Deus dederat in praelio Zawichostensi, cum Romano Duce Russiae habito, sub cuius ordinatione et regimine, et Ducatibus Masoviae et Cuiaviae tranquillitas proveniebat, et Ducales introitus magnopere augebantur, plectebantur scelerati, et honorificabantur virtuosi. Qui dum effrenatos et lascivos mores, ad quaeque turpia et devia proclives, Ducis sui Conradi corrigit, dum illum primum secrete, deinde coram Consiliariis, ut quosdam abusus pravos et illicitos rescindat, virtutibusque det operam, reprehendit et monet, non tulit Conradus correptiones huiusmodi salutares non ferens, sed in furorem nefandum excandescens, praefatum Crystinum Palatinum Masoviae, sui honoris et salutis sincerum Zelatorem, et servatorem, adolescentiae insuper suae praeceptorem, paedagogum, et institutorem captivat, et squaloribus carceris includit. Sub quo quidem tempore hostes et invidi sui, plures de eo criminationes et figmenta apud aures Conradi singula ad credulitatem recipientis, et signanter Joannes Czaplya Cancellarius suus Ducalis, ingerebant. Quibus Conradus Dux incensus, et incitatus, Crystinum Palatinum praefatum primum in villa Kowale excaecari mandavit. Sed neque hoc genere crudelitatis contentus, pessimis assentatoribus suggerentibus, caecatum iugulat, et militem strenuissimum, totiusque Masoviae florem, virum clarum, Heroicis splendidatum operibus, dum aequare non potuit, per elevationem suspicionis et invidiae salutaria monita perosus, indigna morte, truculentae tyrannidis et improbo consilio Joannis Czaplye Scolastici Plocensis usus, necavit. Post cuius excessum Mazoviae et Cuiaviae Ducatuum prosperus status plurima caligine obductus est, et varijs iactatus casibus, sensim in praecipitem ruinam, innoxium sanguinem vindicante Deo, ferebatur. Hunc ea strenuitate et animositate praeditum, Annalia perhibent fuisse, ut Pruthenis, Lithuanis, caeterisque gentibus devictis atque domitis, et sub iugum coactis, censuales illos atque tributarios Polonorum Ducibus faceret, victriciaque sua arma ultra mare proferens, id sibi nomen eamque famam a proprijs et externis quaesierat, ut magnus Mazoviae Palatinus a proprijs et finitimis vocitaretur. Cuius splendorem Conradus Dux Mazoviae, impatientius ferens, suum et filiorum suorum statum ab eo depressum, aut eliminatum iri veritus, ipsum iniusto et crudeli mortis genere consumi mandavit, corpus tamen suum in maiori Plocensi Ecclesia debito honore tumulari passus est. In fortissimum siquidem et sibi fidum militem saeviebat, etiam in mortuum, simplici genere mortis in eo non contentus, per quem hostibus in circuitu fuerat formidabilis. Truculentum profecto et plusquam barbarum tyrannidis ingenium, quod tam nobilem et inclitum militem, tam insignem Ducem et victorem, tam necessarium bellatorem extinguere potuit, ab eo, quod Titus Romanus Imperator Vespasiani filius habuisse scribitur diversissimum. qui duos patritij generis in affectatione imperij convictos, a reatu et poena nobiliter absolvens, nihil amplius quam ut desisterent, monuit, dicens Principatum fato dari, si quid praeterea poscere ab eo vellent, promittens se tributurum. Nec tanta praesumptionis iniquitas contenta fuit finibus, prolem eius persequitur, et proscribit. Divina vero providentia iustitia, reddens unicuique pro opere dignam mercedem, nec permittens tantae iniquitatem praesumptionis impunitam praeterire, ut iusto Dei iudicio idem Dux Conradus puniretur, in quo deliquit, barbaras nationes

Pruthenorum terrarum conterminarum, audita morte Cristini, in laetitiam permixt prorumpere, et exultationem dicentes. Homines nobiles, et fideles ad terram Polonorum accesso, postquam ipsi Deum suum et liberatorem occiderunt, Cristinum appellantes Deum, ipse enim virtute sua heroica et adiutorio Dei suffultus, totam terram protegebat et defendebat. Quo occiso idem Dux Conradus, Dei adiutorio ob scelus crudelitatis destitutus, terram suam amodo relinquit indefensam. Unde evenit, ut cum per frequentes Pruthenorum incursus terra eius devastaretur et depopularetur, impune, coactus est invocare auxilium Henrici Ducis Wratislaviensis. Ad cuius persuasionem, Barbaris repressis, et terra Chelmensi in suum statum restituta, fratres Cruciferos in sui solatium advocat, et ipsis terram Chelmensem a Pruthenis defendendam assignat. Et recte avaritiam praefati Conradi Ducis iustitia punivit divina, nam qui Cristinum palatinum, felicitati et amplitudini eius invidens, propter praediorum, et fortunarum, tam apparatum quam ornatum, et rerum copiosam abundantiam excaecavit, et iugulavit, et prolem eius proscripsit, ipse non solum praedia et possessiones sed etiam principatum suorum terram insignem coactus est indebite alienare, et posteritatem suam ac reliquias Pruthenis gravi vexatione relinquit crudeliter impugnandam.

Plocensis Ecclesia, casuali incendio in castro Plocensi exorto, gravem percepit in rebus suis et suppellectili conflagrationem.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS DECIMVS OCTAVVS

Statum suum Pontificalem Vincentius Kadlubkonis Cracoviensis Episcopus intelligens diversis curis et periculis implicitum esse, ex pelago multifariorum naufragiorum evasurus, cum esset vir rara doctrina et religione immensa, Episcopatu, quem annis prope iam duodecim gesserat, redendum decrevit. Quod dum longe ante tempore facere nequisset, adversantibus eius sancto proposito Lesthon-

albo

illo Duci, et Cracoviensi Capitulo, qui et Rempublicam et Ecclesiam, persona tam egregia et insigni spoliatum iri vehementer nolebant, tandem frequentibus precibus et humilitate profunda, et Ducalem, et Capitularem sententiam expugnarunt. Cui dum successor idoneus quaereretur, Iwo filius Saulis Comitis de Conskie genere nobilis de domo Odrowasch, et natione Polonus, Cantor Gnesnensis, Canonicus Cracoviensis, et illi Leschonis Cracoviensis et Sendomiriensis Ducis Cancellarius, inter caeteros Duci et Capitulo dignior videbatur, qui et propter literarum peritiam, et prudentiae humanae fulgorem, Vincentio in Episcopatu succederet. Verum dum in admittenda Vincentij cessione, per summum Pontificem difficultas timeretur, Iwo assumpto sibi in comitem et consultorem Jaczkone de Opoliensi provincia, et villa Lanka orto, Canonico Cracoviensi, viro sensato, et industrio, ad Honorium tertium in urbem se contulit. Et tam Vincentij cessionem admitti, quam suam nominationem firmari, et in Cracoviensem Episcopum se promoveri, personam suam Ugolino Episcopo Cardinali Hostiensi, propter familiaritatem praecipuam, quam mutuam in studio Parisiensi contraxerant, coram Papa et Cardinalium Collegio altius efferente laudibus, facile obtinuit. Qui dum Romae promotionis suae pertractans negocia moraretur, Beatum Dominicum magnis iam prodigijs initia suae sanctitatis et religionis declarantem, videre, et eius conversatione familiari uti, praedicationi suae coram interesse promeruit. Et cum die quadam Stephanus Cardinalis ad Sanctum Sixtum, ubi vir Dei Dominicus cum fratribus suis morabatur, venisset, nepos Cardinalis praefati ex equo in foveam praecipitatus, plangentium manibus exanimis efferebatur. Vir Dei Dominicus, observante illum fratre Tancredo viro magnae religionis, atque dicente: Quid agis pater? casus iste tuae virtutis experimentum expectat. De superna Dominicus certus virtute, defunctum oratione fusa vitae pristinae incolumem reddidit. Quo quidem miraculo Iwo Cracoviensis Episcopus, qui omnibus, quae circa resuscitatum agebantur, aderat, provocatus, in Poloniam rediturus detinens, fratres a beato Dominico petijt. Alios autem obtinere non valens, tres suos comites et familiares, videlicet Jaczkonem, Canonicum Cracoviensem, qui et ipse de domo Odrowąsch, item Czeslaum Polonum, Henricum Moravum, et Hermanum Teutonicum ad ordinem per beatum Dominicum assumi obtinuit, et illos secum in Poloniam deduxit, primus ordinem praedicatorum in Polonia beato Dominico adhuc superstite plantavit. Et Ivo quidem ex Roma reversus, ab Henrico Gnesnensi Archiepiscopo in Episcopum Cracoviensem consecratus est. Vincentius vero in Andrziewiensis Monasterium, ubi tunc sacra Cisterciensis religio magnis fratrum studijs colebatur, se conferens, et habitum et ordinem assumpsit, et ex bono optimus effectus, nudum Christum sequi, et in vitae austeritate Deo suo militare coepit, unde solum hoc, quod inter nos et Deum, peccatis interlatrantibus, separat, praesentis vitae salum, pontificali exutus amictu, et cura expeditius tranaturus. Generosus enim spiritus ad superna et coelestia, summique boni visionem, semper anhelans, haud tolerare poterat, in terrenis, sicut in umbra, prorsus residere, nisi ad supercaelestes radios in sanctae religionis austeritate, mentis suae aciem attentius dirigeret

Colomanus filius Andreae Ungariae Regis, Russiam cum Ungarorum copijs adveniens, et a Haliciensibus, et a Duce Mscislao Mscislawicz magno honore susceptus est. Ducatum autem et arcem Haliciensem Mscislaus Dux, iuxta foedus cum patre suo rege Andrea initum, resignans, et de illis exiens, in Thorczsk se contulit, et anno sequenti rebus humanis exutus in Ecclesia Sanctae Crucis in Kyiow, quam fabricaverat, sepelitur. Cepitque exinde Colomanus Haliciensem Principatum pacifice possidere, non tamen diuturna fuit illi huiusmodi pacifica possessio.

Ducibus Czyrnichowiensibus copias suarum gentium contra Kamieniecz ducentibus, Dux Mscislaus Smolnensis et Polonicos in subsidium transmittit. Cui potenter Kamieniecenses dum non possent resistere, regio eorum varijs calamitatibus afflicta subiacuit

Ottho quartus Romanorum Imperator, qui cum Philippo annis undecim, solus vero annis decem regnaverat, quartodecimo Calendas Junij apud Ariomburg fluxu sanguinis moritur. Andreas Ungariae Rex patris sui Belae votum redempturus, in subsidium terrae sanctae transfretat, cum Duce Austriae et alijs diversarum nationum cruce signatis, et cum Saracenis pugnando Damiatam capiunt, et fere totam terram recuperant. Rex vero Ungariae brevi illic tempore commoratus, cum magno damno terrae sanctae, Patriarcha nequicquam dissuadente, et ex post excommunicante, rediisset, plures peregrinos, arma, galeas, et iumenta secum trahens

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS DECIMVS NONVS

Gnesnensis Ecclesiae Metropolitanus Henricus cum in Archiepiscopali Sede annis decem et novem sedisset, ad horam extremam perveniens, salutari sumpto viatico, vicesima secunda Martij moritur, et in Ecclesia Gnesnensi iusto honore sepelitur. Post cuius mortem Praelati et Canonici Gnesnenses, capitulo celebrato, Vincentium genere nobilem, natione Polonum eligunt. Qui tamen, probante electionem suam Vladislao magno Lyasskonogi Maioris Poloniae Duce, ab Honorio tertio in Archiepiscopum Gnesnensem confirmatur. Iste Archiepiscopus Henricus, cum esset animi generosi, in beneficijs distribuendis et facultatibus in libertatibus Ecclesiae Polonorum dilatandis, multos labores subijt et sustinuit, pro Ecclesiae Poloniae libertate acquirenda et dilatanda. Nam cum clerici et sacerdotes ad iudicia iudicum saecularium etiam pedaneorum indifferenter traherentur, etiam inviti, ipse de consensu et decreto unanimi Ducum Poloniae per eius solertiam et industriam ad eam sententiam inductorum, universos clericos, Monachos, conversos, Ecclesiastici fori privilegio fecit gaudere, ut non possint conveniri nisi coram suis Praelatis, scilicet Archiepiscopo, Episcopis, Abbatibus, Archidiaconis, et alijs Officialibus Ecclesiasticis. Nec per reconventionem

tionem, aut aliquam exceptionem, ad forum Laicorum possint compelli, sed nec coram ipsis Ducibus vel eorum Officialibus, Et eandem libertatem obtinuit Prediarijs et ascriptitijs Ecclesiarum, Deinde cum pro hac libertate confirmanda, Romam se personaliter conferendo, assiduo conatu et pro studio laborasset, et ibidem rebus omnibus pro libito apud Sedem Apostolicam pro voto obtentis, et consumato, accepto legationis officio, in Gnesnensem provinciam, et in Regnum Poloniae redijsset, cum magno honore a Ducibus Poloniae receptus, privilegium Ecclesiasticae libertatis in multis articulis, quibus Ecclesiastici viri gravabantur, petijt et obtinuit confirmari. Tandem Sinodo provinciali congregata, clericos in sacris ordinibus constitutos, uxoribus privavit, Et quia ex constitutione Petri Capuani Cardinalis Sedis Apostolicae legati super uxoribus dimittendis, nullus fructus hactenus provenerat, ne vagae licentia eis abuterentur, ipse omnes clericos tactis Sacrosanctis Evangelijs, uxores dimissas, et quaslibet concubinas fecit abiurare et ab eis se continere.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS VICESIMVS

Cracovienses Proceres, veriti ne proprijs Ducibus Lescone albo et Conrado sine liberis obeuntibus, in peregrinorum Ducum ditionem devenire cogerentur, Lesconem Ducem suum duodetriginta annos habentem, coniugem assumere compellunt. Varia tamen apud Consiliarios erant vota, alij enim cum Ungaris, alij cum Bohemis, alij cum Almanis, ceteri cum Ruthenis futuram affinitatem praestantiorem iudicarant, Vicit tandem ea pars quae amicitiam cum Ruthenis suadebat. pro illa tempestate Ruthenorum amicitia potior iudicata est, tum ut dominium Polonorum, latius posset porrigi, tum ut cum Ruthenis pax plurimis bellis et simultatibus infecta, posset reformari. Itaque ex Consiliariorum sententia Lestko albus, virginem et genere et moribus formaque ingenua, Grzymislawam, filiam Jaroslai Ducis Russiae accepit in uxorem, et nuptiae sumptu et apparatu magnifico in urbe Cracoviensi celebrantur. Quarum celebritas peractis militares et hastarum ludos in dies plures fuit producta. Ea demum affinitate tam Polonis quam Ruthenis certa et optima pax affulsit, iugis bellis, quibus se utrinque collidebant, penitus sublatis, et superioribus iniurijs obliteratis. Captivi quoque in bellis transactis, capti, tam ingenui quam agrestes manumissi.

Cristinus, alias Christianus frater ordinis Cisterciensium, per Conradum Masoviae Ducem, in Chelmensem Episcopum assumptus est, et per Honorium Papam tertium provisus. Hunc Conradus praefatus propter suas virtutes et probitatem, et quia Ducem Slesiae Henricum, Michelem Vratislaviensem, Laurentium Lubucensem, Episcopos, et alios plures milites, cruce signatos, ad reparandum castrum Culmense, a Pruthenis solo aequatum, et desolatum induxit, plusquam centum villas in terra Culminci donavit

Fridericus Secundus Romanorum et Siciliae Rex, Henrici quondam Imperatoris filius, morte Othonis Imperatoris sequuta, rebus Imperij miro modo pacificatis, cum magno apparatu Romam veniens, honorifice a Papa Honorio et Senatu receptus est, et in Basilica Sancti Petri, vigesimum octavum agens annum, imperiali benedictione ab eodem Honorio sublimatus

Magno livore acti Russiae Duces, quod Colomannus Ungariae Regis filius pacificam arcis et regionis Haliciensis occupationem hactenus possedisset, Danielem Romanowicz Ducem suapte ad id proclivem, quod regionem ipsam pater suus habuerat, incendunt. Qui illorum adiutus suffragijs in Haliciam adveniens, et neglecta omnia offendens, arcem occupavit, et Colomanum inde cum Ungaris in Pannoniam effugat

ANNVS DOMINI MILLESIMꝰ DVCENTESIMVS VICESIMVS PRIMVS

Motibus exterioribus atq; bellis quietatis, nouum dispendium Poloniam, siue coelestis id faciebat ira, siue fatorum necessitas peruasit. A festo sequenti Paschae usq; ad tempora autumnalia, pluuiarum et imbrium continuus descensus, tantam fluuiorum inundationem causauit, et aquis supra modum crescentibus et inflatis, quidam particularis Cataclismus terris timebatur accidisse. Vndarum autem tam horrenda et insolita eruptio et plerasq; villas in basso sitas demolitione perpetua absorbuit, vernalia frumenta seri prohibuit, et quae terrae per autumnum inserta erant, vorauit, praeter loca pauca, quorum agros, collium aut montium altitudo, a peste solummodo defenderat. Germina etiamq; frugum solummodo alluuione depasta, multis incommoditatibus non solum Poloniam, sed et omnes finitimas regiones, in quibus aqua prouenerat, vexauerat. Nam et domesticorum animalium pabulis deficientibus, mors primum obuenit, deinde famis valida, et spatio triennali continuata, etiam plurimos mortales agrestes praecipue victualium inedia tabescentes adeo absumpsit, ut plures villae et oppida habitatoribus consumptis vacua desertaq; remanerent. Malum autem solummodo ex imbrium multiplicitate surgens, hyems grandis et sine exemplo pruinis ingrauauit, sub quo etiam tempore hominum et pecudum magna mortalitas pestisq; sequuta est.

Fridericus Secundus Romanorum Imperator, et Siciliae Rex, quamuis in principio sui imperij sincere et religiose se erga summum Pontificem gessisset, velut filius ab Ecclesia educatus, et quia illum ceteris praeteritis in culmen imperiale suo fauore opera et authoritate erexerat. Verum in processu morte patris sequuta, ab iniquis consultoribus subuersus, in Sicilia Ecclesias grauare, et in seruitutem redigere coepit. Quamobrem Honorius Papa paterne primum illum monuit, ut a talibus desistat, quo non obtemperante contra ipsum processit, per sententiam excommunicationis, et cum magis rebellem et contumacem aduerteret, manum suam contra illum agrauat, et omnes subditos, tam Regni Siciliae, quam imperij a iuramento fidelitatis absolvit. A quo quidem tempore Fridericus praedictus magnam tyrannidem in Ecclesiam et omnes sibi adhaerentes et devotos exercuit, et illam usque ad diem mortis suae non remisit.

Undecimo Calendas Julij apud oppidum Corczin, Grzymyslawa Ducissa consors Lesthconis albi Cracoviensis et Sendomiriensis Ducis, infantem pulcherrimum enixa est, qui patre iubente Boleslaus nomen accepit. De cuius ortu pater vehementer exultans, cum illum maximis votis expetijsset, et celebritatem magnificam diebus aliquot Cracoviae tenuit, et in Ecclesias, Monasterias, pia loca, et miserabiles personas, multos liberales sumptus gratificaturus donum sibi caelitus praestitum effudit

Andreas Ungariae Rex iniuriam suam et filij sui Colomani per Danielem Romanowicz Ducem irrogatam, ulturi satagens, duos filios suos Colomanum et Belam contra Danielem et Halicienses cum magnis copiarum exercitibus et Baronibus praecipuis transmittit. Qui etsi Haliciense castrum tribus Hebdomadis obsidione et impugnatione vexavissent, et propediem illius conquisitio speraretur, duplex tamen malum videlicet Dissenteriae pestis, et famis, in exercitum et equos eius saeviens, ipsos coepto inito redire in Ungariam plurimis desideratis coegit, plures etiam pabulandi gratia longius progressi capiebantur a Ruthenis aut obtruncabantur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS VICESIMVS SECVNDus

Singulari erga Beatum Dominicum et novum ordinem suum, iam ab Honorio Papa tertio confirmatum, Ivo Cracoviensis Episcopus flagrans devotione aliquanto tempore ex quo de Italia cum fratribus sibi per Beatum Dominicum consignatis Cracoviam advenerat, deliberatio illum tenuit, quonam in loco primitias servorum norum Dei locaret. Communicato autem super hac re cum Lesthkone albo Cracouiensi et Sendomiriensi Duce, necnon Capitulo et Consulatu Cracouiensi consilio, Ecclesiam beatae Trinitatis, quae matrix et origo Parochiarum erat, et locum spaciosum, pro conuentu et officinis Monasterij, fratribus Beati Dominici, assignauit, locumque praefatum, calicibus, casulis, libris, caeterisque ad cultum ministeriorum necessarijs dotat, fratribus habitacula construit, et eorum defectibus prouidendo, tam habitum quam victum administrat, Quorum vitam et religionem Jaczeli de prouincia Opoliensis, Canonicus Cracouiensis aemulatus, ordinem eorum, cum pluribus alijs, quorum pectoribus clementia diuina, terrenorum contemptum infuderat, assumit. Erigit et tunc Iuo Episcopus in circo urbis Cracouiensis nouam Ecclesiam, et eam in honore beatae Mariae Dei genitricis dedicat, et in eam ius Parochiae, quae alias apud Sanctae Trinitatis Ecclesiam constiterat, transsumit, et transfert.

Famis malum quo Polonorum regiones anno superiori afflictae fuerant, etiam in annum praesentem serpens multis incommoditatibus Polonos possiderat.

Sub eodem tempore atque anno Iuo Cracouiensis Episcopus praefatus, feruido erga Deum et cultum nominis sui augendum aestuans ardore, in vico patrimonij sui haereditario Kacziecze vocato, prope Slumniki oppidum in sua Cracouiensi Dioecesi sito, Cisterciensis ordinis Monasterium de nouo erigit, atque instituit. Cui pro dote villam eandem Kacziecze et villas Prondoczyn, Monilowicze, Cholenicze, necnon decimas manipulares mensae Episcopalis in eisdem villis quatuor prouenientes consignat, donat, et inscribit, Ecclesiamque vasis et vestimentis necessarijs exornat.

Plocensis ciuitas per Pruthenos et Pomeranos vastatur et comburitur, magnaque clade tam ciuitas Plocensis quam regio Masouiae a barbaris obruuntur.

Sed neque in solo Pontifice Cracouiensi Iuone, amor Dei vigentissimus conspicuus est, quin etiam in aliorum cordibus flammam suae dilectionis accendit, Nicolaus siquidem de Hen

ricow

richow, Ducis Vuratyslauiensis Henrici cum barba, secretorum notarius, genere et actione nobilis, dum annis pluribus in obsequiis eiusdem Ducis Henrici cum barba versatus non paruam rerum et pecuniarum suppellectilem collegisset, Dominae suae Ducissae Sanctae Hedwigis et conuersatione aedificatus, et exemplo, quam coelesti amori totam viderat fore mancipatam, de consensu et annuentia Ducis Henrici cumbarba, in villa patrimonii sui Henrichow, Vuratyslauiensis Diecesis, prope Nissam sita, Monasterium ordinis Cisterciensis fundat, et tam villa illa, quam aliis ad illam spectantibus, locum dotat, inque sua Deo donasse omnia contentus, locum etiam ipsum spreto saeculo ingressus, assumpto habitu, in ordine usque ad mortem felix fundator militauit.

Vngariae Rex Andreas nouo exercitu in eum annum comparato, filium Colomanum contra Halicienses transmittit, qui magis quam anno transacto usus prospera fortuna, Daniele Romanowicz Duce non ultra audenti se sibi suaque potentiae opponere, absque omni resistentia Haliciensium potitus est regione et arce.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS VICESIMVS TERTIVS

Miserabilium personarum, quarum in Ciuitatem Cracouiensem frequens concurrebat multitudo, statui et conditioni Iuo Cracouiensis Episcopus consulens, in villa Prandnik ante fores Cracouien. sita, de consilio et assensu capituli sui Cracouiensis, Hospitale, ut esset omnium miserabilium personarum in utroque statu receptaculum, erigit et fundat, quod Fulco Episcopus Cracouiensis fundare, dotare, ni morte absumptus fuisset, decreuerat. Et villa Cronodza, item villis utrisque Vurocmin, item decimis nonnullis manipularibus, de mensa sua Episcopali, sufficienter dotat, et in Hospitali huiusmodi fratres Hospitalarios, qui de Saxia nominantur, duplatam crucem albam, in pallio nigro deferentes, sub regula Beati Augustini militantes, instituit. Verum perpendens situm in villa Prandnik, Hospitali huius modi a se erecto, velut a frequentia et conditione hominum longius distanti, parum conveniri, Hospitale praefatum de Prandnik in Cracoviam transfert, et in Sancti Spiritus honorem Ecclesia dicata, tam pro fratribus Hospitalarijs Monasterium, et monasterij officinas, quam pro infirmis et miserabilibus personis habitacula construit, utrosque de mensa sua inopiam sustentans, et defectus, propter famem, quae altero iam anno Poloniam, segetibus aquarum imbribus absumptis, vehementius premebat. In translatione autem huiusmodi Anno Domini Millesimo ducentesimo quadragesimo quarto, sexta die mensis Aprilis facta, Iwo Episcopus praefatus, Hospitali huiusmodi duas Ecclesias Parochiales, unam dedicatam Sanctae Cruci in Cracovia, alteram Sancti Martini in villa Episcopali in Biskupicze supra Vieliczkam sita, cum earum decimis et proventibus pro eiusdem Hospitalis subsistentia univit.

Vincentius Kadlubkonis olim Cracoviensis Episcopus, cum annos quinque in ordine et Monasterio Andreoviensi religiose exegisset, octava die mensis Martij, laborum suorum immarcescibilem coronam a Christo, propter quem omnia deseruerat, percepturus, carnis ergastulo solutus est. et in eodem Andreoviensi Monasterio in Chori medio sepultus est. Qui dum Pontificalem adhuc Cracoviensem regeret Cathedram, vivacitate ingenij qua pollebat, super rebus gestis patriae, discreto politoque stilo, quae incipit Tres trabes ex causis Theatralis exedrae soliditatis, edidit Chronicam. Quam sic accurate cogitatique perscripsit, ut ad priscorum laudem maxime accesserit, quos tanto tempore admiramur, multa de externis gestis, pluraque de proprijs perstringens per varia historiarum quaedam carminum et apicum Polonicis fuit, pulcherrima varietate innexuit, quae a multis Polonorum celebratur et legitur, et ob varietatem tam domesticae quam peregrinae historiae, et ob elegantiam scriptionis, gravitate verborum lucens, non vulgarium, Licet car-

patur

spatio a quamplurimis quod verbosus fuerit, alienarum historiarum diligens, propriarum negligentior scriptor, Hic decem praebendas in Kelcensi Ecclesia et fundasse et dotasse asseritur, decimas quoque manipulares iuxta Czchow consistentes ab Ecclesia Parochiali in Brzezie abstractas, Capitulo, et Ecclesiae Cracoviensi pro administratione cerae, vini, et olei contulisse

Vuladislaus Otthonis maioris Poloniae Dux, cum annis fere novem, metu patrui sui germani Vuladislai magni Sive Lyaskonogi apud Pannonios exulasset, in Poloniam clandestine sub habitu Monachali, ne agnosci a Polonis posset, revertitur. Isto perprius perinternuntios affinitatis foedere cum Svantopelcone Pomeraniae praefecto quod illius sororem germanam Helingam nomine sibi matrimonialiter locaret, qui sibi in spem amplae dotis suffragia, quibus paternam a patruo repeteret sortem, obligarat se laturum. In primitaque Vuladislai Otthonis ex Ungaris reventu, Vuladislaus ipse ferente sibi Svantopelcone Pomeraniae Capitaneo opem, scalarum, et ingenia, castrum Vszecze situ et arte fortissimum, quod duo flumij videlicet Notecz et Gunda ambiunt, negligentius a Capitaneo asservatum, septima Octobris mensis die irrupit, occupat, et conquirit, et vicinas ex illo exinde vexare coepit regiones

Gregorius de Crescentia Cardinalis, et Honorii Papae tertij de latere legatus, venit Poloniam, et tam a Lesthcone albo, quam Ivone Episcopo et universis ordinibus in Cracovia cum magno honore susceptus est, ubi et pluribus diebus immoratus, et quosdam clericorum resecuit abusus, et nonnullas edidit pro Cleri regimine constitutiones. Sub cuius praesentia Iacobus eiusdem Cardinalis Secretarius natione Romanus, ordinem praedicatorum in Monasterio Sanctae Trinitatis Cracoviae assumpsit, saeculo renunciando, familiaribus eiusdem Cardinalis ingressum suum fletu et lacrimis prosequentibus, Et Ecclesia Sanctae Trinitatis in die Sancti Gregorij per Ivonem Episcopum consecrata, in coenobialem ex Parochiali translata.

Roslaus

Goslaus alias Gethko Plocensis Episcopus, cum annis decem et septem sedisset moritur, et in Plocensi Ecclesia sepelitur. Praelatis autem et Canonicis Plocensibus monstruosam et discordem electionem, de aliquot personis celebrantibus, vacatio Plocensis Ecclesiae in biennium producta est, Qua tandem meliori concordia recisa, Ioannes succedit, cedente demum suo Gunthero qui se gerebat pro electo Plocensi, cum discordia inter eum et Ioannem alterum electum in biennium extracta fuisset. Fuit autem hic Ioannes Polonus nobilis de familia Goszdovitarum, aetatis iam tunc infirmae et fractae.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS VICESIMVS QVARTVS

Macratis aut absumptis in Polonorum regionibus biennali fame, plurimis mortalibus, annus tertius, duobus transactis serenior advenit, qui non solum domesticis animalibus, sed et hominibus extitit fatalis, et ampliorem stragem posterius quam duo praeteriti in hominibus et bestiis causavit. Nonob id tamen de legum severitate quicquam detractum aut remissum est, sed iura populis in fame iuxta atque in ubertate reddebantur. Colloquio autem, quod Poloniae generale et sacrosanctum iudicium nullam admittens prorogationem est, in Rozegrocz instituto, Lestko albus Cracoviensis et Sandomiriensis Dux ac Polonorum Monarcha solus per omnes dies, quibus iudicium tenebatur, iudicio praesedit, et non sine omnium admiratione causarum nodos prudentissime dissolvit. Illuc cum Cletus Agriensis Episcopus ab Andrea Ungariae Rege missus, legatus ostendit. Summa legationis erat de transmarinis partibus, in quas pro defensione terrae sanctae, paternum votum redempturus transfretaverat, alacrem et incolumem et nonnullis Sanctorum ossibus onustum in Ungariam redisse differens, subinferendo petebat, ut motus nonnulli inter eos qui Regnorum confinia incolunt, per sui absentiam exorti sedarentur, passisque damnum et iniuriam restitutio procuraretur. Orabat

bat dirimi; ut si illum Bohemis bellum inferre contingeret, in sui solatium, vel personaliter veniret, vel militiam suam transmitteret. Et de reddita quidem vicinia atque amicitia Regis, a Lesthcone Duce amico more congratulatum est. Correctio deformitatum et resarcio damnorum inter subditos accepta, et ob id dies certa, iuxta observantiam, in regnorum metis instituta, sed et suffragium in Bohemicam expeditionem per se aut militis ferendum repensum.

Pruthenj barbari facta irruptione in Monasterium Oliva, Abbatem cum fratribus et universo viventes captivant, et versus Gdansk deductos omnes crudeli morti interimunt. Et exinde terras Culmensem et Lubaviensem per insultus et excursiones clandestinas vastare ceperunt. Ad quorum compressionem Conradus Dux Masoviae, fratres Cruciferos, qui dicebantur milites Christi, nigro ense et cruce signatos accersiunt, et castrum Dobrzin ut contra Prutenos bellarent, eis tradidit. Sed illis non proficientibus, et tenuem resistentiam barbaris opponentibus, terrae praedictae Culmensis et Lubaviensis fuerunt penitus desertae et destructae.

Ducissa Grzimislawa Lesthconj albi consors partum femineum edidit, qui etsi patri Lesthconi simpliciter gratus esset, eo tamen uno iocundabatur, quod filia tum genita et sterilitatis opprobrium consorti suae abstulerat, et arra certissima futurae masculinae prolis erat: quae in Baptismo patre iubente Salomea vocata est

Lantgravius .... Poloniae Principatus invadens castrum et civitatem Lubusz conquirendo occupavit.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS VICESIMVS QVINTVS.

Ad notoriam suam ignominiam et offensam, Henricus cum barba Silesiae et Vratislaviensis Dux existimans pertinere, quod Lesthco albus Casimiri filius, Monarchiam Polonorum et Cracoviensem Ducatum, qui sibi velut Duci seniori, et natu maiori debebatur, occupasset, exercitum tam de suis, quam de exteris gentibus precio conductis comparat et versus Cracouiam procedit, Lesthonem album de Monarchia amoturus, Marci Palatini Cracouiensis et aliorum militum suae factionis persuasione inductus. Orta enim dissensione inter Ivonem Cracouiensem Episcopum, Hostasium Comitem, et eorum societatem, qui erant de armis Odrowansch ab una, et Marcum Palatinum Cracouiensem, Magistrum Andream filium Clementis, et eorum cognatos dictos Gryffonum, partibus ab altera, pro eo quod Dux Lestho Cracouiensis Johannem militem fratrem germanum praefati Magistri Andreae Can[onici] Cracouiensis, et nonnullos eius cognatos habitis officijs dignitatibus magistratibus ex ea causa priuauerat, quod cum in Masouiam in custodia cum Derslao filio Abrahe et Budislao filio Crzeslai, fuissent ad defensionem terrae positi, facto incursu Prussenorum, praedictis Marci Palatini cognatis per fugam sibi consulentibus, et vitae suae, Derslaus, Budzislaus, et alij multi pro defensione patriae in conflictu occubuerunt. Unde cum vidissent ad honores se non posse restitui, machinantur Ducem Leshonem de Cracouia eliminare, et Henricum Ducem Vratislauiensem substituere. Quapropter Marcus Palatinus cum suis cognatis et socijs exulando ad Henricum Ducem Vratislauiensem proficiscuntur. Qui congregato exercitu venit Cracouiam, et stetit ibidem octo diebus. Sui autem propositi Lestho albus non ignarus, et gentes plurimas de dominijs suis contra Ducem Henricum armauerat, et Conradum Masouiae Ducem germanum suum ad repulsionem huiusmodi iniuriae cum omnibus Masouiensium et Cracouiensium militum copijs in adiutorium suum accersiuerat, inferendum sibi ab Henrico bellum duplatis viribus et conatu omni atque annisu propulsaturus. Jam Henricus cum barba Dux Silesiae usque ad fluuium Olubnia non longe a Cracouiensi ciuitate peruenerat, ibique statiua habebat, dum utrique Dux Lestho albus et Conradus ordinatis aciebus illum excipiunt, ad decernendum parati et accincti. Henricus autem Silesiae Dux cum et suapte esset vir ingenij pacifici et modesti, et a coniuge sua foemina beata Hedwigi crebro admonitus foret, et sede sua Vratislauiensi contentus, statum suum et suorum, solum querendo Monarchiam, non adduceret in discrimen, cum et Lesthonis Conradique copias sibi multo fortiores superioresque non ignoraret, et milites suos grandi pavore paucitate sua conspecta et hostilibus viribus pensatis, intelligeret perculsos, missis reconciliatoribus, colloquium extemplo expetiit. Quod cum a Lesthone et Conrado Ducibus, quippe et ipsi ciuile et fraternum certamen magnopere abhorrebant, concessum esset, in tabernaculum, in meditulio utrorumque castrorum ad id defixum, cum certo et aequali Consiliariorum numero conveniunt. Ubi primum Henricus Dux dicere orsus longum de iure suo, quod sibi in Monarchiam Polonorum competebat, sermonem disseruit. Cui cum Lestho albus respondendo rationes suas dissoluisset, Iuonis Cracoviensis Episcopi et ceterorum Baronum interpositione pacificantur, et in eam concordiam rediguntur, quod Henricus Vratislauiensis et Slesiae Dux de omni iure et titulo Monarchiae Polonorum Lesthoni albo cedit, et omne ius in Monarchia sibi competens in Lesthonem transfundit. Initum est et a Ducibus speciale foedus, et iureiurando firmatum, ut unus alterius proveheret honorem, et commoda et occupationem terrarum et Ducatuum, quos sortiti fuerant, non appeteret. Datis deinde inter se muneribus, celebratis etiam conviviis, in magna animorum identitate et amore, ex hostibus facti amicissimi, in suos Ducatus revertuntur. Lestho siquidem albus icto foedere, tam Henricum Slesiae, quam Conradum Mazouiae in Cracoviam invitaverat, et tam ipsos quam eorum milites magnificis tractavit necessariis. Conrado tamen in Mazouiam divertente, Henricus Silesiae Dux octo diebus in Cracovia moratus est, splendide et humanissime a Lesthone habitus, etiam amplis donis a Lesthone sibi datis onustus, laetus in Silesiam remeabat, cum apud Cracoviam stando octo dies absumpsisset. Turrium Ecclesiae Crac. Cathedralis, item turres Monasterii Sanctimonialium in Swierzyniecz, item dormitorium fratrum Praedicatorum in Cracovia, fulmine tecta accensa et cremata sunt, hominibus illaesis et incolumibus.

Wladislaus

Vuladislaus Otthonis Maioris Poloniae Dux, suffragio filiorum Joannis Albrachti et Laurentij adiutus, Monasterium Mogilno devastat, et depraedatur. Anno vero insequenti, idem Vuladislaus Dux Dobrogostium et alios multos nobiles Poloniae occidit, et Horrea Vuladislai magni in Miedzyrzecz et alijs villis pluribus depraedatur, et incendit, et Poloniam maiorem subijcit vastitati. Eiectus enim fuerat potenti brachio per Lesthconem Ducem Cracoviensem, et per Vuladislaum Senem de suis principatibus, videlicet Calisiensi, et Rendensi, nec in Poloniae Regno consistere ausus, in Vngaria, Bohemia, et Almania, annis aliquot agebat exilium Sed affinitate et suffragio Swantopelci Pomeraniae Ducis, ducendo sororem eius in uxorem, parans exiliatoribus sua ulterius, in singula quaecunque infamia maximo conatu grassabatur

Colomanus Andreae Vngariae Regis filius dum annis tribus in principatu Haliciensi sedisset, apud Haliciensem arcem, morbo incertum est an veneno correptus moritur Post cuius mortem Daniel Romanowicz Dux, Ruthenis faventibus, arcem et regionem Chaliciensem occupavit, in eaque consedit, Sed Isaslaus Dux Haliciensis Ducatum sibi vendicaturus, fretus Polonorum auxilio contra illum venit, et pugna commissa Daniel Dux victus succumbit, Dux quoque Vuladimirus et frater suus qui Danieli solatia tulerant, capiuntur, propter quod arx et regio Chaliciensis in ditionem Mechalonis Ducis favente Isaslao concessit

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTTESIMVS VICESIMVS SEXTVS.

Iniuriam suam Vuladislaus magnus alias Laskonogi Maioris Poloniae Dux, per nepotem Vuladislaum Otthonis illatam vindicaturus, et castrum Vscze quod intercoeperat, recuperaturus, omnium suarum terrarum colligit exercitum, et Vscze castrum obsidione vallans, etiam nepotem suum Vladislaum Otthonis in eo concludit, omnibusque expugnationum generibus usus, nunc bombardis illud quatit, nunc turres admovet, nunc militum manu ad eius conquisitionem intendit. Sed cum et a Vladislao Otthonis, et suis castrum strenue defenderetur, ipse etiam situs loci, conatus Vladislai magni facile dissolveret, et spes suae reciderent in irritum, obsidio in diem Sanctae Margarethae extracta est, cum primo vere cepisset. Remittebant itaque milites animum, et negligentius obsidionis munera eis distributa, sive ad stationes et excubias eundum esset, sive cum hostibus dimicandum, sive ne quid ad obsessos importari posset, prohibendum, obibant. Sed et obsessi negligentiam huiusmodi obsidentium, cessando ab eruptionibus et lassos penitus victos se fingendo, amplius nutriebant. In apostolorum itaque divisionis die, dum soluta omnia in castris obsidentium, Vladislaus Otthonis, quosdam etiam stationibus desertis, longius a castris progressos, quosdam somno stratos, alios inermes, nonnullos per ebrietatem temulentos, superne ex arce conspexisset, suos ad bellum paucis cohortatus, promittens illos si paululum adniti velint, ea die posse fieri victores, in castra hostilia, cum omnibus qui secum obsidebantur, irruit, et tumultuario inermes aggressus, omnes sternit, aut fugat, maioremque quam pro numero stragem, cunctis pavore perculsis diffugientibus, edit. Sed et Palatinum Posnaniensem Dobrogostium, cum pluribus insignibus aliis militibus obtruncat, donec clamore et cohortatione Ducis Vladislai magni milites globo facto ipsum de castris, nonnullis etiam suis aut sauciatis aut vulneratis, aut cadentibus in castrum retrocedere compellunt. Qua quidem clade Vladislaus Liaskonogi deterritus altera die motis castris, ~~sed~~ obsidionem solvens, abiit. Sed Vladislaus Otthonis et Swantopelconis affinis sui et aliquorum militum, qui suae parti favebant, fretus potentia, patruum insequutus Posnaniense et Calisiense castra, et civitates quae sua fuerant, dedentibus se castellanis et civibus, comprehendit, et omnia quae ditionis suae erant recuperat, circa Siras, in Mrozewicz et in aliis pluribus locis vastat, praedatur et incendit, et maiores Poloniae terras pluribusque incursionibus et spoliis affligit.

Rzimislaus

Grzimislauua consors albi Lesthonis Ducis Poloniae Regni et Monarchae, filium pulcherrimum apud oppidum novae civitatis Korczin enixa est, omnis nativitas in magnum gaudium cessit. Baptizatus autem a fratre Gerardo Sicomtali ordinis Praedicatorum, et fratre Artungo eiusdem ordinis et Satrapis Regni, Boleslaus vocatus est, patre Lesthone iubente.

Cracoviensis Episcopus Ivo Monasterij in Kaczicze ordinis Cisterciensis quod nuper fundaverat, conditionem meliorem effecturus, cum intelligeret situm loci parum idoneum, pro Monasterio fore; de sui Capituli Cracoviensis consilio et assensu, in villam paternae sortis Mogilam prope fluenta fluminis Vuyslae, locum uberem et egregium et pluribus commoditatibus refertum, illud transfert. Nonnullas decimas manipulares mensae Episcopalis in oppido Dobschicze et villa Vurnari, villisque alijs circum Dobrzetze situatis. Monasterio donat. Pulcherrimoque opere partim ex dolata petra, partim ex cocto latere, tam Ecclesiam quam Monasterium aedificat, pulcherrimae compositionis et dotationis venustate, et honori beati Pauli Apostoli illud dedicat et intitulat. Quod quidem salutiferum opus, cuius tunc iacta sunt fundamenta non sine amplissima praefati Pontificis laude temporum successu prosperatum, etiam in hodiernum propter divinitati in religionis cultura et temporalium affluentia perseverat. Praefatus insuper Ivo Episcopus anno eodem, secundum Monasterium ordinis Praedicatorum, sub titulo beati Jacobi in Sendomiria erigit, et fratribus loco consignato, etiam Ecclesiam, cellas, et Monasterij officinas, fratribus construxit, celebravit. Et hoc anno Vincentius Archiepiscopus Gnesnensem Synodum in Ecclesia Sancti Blasij, ubi contentione de prima sessione inter Ivonem Episcopum Cracoviensem, et Laurentium Episcopum Vratislaviensem exorta, Ivone Episcopo Cracoviensi ius suum per privilegia Apostolica probante, Laurentio Episcopo Vratislaviensi nihil opponente aut producente, de loco tamen cedere nolente; Ivo ex Synodo recessit

Honorius Papa tertius, cum annis undecim, mensibus duobus, diebus tredecim in Pontificatu Romano sedisset, Romae moritur, et in Ecclesia Mariae maioris honorifice sepelitur. Cui Hugolinus Episcopus Cardinalis Ostiensis natione Campanus frater Ordinis Praedicatorum Gregorius Nonus appellatus, apud Septisolium electus, nona Martij succedit, qui multas a Friderico Imperatore pertulit adversitates

Ioannes Plocensis Episcopus cum annis quatuor sedisset, obijt a podagrica vexatus passione, Cui per electionem Canonicam Guntherus Canonicus Plocensis successit, nobilis de domo Prussorum, a Vincentio Gnesnensi Archiepiscopo apud Tucinam Conrado Mazoviae Duce consentiente confirmatus et consecratus

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS VICESIMVS SEPTIMVS

Et affinitate, quam cum Vladislao Otthonis Maioris Poloniae Duce, per sororem Swentzopelcus Pomeranorum Capitaneus, et plurimis opibus terra marique in praefectura Pomeraniae quaesitis, nec non et successivam felicitate, qui et sibi et Vladislao Otthonis provenerant, in singularem pompam elatus, Dominum et Principem suum Lesthonem album Cracoviensem et Sendomiriensem Ducem, cuius vice et authoritate honore praefecturae apud Pomeranos fungebatur, per se et crebras legationes sollicitare coepit, quatenus illum in Ducem Pomeraniae creare, et sibi usum purpurae, titulumque principatus Pomeraniae, superiori dominio sibi reservato concedere dignaretur, Boguslaum de armis Gryffonum, quem inferioris Pomeraniae et Cassubitis liberalitas Boleslai Crzywousti Polonorum Principis filij Vladislai ex Barone in Principem creaverat, cuiusque filios et nepotes in terris ipsis Principatum gerere videbat, sibi et Duci Lesthoni proponens in exemplum. Sed cum Lestho albus petitionem ipsam velut frivolam et temerariam damnaret, et plurimum ob id contra Swantopelconem irarum conciperet, Swantopelcus repulsam irritatus, ad defectionem spectare coepit, tributaque ex Pomerania Lesthoni albo solvi solita mittere intermisit. Cuius rebellionem et contumaciam Lestho albus antequam altius serperet coalesceretque in ipsis initijs oppressurus, communicato cum Henrico cum barba, Slesiae et Wratislaviensi Duce, in quo rerum et actionum suarum ex familiaritate pridem contracta, sumpserat praecipuam fiduciam, consilio, apud Gąszawam praedium Monasterij Trzemesnensis prope oppidum Znenam situm, pro die Sancti Martini indicit celebrandum conventum, iubens Swantopelkonem Pomeraniae praefectum illi personaliter interesse; Specie quidem, ut Rebuspublicis Polonorum velut Monarcha provideat, et illis stabilimentum firmitatemque imponat, re autem vera, ut Swantopelkonem illuc sine suspicione advenientem opprimat, corripiatque, et terris Pomeraniae, in quibus se admodum firmaverat, in suumque nomen milites iurare impulerat, sine bello, et armis exueret. Verum Swantopelkus Pomeraniae praefectus, ut erat vir, et prudentia, et calliditate rara pollens, conventum apud Gąsawam non contra alium nisi se et suum periculum, prout erat, indictum ratus, omni humanitati abdicta, cum affini suo Vladislao Otthonis, in Lesthonis albi et Henrici cum barba, quem cum Lesthone albo venturum agnoverant, caput conspirant. clandestinasque conflant insidias. Ad quas perpetrandas, Vladislaus Otthonis maioris Poloniae Dux, quamvis Lesthoni albo et Henrico cum barba, propinquo consanguinitatis gradu coniunctus, compertus est aspirasse; Swantopolkoni Pomeraniae praefecto ad permulcendum animum eius, universi Regni Poloniae principatum, Lesthone et Henrico sublatis, destinanti. Cum itaque ad diem Sancti Martini constitutum Lestho albus fraudem et dolum abesse putans, conficiendae quoque rei et recuperandae Pomeraniae studio captus, et Henricus cum barba, Conradus Masoviae, Duces, in Gąsawam pro tenendo conventu, cum Baronibus militibusque et frequentia hominum, convenissent, et diebus aliquot cum Vladislao Otthonis Maioris Poloniae Duce, in continuis, de stabilienda inter eum et Vladislaum magnum Lyaszkonogi patruum suum Gnesnensem Ducem pace versarentur, tractatibus, in insidias praecipitati sunt, Dum enim praefati Duces a Pomeranis satisfactionem de grassat² et damnis quae per frequentes insultus, cum Vladislao Otthonis in terris Poloniae fecerant, peterent, alioquin iniurias propulsando minarentur terram Pomeraniae hostiliter se invasuros, Swantopelkus Pomeraniae praefectus venire differens, adventum suum Duci et domino suo Lesthoni albo intimabat, frequentibus nunciis, explorandae rei quae in Gąsawa gereretur, gratia magis, quam pro sui excusationis transmissis. Iam quarta ex quo in Gąsawam Duces convenerant agebatur dies, et plurimarum rerum expeditione perfecta, balnea ad curandum abluendumque corpora intraverant, cum subito Swantopelcus Pomeraniae Capitaneus, opportunitatem temporis per exploratores sibi declaratam, in suffragium sui doli habiturus, nusquam magis nocere se Duci Lestkoni ratus, quam cum amicus putaretur, cum gentium ex Polonis et Pomeranis collectarum multitudine, supervenit, et hostiliter tam hospitia quam tabernacula Ducalia et militaria irrumpens, singulos sibi resistentes obtruncat. Cuius periculo Duces in balneo consistentes intellecto, Lestko quidem albus velut corpore iuvenili vegetior, de balneo exilit, et equo, a suis sibi ministrato conscenso, versus villam Marcinkowo, paucis illum comitantibus, fugere cepit. Quem Swantopelcus omnibus aliis praetermissis, velut praedam dudum concupitam, insectatus, suos omnes in illum unum exhortabatur, asserens omnem triumphum suum in illo uno corpore consistere. Itaque pauci a multis undique circumdati, quamvis diu satisque et strenue luctarentur, ad extremum tamen omnes una simul cum Duce et Domino suo Lestkone albo a nephario proditore perimuntur. Tanta autem fuit Swantopelconis et suorum ad delendam stirpem regalem, et eorum, qui secum una venerant, rabies, ut non solum in milites et armatos, sed etiam in nudos, et eos qui in balneo consistebant, saevirent. Henricus enim cum barba Vratislaviensis et Silesiae Dux a carnificibus in balneo comprehensus aliquot sauciatur vulneribus, et ipse tunc occubuisset, nisi miles suus vocatus Peregrinus de Weisenburch mira fidei magnaque devotione in dominum et Principem suum usus, corpus Ducale suo tegens, obstitisset. Tandem multis vulneribus confossus in terramque procidens, etiam cadaver exanime in corpus Ducale superiecit, et uterque mortuus creditus, saeviciam carnificum remisit. Maxima profecto et plusquam rara militis in Principem suum fidei, qui occidendi Principis in se mortem transtulit, et spontaneum se pro vita Domini sui, mortis constituit vicarium. Poterat et Lestko albus Dux Cracoviensis mortem evasisse, si aeque fortem, aeque fidum, in sua cohorte, iuxta ac Dux Henricus nactus foret militem. Cuius quidem militis Peregrini fidem estimare verbis arduum est, qui se primum vulneribus, deinde morti ipsi pro suo Principe obiecit, sicque quam Ducem suum occidi passus est, meritus, ut per omnium ora extensa laudationis materia cantaretur. Magna et in alios eo die quae fuit XIIII Novembris, strages edita est quasi

illico

Mero Swantopelkus cum Vuladislao Otthonis in Polonia se sunt regnaturi. Corpus Lesthonis albi in Cracoviam per suos qui superstites remanserant relatum, in Ecclesia Cracoviensi cum maximo luctu ploratuque sepulturae mandatum est. Swantopelkus non secus quam hoste, Principe et domino suo caeso, neque sceleris paenituit neque aliqua re funus suum cohonestavit, Ab eo quoque duce se Pomeraniae Principem legittimum gerere coepit. Henricus Silesiae vero dux Vratislaviam revertitur, de vulneribus inflictis brevi curatus, Spedata Fabri militem peregrinum semper commendans, prolem suam larga extulit donatione. Interfuerunt autem huic colloquio in Gassawa habito, Vincentius Gnesnensis Archiepiscopus, Ivo Cracoviensis, Laurentius Vratislaviensis, Michael Vuladislaviensis, Paulus Posnaniensis, Laurentius Lubucensis, Episcopi, Guntherus electus Plocensis, et Barones quamplurimi

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DUCENTESIMVS VICESIMVS OCTAVVS

Crudeli et infausta nece Lesthonis albi per Swantopelcum Pomeraniae praefectum, de scitu et annuentia Vuladislai Otthonis, maioris Poloniae Ducis, sequuta, mox novum bellum novaque arma inter Duces superstites, Conradum videlicet Masoviae germanum Lesthonis albi ab una, et Henricum cum barba Silesiae et Vuratislaviensis Ducem, partibus ab altera concitantur. Utroque Polonorum Monarchiam et penitus Lesthonis puerorum curam ad se rapere festinante, Et Conradum quidem Masoviae Ducem, Lesthonis defuncti germanitas, Henricum vero Silesiae Ducem, annositas, quod natu maior esset, et Ducissae Grzimislavae relictae Lesthonis albi, nonnullorumque Cracoviensium Baronum et signanter Marci Cracoviensis, Pacoslai Sendomiriensis, Palatinorum et cognatorum eorum, partem Ducissae Grzimislavae sequentium, crebro ingeminatae preces, quae Conradi Masoviae Ducis tyrannidem perosa, se filiumque parvulum Boleslaum, et filiam Salomeam, et eius principatus atque terras in tutelam et gubernationem Henrici Silesiae Ducis commendabat petens se et parvulos a gubernatione Conradi eripi et vindicari. Ex hac itaque oratione et causa, civili et domestico inter Duces praefatos bello subsequuto, uterque cum gentibus suis suum armis defensuris, versus Cracoviam advenit, factaque est provincia

Cracoviensis sedes belli, et arcem quidem et civitatem Cracoviensem Ducissa Grzimislava cum filio obtinebat, non permittens Conradum et suos contingere illam. Henricus vero Silesiae Dux, duas novas munitiones, unam videlicet prope oppidum Skalam, in colle quem Prandnik fluvius praeterfluit, et cuius in Saxo adhuc ostentantur reliquiae, alteram in Mezbozi erexerat, et forti praesidio militum imposito, etiam universam Cracoviensem provinciam occupaturum se sperabat. Conradus itaque Mazoviae maximi momenti fore, et ad victoriam spectare credens, si novas munitiones per Henricum erectas deleverit, ad oppugnandam munitionem prope Skalam sitam copias ducit. Ubi illi Henricus Silesiae, occurrens, durum praelium secum committit, et plurimis hinc inde ~~cad~~ cadentibus, filius quoque Conradi Mazoviae, Premislaus adolescens inter primos pugnans occubuit, Conradus signo receptui dato, pro victo abijt, et laus victoriae penes Henricum remansit. Cladem autem et ignominiam tunc acceptam Conradus Mazoviae Dux correcturus, versus alteram munitionem Mezbozi fortunam belli ex loco tentaturus advenit, sed fortuna sua cum loco mutata non est, maiori enim caede ab Henrico Silesiae Duce et suis prope villam Vroczyryz conflictus, in proximas sylvas et colles refugit, et utramque munitionem inexpugnatam pluribus de suis aut occisis aut captis reliquit. Duobus adversis praelijs Conradus Mazoviae Dux ab Henrico Silesiae fusus, fugatusque in Masoviam secesserat, ad ~~rem~~ redintegrandum de novo bellum milites in supplementum lecturus. Verum cum in eam militiam aegre et minus obedienter suos transire, tempus quoque aestatis transfluxisse animadverteret, omnem apparatum bellicum ad dolos et ingenia convertit, facilius se illis quam armis ratus Henricum Silesiae adversarium suum oppressurum. Iam siquidem Henricus Silesiae, debellatum pro Monarchia et Cracoviensi Principatu credens, filium suum Henricum cum copijs in Slesiam, colonis ab utroque exercitu vexatis compassus, remittens, securus et tranquillus in Cracoviensi Ducatu, fidos sibi et puros singulorum animos reputans, obversabatur. De quo Conradus Masoviae Dux ab exploratoribus certior factus, in Cracoviensem provinciam advenit, et faventibus illi nonnullis Cracoviensibus militibus, ad novandum res proclivis, Henricum Slesiae Ducem, in Spithowicze consistentem, et auditioni Missae deditum, in Ecclesia captivat, et in Masoviam ad castrum Plocense, vel ut alij asserunt, in Czersko deportat captivatum. Verum cum Henricus filius suus, qui Annam Ottokari, alias Premislai Bohemiae Regis filiam, ex secunda uxore Constantia, ex filia Regis Ungariae uxore nominis genitam habebat, in uxorem, et quatuor filios videlicet Boleslaum, Vladislaum, Henricum et Conradum, et quinque filias, videlicet Hedwigim, Agnetem, Constantiam, Elisabeth, et Gertrudim, ex eadem suscepisset, paternam liberationem effecturus, grandem exercitum tam ex proprijs militibus, quam mercede conductis, congregasset, hostili vastatione Masoviam et Cuiaviam, ni pater in libertatem restitueretur, invasurus, Beata Hedwigis plurima mala, clades videlicet, neces, Sanguinis Christiani profluvia, desolationes, exustiones, vastitatesque terrarum et agrestium pauperumque hominum oppressiones, et angustias exinde orituras, aversura, in Masoviam se personaliter contulit, et Conradum Ducem Masoviae apud Ploczko, vel ut alijs placet, apud Crusviczam et Czirsko adversus funestum Martem iam tonantem extinxit. Ad cuius siquidem conspectum Conradus Masoviae Dux, omnem qua flammabat ferocitatem deposuit, et quasi victus, quodamque terrore correptus, omnibus suis votis et precibus se morem gesturum repromisit. At illa Deo inspirata, non solum Henricum Slesiae, virum suum, et Conradum Masoviae, Duces dissidentes, prudentia qua pollebat reconciliat, sed etiam affinitatis iura, quo in post quietiores essent, inter ipsos connexuit. Cessit siquidem Henricus cum barba Slesiae Dux, de iure Monarchiae et tutoriae Conrado, renuntians iuri quod sibi in illo quaesierat, captivosque Conradi, libertati restituit, renuntiationemque ipsam corporali firmavit iuramento. Duas vero neptes suas Henrici videlicet filij sui filias ex Anna filia Regis Bohemiae susceptas videlicet Constantiam et Gertrudim, filijs Conradi Casimiro et Boleslao desponsat in uxores, Casimiro Constantiam, et Boleslao Gertrudim. His itaque pactis et conditionibus, et Beatae Hedwigis feminae, iam tunc in operibus famosae meritis, bellum acerrimum gestum et gerendum sublatum est, et Henricus Slesiae ex captivitate solutus in Silesiam redijt. Conradus vero Masoviae se et Monarcham, et puerorum Lestkonis tutorem, Grzimislawa matre eorum nequicquam adversante, repugnanteque, gerere coepit. Gregorius tamen Papa nonus Henricum Wratislaviensem, ab huiusmodi iuramento, tanquam per vim exacto, absolvit.

In magna multitudine, et quae vix aestimari poterat, Tartari Russiae terras ingressi, plurima mala, caede et flamma in illis committunt, et universam terram Rzeszanska vastant spoliant, Duceque Rzesanorum occiso, etiam senes et impuberes necant, Caeteram multitudinem captivam in servitutem abducunt, castraque conquisita incendunt, Neque his contenti iterum in anni eius hyeme in terram Szusdali adveniunt, et terra universa pervastata, etiam Georgium Ducem et filios eius, pluresque alios Szusdalorum Duces interficiunt, et Valadimiro Duci castrum Rostow auferentes arcem incendunt, et captivis plurimis atque praedis pro libito potiuntur

Przemislaus alias Ottocarus Bohemiae Rex valetudinarium et morti proximum se intelligens, filium suum Wenceslaum ex Constantia sorore Bellae Ungariae Regis, quam legitimae et priori uxori Adlae viventi superduxerat, susceptum, in Ecclesia Pragensi in Regem, consortem vero eius Cunigundim Philippi Ducis Sueviae, in Regem Romanorum in discordia electi, filiam in Reginam, per Siffridum Archiepiscopum Maguntinensem in Dominica Quinquagesimae ordinavit, se spectatore, inungi et coronari

In villa Brzesko, oppido Brzesko propinqua ad flumen Vislae Monasterium fratrum ordinis Praemonstratensis fundat, et in dotem illi confert villas et decimas videlicet Brzesko oppidum et villam

Vicesima tertia Januarij Swantopelcus Pomeraniae Dux de consilio et assensu Michaelis Vladislaviensis Episcopi fundat et erigit Monasterium ordinis Praedicatorum sub titulo et honore Sancti Nicolai in civitate sua Gdansk, et locum praedictum libertatibus et privilegiis insignit

Gregorius Papa Nonus beatam Elisabeth Andreae Regis Ungariae filiam, et Ludovici Lantgravij Thuringiae relictam, canonizat, Cuius sacrum corpus Fridericus Imperator Romanorum in Marpurg hospitali quod vivens fundaverat decreuerat et determinarat, de tumulo, associatis pluribus Pontificibus et Principibus, cum magna solennitate et gloria leuat, et pro testa capitis sui ornanda auream coronam donat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS VICESIMVS NONVS

Concordia apud Sloczham inter Henricum Slesiae et Conradum Masouiae, per beatam foeminam Ducissam Hedwigim, Henrici consortem, et eius solertissimam interpositionem, celebrata, grauique et infausto bello ciuili extincto, rursus aliud bellum inter maioris Poloniae Duces Vladislaum Lyaskonogi patruum, et Vladislaum Otthonis nepotem exarsit. Proprio stipendio et externo milite Vladislaus Laskonogi adiutus, venit contra Vladislaum Otthonis, iniuriam sibi anno superiori illatam ulturus. Nec Vladislaus Otthonis prioribus fidens successibus detrectauit bellum, sed aduentanti patruo cum suis militibus occurrit. Et quamuis acriter pugnans, cum esset et robore et numero militum inferior, a Vladislao Laskonogi patruo suo victus, pluribus suis desideratis aut captis, etiam ipse Vladislaus Otthonis fugere e praelio turpe ratus, captus est, et a patruo Vladislao Laskonogi in vincula coniectus. Sed cum processu temporis fauentium sibi suffragio captiuitatem euasisset, in Pomeraniam ad Swantopelkum vxoris suae fratrem, qui Lesthoni alias apud Gąsawam occiso, totius sibi Pomeraniae dominatum, vsurpauerat, solatia ab eo instaurandi contra Vladislaum Liaskonogi belli, quaesiturus, diuertit. Qui non solum illi gentes suas Pomeranicas concessit, sed etiam personaliter cum eo contra Vladislaum Liaskonogi venit. Quorum aduentu Vladislaus Laskonogi deterritus, cum in suis erga se fluxam et ambiguam nosset fore fidem, qui illum propter libidines et spurcitias suas, caeterasque actiones Principe indignas in liuore habebant, et contemptui ducerent cum adueniente nepote et hoste infesto, ne a suis desertus captiuitati incideret, non ausus, castris et munitionibus in maiori Polonia relictis discessisset, et in castrum Ratibor se recepit, a Casimiro Mieszkowicz Ratiboriensi Duce amice habitus, et ex ceptus, Tertio quod Vladislaus Ottonis militibus et castris se illi prona et obsequenti voluntate dedentibus, et propriam sortem reserbat, et Patrui~~lim~~is ~~fugerat~~, occupavit. Habet et aliorum assertio, quod Vladislaus Laskonogi quinta decima Julij fortiter dimicans succubuit, et fugere turpiter confusus est coactus. Palatino Posnaniensi cum multis alijs interfecto.

Cracouiensium Antistes Iuuo, aliquot Monasteria in sua Dioesi, videlicet in Mogila, in Olubnia, in Mstow, item Hospitalis pauperum in Cracouia, Item Ecclesiarum parochialium, in Dziurzazna, Vawrzinczicze, et Daleszcze; Sancti Pauli in Sendomiria fundauerat et dotauerat, Splendorem Metropoliticum Ecclesiae suae Cracouiensis ab alijs praedecessoribus suis neglectum satagens restituere, optimum et opportunum tempus ratus, quo restitutio ipsa posset promovere, in Italiam ad Gregorium Papam nonum, sibi multipliciter propter communem familiaritatis et amicitiae in studio Parisiensi, dum ambos minor haberet status, contractam, favorabilem et affectum, se contulit. Tyrannidem etiam Conradi Mazouiae Ducis, qui in Cracouiensi et Sendomiriensi Ducatibus tutorio nomine principabatur, cum quo tum pro Ecclesia, tum pro militarium iniurijs in plures simultatis devenerat, declinans. Et cum Papam Gregorium cuius erat in studijs Galliarum apud Parisias charus socius, et singulari familiaritate obstrictus, in Perusio reperisset, maximo honore obviam illi multis Praelatis mandato Papae euntibus, et exceptus et habitus est, et dignitas et praeminentia Metropolitica Ecclesiae Cracouiensi facile, Gregorio Papa precibus suis morem gerenti, restituta. Verum dum devotionis fervente provocatus, obtenta a Gregorio licentia Romam ad visitandum Sanctorum limina venisset, febribus correptus est, a quibus nondum liberatus Roma egressus, et itineris labore et Solis ardore ingrauauit aegritudinem, Et cum in pristinum Burgum devenisset, vicesima prima Mensis Julij exactis duodecim in pontificatu annis moritur et in Mutinensi maiori Ecclesia a familiaribus suis iusta funeri soluentibus sepelitur. Ossa tandem eius post aliquot annorum spatium per fratres praedicatores Domus Cracouiensis, quam ut in superioribus narravimus ipse fundauerat, ex Mutina Cracouiam afferuntur, et in medio

Chori Monasterij Sancti Trinitatis reconduntur. Ad cuius
Sepulchrum ~~Sar~~ sec legitur Epitaphium

IWO de Konske genere nobilis de domo Odrowansz
Canonicus Cracoviensis et Lesconij albi Ducis Polo
niae Cancellarius, vacante Sede Cracoviensi per ces
sionem ~~Vincentij~~ Vincentij Kadlubkonis, per unani
mem Capituli Cracoviensis electionem in Episcopum
Cracoviensem assumitur Anno Dni 1218
Qui dum ad Honorium Papam tertium pro con
firmatione sese ad urbem contulisset, interfuit prae
sens quando Beatus Dominicus Neapoleonem ne
potem Cardinalis Stephani ex equo directum totoq
corpore collisum et mortuum, ad vitam, ~~fusa~~ effusis ad
Deum precibus revocavit. Itaq, visis prodigijs, sancti
tate, religione, et fervente Praedicatorum, beati Dominici,
in Poloniam deducendos fratres sui ordinis petijt, et a
lios obtinere non valens quatuor familiares et comi
tes scilicet ~~Ad~~ Hiacinthum Canonicum Cracoviensem
nobilem de domo Odrowosz de villa Camien ortum,
item Cellam Polonum, Henricum Moravum Episcopa
tus curiae Marsalcum, et Hermanum Teutonicum, per
beatum Dominicum ad ordinem assumi obtinuit, et illos
in Poloniam deducens, Sancto Dominico superstite in Cra
coviensi civitate regali, ordinem Praedicatorum planta
vit. Habitoq consilio cum venerabili Capitulo Eccle
siae Cracoviensis, non sine speciali gratia donationeq
Illustris Ducis Lesconis albi, fratri Jacintho et socijs
praedicatorumq ordini Ecclesiam Parochialem Sanctae Tri
nitatis, et locum spatiosum pro aedificando Monasterio
praedictis fratribus Sancti Dominici consignavit. Ipseq
Iwo cum Duce Lescone primum fundamenti lapidem
iecit Anno Dni 1221 Iste denique dignae recordationis
Antistes fundavit quamplurima Monasteria, insuper et
Ecclesias Parochiales multas. Inter quas erigi curavit Ec
clesiam Parochialem Gloriosissimae Virginis Mariae in circulo
Cracoviensi, et in eam ius Parochiale quod in Ecclesia S. Trinitatis
fuerat, transtulit. Idemq sanctae memoriae Pontifex dignitatem Metropo
litanam per Cracoviensium Episcoporum successorum Aaron
Tinecensem Monachum, Archipraesulis et Primatis ignaviter neglectam sa
tagens in suam reducere Ecclesiam, denuo urbem adijt, et a Gregorio IX°
ex ipsius gratissime rehabita Ecclesiae suae dignitate metropolitana ac

omnibus rigoris confectis redeundo e Roma febribus correptus Anno Dni 1229
die 21 July, duodecimo anno in pontificatu exacto, in itinere in civitate Mutinensi feliciter migravit ad Christum et in
Ecclesia Cathedrali Mutinensi [illegible] honori sepultus. Cuius demum ossa fratres Praedicatores, receptorum memores beneficiorum
Cracoviam transtulerunt ea sicque in medio Chori suae ecclesiae, in [illegible] sarcophago uti par est honorifice condiderunt
Anno Dni 1229 Laudetur Deus et omnis sancti eius

Frequens Tartarorum multitudo in Szmolnensem et Czirnicoviensem regiones adveniens, eas crudelissima caede, nulli parcens aetati, quatit, et pervastat, Castris autem et fortalitiis plurimis ex quibus et Duces et milites diffugerant, consistere in illis non ausi, potita ea incendit, et nullam resistentiam sentiens, singulis a facie eorum in paludinosa et invia silvestriaque loca se subducentibus, onusta captivorum multitudine, atque praeda in suam revertitur

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS, TRICESIMVS

Optimo et Heroica constitutionis viro Ivone, Cracoviensis Ecclesia destituta, viduataque pontifice, cum pro illius morte singulari confecta esset anxietate et maerore, duplicem super hac miserabilem et detestandum casum excepit, divisionis unum, conflagrationis alterum. Quamvis siquidem Capitulum Cracoviense de substituendo altero Episcopo, Vislaum Canonicum Cracoviensem, et natione Polonum, genere nobilem de armis Zabawa, vita quoque spectata et doctrina elegisset, Radulpho tamen Cantore Romano, et Magistro Andrea Canonico, electioni suae quamvis Canonicae adversantibus, ingens et monstruosa divisio in Ecclesia Cracoviensi integro vigebat biennio. Praefatus enim Magister Andreas qui cum Ivone Episcopo Italiam transierat, assistente sibi Rodolpho Romano, obtinuit sibi de Episcopatu Cracoviensi per Papam provideri, et ob hoc causa ~~vox~~ Vislai commissa et per biennium pendente, differtur consecratio. Sed Henrico Duce Cracoviensi et Wratislaviensi, qui Cracoviensem Ducatum absolutus a Papa de iuramento, recuperaverat, interpositionem suam apud Papam faciente, electio confirmatur Vislai, provisione Magistri Andreae cassata, propter quam et confirmatio Vislai apud sedem Apostolicam, et consecratio ex huiusmodi causa fuit per biennium non sine maximo Ecclesiae Cracoviensis dispendio, et substantiarum eius servatione impedita, et protelata. Vislaus praefatus Episcopus de domo Zabawa fertur fuisse, et Ecclesiam Javorsciam in Gosciwlcz prope Proszowicze pulchra petra tabulatumque, quod villa ipsa patrimonium suum fuerat, aedificasse. Cuius progenitores quia ex terra Pomerania in Cracoviensem advenerant, pro advenis habebantur, et maior invidia Vislao in sua electione exinde oriebatur. Dum insuper sub

hac

Sar contentionem, turris Ecclesiae Cracoviensis, sumptibus Iuonis Episcopi et sui testamenti exequutorum sollicitudine plumbo tegeretur, operariis negligentius ignem tractantibus, carbo ignitus ex foro fortuito decidit, et proxima lignaria arida reperiens, facile nocte incendit, universamque Ecclesiam, roboratum ignem pluribus mortalibus inquicquam extinguere aut inhibere audentibus, conflagravit

Vuladislaus Dux filius Ottonis, assumptis sibi in auxilium quibusdam Poloniae militibus, et signanter Albracto et Laurentio filijs Joannis, Monasterium insigne Mogilno spoliat et praedatur, et devastat, ostendens se et a sanguine et a moribus priscorum Regum Principum et Heroum Poloniae magnopere degenerasse, cum Monasteria ab ipsis fundata ipse deleret.

Decimo octavo Calendas Januarij Przemislaus alias Ottokarus Bohemiae Rex moritur, et in Pragensi maiori Ecclesia sepelitur, Cui filius suus Vuenceslaus biennio ante vivente patre coronatus successit

Prussiae populus in regnum Poloniae barbaricam feritatem per clandestinas et subitas invasiones, et incendia, abductionesque personarum utriusque sexus in servitutem perpetuam continuantibus, Conradus Mazoviae Dux cum terras suas haberet, cum eisdem barbaris vicinas, et conterminas, multipliciter gravatus et afflictus, septem fratres Cruciferos de domo Teutonica, ordinis Sancti Sepulchri dominici Hierosolimitani; quorum Hermannus Balke de Salcza primicerius et magister habebatur, in sui solatium ex Almania de consilio Christini Episcopi Culmensis viri religiosi de ordine Cisterciensi accersijt. In primario quoque eorum adventu in castro Dobrzin, a quo fratres Dobrzinienses appellati sunt, ipsos locat, processu vero temporis eis castrum et oppidum Nieschow, cum villis Murzinow, Orlow, et cum suis attinentijs donat largitur, et assignat. Cum autem aliquot secundis praelijs usus, adiuvantibus illum fratribus Cruciferis stragem ingentem in Prutenos edidisset, precibus assiduis Henrici cum barba Vuratislaviensis et Silesiae Ducis, persuasus, de consilio consortis suae Ducissae Agafiae, et filiorum suorum Boleslai, Casimiri, et Semoviti, nec non Praelatorum et Baronum terrarum suarum, videlicet Guntheri Episcopi Plocensis, Michaelis Episcopi Cuiauiensis, Cristini Episcopi Culmensis, Jaroslai Comitis Dersouiensis, terras Chelmensem et Lubauiae, infra fluuios Ossam, Druuanczam, et Vuislam sitas, in quibus barbari Rogow castrum et oppidum, et alias munitiones occupauerant, eis inscribit et donat, licet de facto, non de iure, cum in praeiudicium Regni Poloniae donationem ipsam Conradus Dux non poterat aliquatenus efficere. Quae quidem donatio etsi pro ea tempestate videbatur salutaris, expost tamen Cruciferis ad occupandum terras residuas Regni Poloniae semper anhelantibus, maxima Christiani sanguinis, Polonis sedes suas naturales defendentibus, sequuta sunt profluuia, et caedes etiam relatu horrenda commissae. Nec inter Reges et Duces Poloniae praeter praefatum Conradum, extat alius, qui per donationem terrarum praedictarum Nessouien. et Chelmen., et vocationem Cruciferorum, maiorem cladem, maioremque pestem ad Poloniae regnum inuexerit, maioribusque bellis Polonos inuoluerit. Circa autem terrarum Culmen. et Lubauiae per Conradum Mazouiae et Cuiauiae Ducem donationem, fratribus Cruciferis factam, id primum et praecipue fuit cautum, et ad id se tam Magister Hermannus, quam fratres Cruciferi patentibus literis obstrinxerant quod Pruthenicae terrae et cuiuslibet alterius sub barbaris conquirendae possessio, debebat inter Conradum Mazouiae et Cuiauiae Ducem, suosque filios et successores Poloniae Principes, et Magistrum atque ordinem Cruciferorum ex aequo partiri, et terrarum Culmensis et Lubauiae donatio, terra Pruthenica conquisita irritari, et ad Conradum Ducem suosque successores pleno iure deuolui. Ordinatio quoque ipsa et conditiones ei appositae literarum apicibus fuerunt firmatae, et per nonnullos fide dignos viros apud Plocenses Duces et eorum Camaras visae saepius et tractatae. Reliquit autem Hermannus de Salcza, magister ordinis, in locum suum fratrem Conradum de Landsperk, qui cum auxilio Ducis Conradi Masouiae, et gentium suarum, in littore Vuislae in loco editiori aedificarunt castellum quod vocarunt Vogelsang, ex quo coepit Pruthenos impetere, et eorum subitas incursiones prohibere. Consultanti autem super donatione terrae Culmensis Cruciferis facienda, Conrado Masouiae Duci, fabula a Phrygio descripta, et per nos in simili euentu, dum Maschonium fundaretur ciuitas, ab uno regulorum in coniectura perspicacissimo, a consiliariis Polonicis in detestationem eorum quae conceperat, obiicienda erat. Canem aliquando partu grauidam, locum a pastore precario petysse, in quo partum effunderet, quo obtento iterum sollicitasse, ut sibi educare in loco teneros partus liceret. Ad postremum adultis catulis fultam, domesticis praesidio, proprietatem loci, hero suo excluso vendicasse. Nec secus cruciferos egisse, qui suos fundatores, sedibus eorum exclusos, regionis eorum per ipsas et impias occupari non sinebat.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS TRICESIMVS PRIMVS

Moram suae expulsionis et exilij quae in quartum iam annum tendebatur, a Vladislao Othonis, Calisiensi Duce, germano nepote patratam, per quam et Ducatu suo et rebus quibuslibet exutus erat, Vladislaus Laskonogi Posnaniensis et Maioris Poloniae Dux moleste ferens, et propriorum militum qui ad eum sub exilij tempore defecerant, et aliquorum voluntariorum aut avaritia aut iniurijs damnatorum nactus solatia, ex Ratiboriensi oppido, in quo miserabile illud exilium hactenus egerat, descendens, versus maiorem Poloniam contendit, et castrum Kamyena, quod sui iuris suaeque sortis erat obsidioni vallavit, sperans non illud solum, sed et castra reliqua sibi per deditionem brevi recepturum. Verum cum spes non responderet, et strenue militibus Vladislai Othonis castrum Kamenense defensantibus, obsidio in duos menses protracta esset, infra quos nemo ex militibus et subditis suis notatus est ad Vladislaum Laskonogi, omnibus turpes et faedos mores suos abhorrentibus, defecisse; fama quoque non temere orta vulgatum proditumque foret, Vladislaum Othonis Ducem cum Swantopelkone Pomeraniae domino socero suo, et validis suis et exterorum copijs pro ferenda obsessis ope propediem adventare, tristis et gemens fortunamque suam carpens, inexpugnato castro Kamenensi, pro cuius expugnatione tam vires quam ingenia intenderat, aliquot de suis militibus amissis obsidionem solvens discessit, et in solitum exilij sui locum Ratiboriam remeavit. Et anno eodem, quintodecimo Calendas Septembris in oppido Srzoda tam maerore quam conscientia actorum facinorum gravatus, fato subtractus est, et apud Ratiboriam, vel ut alijs placet in monasterio Lubinensi sepultus, nulla stirpe derelicta. Ex cuius morte plena sui principatus possessio ad Vladislaum Othonis

volut

velut nepotem germanum transiit. Ipse quoq. Vladislaus Ottonis Dux, utrumq. Ducatum Posnaniensem videlicet et Calisiensem, et omnem maioris Poloniae oram pariter et absq. omni insidiarum et defectionis respectu possidere coepit.

Conradus Masoviae Dux cum fratribus Cruciferis, et nonnullis peregrinis in suum solatium advenientibus, ut ampliori et efficatiori Prutenis barbaris opponeretur resistentia, in arbore quercus castrum aedificat, et praesidio tam fratrum Cruciferorum, quam propriorum militum imposito, Pruthenos coepit a vastatione terrarum suarum cohibere. Locavit et tunc civitatem THORUN, quam postmodum in aptiorem transtulit locum. Pruteni vero barbari in eorum praesidiorum, quae Conradus Dux aedificaverat, destructionem, duo castra erigunt, unum iuxta Vuislam, ultra Thorun, quod vocabant Rogow, aliud iuxta Thorun in loco ubi nunc antiqua Culmen extitit, fabricat, et tertiam munitionem in lacu Pipinus Pruthenus Christianis infestissimus, quae etiam in diem hanc lacus Pipini dicitur. Omnia tamen castra praedicta infra paucos dies per Cruciferos fratres et Polonorum milites fuerunt expugnata, et Pipinus captus, qui ventre aperto ad arborem per circuitum usq. quo visceraretur, agitatus, verecundiae suae poenas dedit.

Fridericus Austriae Dux ulcisci satagens iniurias, quas patri suo et Ducatui Austriae Venceslaus Bohemiae Rex intulerat, cum potentia exercituum suorum Bohemiam invadit. Cuius in id bellum profectionem, Przemislaus Marchio Moraniae, germanus Venceslai Bohemiae Regis, cum eodem Friderico Austriae Duce confoederatus, Item Ottho Moraniae Dux, Item Henricus germanus Ducis Moraniae Marchio de Verd, Item Ebrardus Episcopus Banbergensis, Item Bertholdus Patriarcha Aquileiensis, etiam germani Ducis Moraniae, filii Bertholdi Ducis Moraniae et fratres germani Beatae Hedwigis consortis Henrici Vratislaviensis et Slesiae Ducis, cum suis gentibus comitabantur. Tantus autem et tam fortis exercitus, cui Bohemiae Rex Venceslaus imparem se videns resistere et cum illo decernere non audebat, cum et ex Bohemis plures sibi sciret parum fidos, et Przemislonis Marchionis Moraniae partibus faventes, uno duntaxat castro Curtana expugnato, et nonnullis damnis irrogatis, propter infirmitatem Friderici Austriae Ducis, qua subito correptus est, in propria parum operatus rediit.

Quibus

Quntherus Episcopus Plocensis, cum sedisset annis quinque, Vienna Austriae, Romam pergens, moritur, et illic sepelitur. Cui Petrus dictus Romanus successit Canonicus Plocensis, per Canonicam electionem, de domo Pulkozia

Vislaus electus Cracouiensis, consecratur in Episcopum Cracouiensem, per Fulconem Gnesnensem Archiepiscopum in Ecclesia Cracouiensi, sublato dissidio, quod biennio inter eum et filium Clementis, Magistrum Andream Canonicum Cracouiensem, de natione Gryffonum viguerat, Gregorius enim Papa nonus eundem Andream Romae praesenti iure suo de Cracouiensi Episcopatu providerat, Henrico tamen Vuratyslauiensi Duce et Cracouiensi interpositione facta ad Papam, electio Vislai confirmatur, provisione Andreae cassata

Andreas Vngariae Rex et beatae Elisabethae pater cum annis triginta Vngariae regnum sub tranquillo et felici regimine tenuisset, moritur, et in Monasterio de Egrus sepelitur. Cui Bela filius eius maior natu successit, pridie Idus Octobris in Alba regali Diademate insignitus

Vndecimo Calendas Nouembris Paulus Posnaniensis Episcopus cum consensu capituli sui fundat Monasterium fratrum Praedicatorum in Srzodka ad sinistram viam quae ducit de Srodka in Glownam e regione Ecclesiae Sanctae Margarethae

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMꝰ TRICESIMVS SECVNDꝰ

Beneficia divina Vuladislaus Othonis, qui et Pluwacz cognomine a nimio sputamine sortitus est, Maioris Poloniae Dux, frequentius in eum, et in diva castitatis evasione, et in hostium debellatione collata, repensurus, cum ex obitu patrui sui Ducis Vuladislai Lyaskonogi quies optima, et principatuum amplitudo, et ex consorte legitima Swantopelconis Pomeraniae Ducis filia, duo elegantis filii Przemyslaus primus, et Boleslaus pius, rerumquidem sed multiplex bonum provenisset, duabus Ecclesiis Cathedralibus, Gnesnensi videlicet et Posnaniensi, sub ditione sui Ducatus consistentibus magnas libertates, immunitates, et privilegia donavit et concessit, absolvendo praefatarum Ecclesiarum villas habitas, et habendas, et earum villas, ab omni solutione, servituti, dacia, et onere, quae olim Duci et suae Camerae praestabantur, et ab omni sua, suorumque Palatinorum, Castellanorum, Iudicum, et Officialium, a qualibet ordinaria et extraordinaria Iurisdictione et omni Ducali iure, quod sibi in bonis Ecclesiarum praefatarum hactenus competebat, in Petrum Gnesnensem Archiepiscopum et Paulum Posnaniensem Episcopum, eorumque successores contulit, et transfundens potestatem etiam monetam fabricandi, et venationis in bonis Ecclesiarum exercendi, quod solitum congruebat Principi, utrique Pontifici attribuens. Donavit praeterea Posnaniensi Ecclesiae et suo Episcopo Paulo villam Sulkowakrobia largos habentem introitus, quam propter paternum corpus Ottonis Ducis, et Boleslai magni primi Regis et aliorum Regum Poloniae cadavera in ea condita, in qua et ipse sepulturam sibi destinabat, huiusmodi singulari donatione voluit amplius efferre.

Laurentius Vratislaviensis Episcopus cum annos quinque et viginti sedisset, septimo Idus Iunii in Stretsow moritur, et in Ecclesia Vratislaviensi sepelitur, In cuius locum Thomas Polonus natione et genere nobilis per electionem Canonicam substitutus est, et per Vincentium Archiepiscopum confirmatus. Qui non solum propter nobilitatem generis, de stirpe enim Koszyarogi ducebat genus, sed etiam propter scientiae et prudentiae raras quibus clarescebat dotes, opinione et fama apud proprios et finitimos celebris in arcem pontificalem sublimari promeruit. Accidit autem praefato Laurentio mors non vulgaris, ex assiduo sedendi et nimio rosarum odoratu, morbum Rheumaticis incurrens curari non poterat

Vincentius Gnesnensis Archiepiscopus cum annos prope duodecim sedisset, moritur, et in Gnesnensi Ecclesia sepultus, per electionem Canonicam Petrum habuit successorem, Eadem etiam mortis conditione Guntherus Plocensis Episcopus annis quinque in Pontificatu exactis absumptus est, qui Cruciferos in subsidium contra Pruthenos acciri et eisdem terram Chelmensem donari consensit. Cui Petrus successit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS TRICESIMUS TERTIUS.

Devotio et liberalitas

Devotio et liberalitas Vuladislai Othonis Maioris Poloniae Ducis in Gnesnensem et Posnaniensem Ecclesias exhibita, mentes et pectora Baronum et Satraparum Maioris Poloniae, tam ingenti anxietate et livore exacerbant, confecitque, ut primum occasionem illius conspirationi clandestina multifarie molliuntur. Sed cum insidiae in illum instructae, spei eorum et intentioni non respondissent, Vuladislao Duce machinationes illorum solertissime devitanti, in apertam rebellionem versi, Henricum cum barba Wratislavien. et Silesiae Ducem, quem sciebant Vuladislao Othonis Duci suo, propter vulnera apud Gassawam in occisione Lestkonis albi Cracovien. et Sandomirien. Ducis accepta, hostem infestum, adeunt, et sibi Principatus maioris Poloniae tradituros, in cuiusque ditionem et obedientiam se universaliter transituros, castraque et munitiones consignaturos repromittunt. Deditionem autem terrarum maioris Poloniae tunc sibi impensam, Henricus cum barba Silesiae Dux, vir alioquin devotus, religiosus, et iustus, quamvis novisset iniustam, ex iniusta et iniqua livoris radice ortam, contra foeminae sanctae Hedwigis consortis suae persuasum, non est aspernatus, ut per occasionem ipsam iniuriarum suarum et vulnerum, a Vuladislao Othonis, quem illius stragis et tradimenti in Gassawa commissorum, constabat principalem fuisse commentatorem, posset commodius poenas multas exigere. Quapropter exercitu non modico ex propriis et auxiliariis congesto, hostiliter terras Maioris Poloniae, eas utcunque occupaturus, ingreditur. Sentiens autem et probe noscens Vuladislaus Othonis animos suorum militum a se alienatos, sibique adversos et infestos esse, cum Henrico Duce Silesiae, velut cum potentiori congredi veritus, ne a residuis militibus qui in partibus suis remanserant, aut prodirentur deserentur, in castris se continuit, et castris Bnin et Srem ne per Henricum occuparentur, crematis, castrum Gnesnense forti et fideli militum praesidio communiunt, et ad sororium suum Swantopelcum Dominum Pomeraniae in Pomeraniam divertit. Quapropter castra et civitates praecipuas maioris Poloniae, Posnanien., Calisien., Pysdren., Srzeden., item castrum Bircsow, per Barones et milites maioris Poloniae Duci Henrico cum barba deduntur et consignantur.

tur. Qui illorum possessionem nactus, etiam castra demolita et conflagrata, videlicet Brem et Bnin reficit et reparat, militibusq. et defensoribus fortibus communit; datq. castra ipsa nepoti suo germano ex sorore, filio Dypoldi Marchionis Moraviae, Borziwoio in tenutam, et ex illis quoscunq. rebelles et inobedientes in terris maioris Poloniae cogeret in suam ditionem, obedientes vero et devotos in fide contineret. Praefatus siquidem Dypoldus Moraviae Marchio, a Venceslao Bohemiae Rege, vel et cognomini monoculo, fratre suo ex Moravia pulsus in Ungaria consenescens, obijt, Mater vero eorum Adheydis, filia Henrici cum barba, post mortem mariti ex Moravia, per eundem Venceslaum Regem Bohemiae eiecta, in paternam domum, cum quatuor filijs, videlicet Borziwoio, Boleslao, Przemyslao, et Dypoldo reversa est, et Marchionissa quidem Adheydis in Monasterio Trzebnicensi degens mortua est. Cuius cineribus alter filiorum Przemyslaus brevi matrem sequutus, appositus, ultimus filiorum Boleslaus sortem clericalem optimam ducens, Canonicus Maydburgensis effectus, reliqui vero duo Vuladyslay et Borzislaus apud avunculum Ducem Henricum militarunt

Vuladimirus Kyoviensis Dux avitum ritum suum Graecorum, per fratres praedicatores videlicet Martinum de Sandomiria priorem Kyoviensem, et alios fratres eius ut pote viros religiosos et exemplares pessumdari et consumi, praefatos fratres de Ecclesia Sanctae Mariae in Kyow ordini praefato consignata, et certa quam habebant conventu expellit, redeundi facultate eis interminata

Elsaborum aetate Boleslaus qui Pudicus appellari meruit, Cracoviensis et Sandomiriensis Dux, filius Lesthonis albi, transacta, annum prope quartumdecimum attigerat, et tam suae genitricis Ducissae Grzimislaviae, quam Cracoviensium et Sandomiriensium procerum, praecipue tamen Viislai Cracoviensis Episcopi instigatione frequenti et persuasione, tutoriam patrui sui Conradi Masoviae Ducis sibi et Ducatibus suis plurimum perniciosam et damnosam excutere, et se in libertatem vindicare destinabat

Verum Conradus Mazoviae Dux tutoriam sibi a nepoti crac. et consortibus introitibus se plurimum dolens spoliari, tam Ducissam Grzimislawam quam nepotem Ducem Boleslaum pudicum ad colloquium amicabile, quasi de rebus publicis suorum principatuum tractaturus, invitat, captivat, et in Mazowiam deductos, primum in Czirsko castro suo forti includit, exprobrans tam matri quam filio praesumptionem nimiam et immature ad principandi authoritatem aspirasse, deinde illos in Sieciechoviense castrum supra fluvium Visla in Dioecesi Cracoviensi situm, transportat, et arctae deputat custodiae, thesauri sibi omnem eripit suppellectilem, et ad principatus suos occupandos, et ipsum etiam exterminandum magno conatu intendit. Unde et illum arctae apud Czirsko includit custodiae et principatum eius praecepit occupari. Interim Vladislaus Gnesnensis Dux petitione et consilio Marci Palatini Cracoviensis inductus, persuadet Duci Conrado, ut animo lenitatis nepotem pertractet, nec aliquid in vitam sive famam suorum praesumat machinari. Qui ut erat consiliis tractabilis, in Coenobium Sieciechoviense eos transmittit sub diligenti custodia ibidem detinendos, donec deliberet, quem finem praesenti negocio imponat

Gregorius Papa nonus Beatum Dominicum, ducem et institutorem ordinis Praedicatorum Bononiae sepultum pluribus decoratum et coruscantem miraculis Canonizat, et Sanctorum ascribit Cathalogo, a morte eius anno undecimo.

Interea Boleslaus filius senior Conradi Mazoviae Ducis terram Sendomiriensem potentialiter ingreditur, et tanquam vacantem occupavit, fautores quidem muneribus demulcens, et promissis, contradictores vero emisso edicto proscribens, bona eorum diripiens et dissipans, coegit exulare; quorum quidam in Russiam, alii in alias partes timore mortis fugientes devenerunt, misericordiam Dei implorantes ut tyrannidem Boleslai Ducis depremeret, orphani captivi et desolati miserentur

Magister Cruciferorum Hermannus castro altero Quinodzin in terra Culmen aedificato, castrum Vilna, quod in vicinio situm erat, a Prutenis occupatum et aedificatum, processu temporis expugnat, et conquirit, et milites Pruthenorum qui in praesidio illius fuerant, captivat

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS TRICESIMUS QUARTUS

Infidelium Pruthenorum terras vastaturi, et barbaram illam nationem et genus ad cultum religionis nostrae reducturi, Conradus Mazoviae et Cuiaviae Dux, non ex propriis solum, Cuiaviae et Mazoviae, sed ex Cracoviensi et Sandomiriensi, quas pupillari et tutorio nomine Boleslai pudici in potestate sua tenebat, terris, Henricus Wratislaviensis, filius Sanctae Hedwigis, Wladislaus Ottonis maioris Poloniae, Swantopelk et Sambor germani Pomeraniae Duces, validum exercitum, validasque equestres et pedestres copias, nunquam alias in terris Prussiae visas congerentes, in terram Prutenorum Ossa fluvio superato, comitantibus et adiuvantibus illos Magistro Hermanno, et fratribus ordinis Sanctae Mariae Theutonicorum, quos ut in superioribus praemisimus, Conradus Dux ipse in sui auxilium contra praefatos Pruthenos, clandestino et tumultuario bello terras suas affligentes acciverat, Summi Pontificis Gregorii noni specialibus literis admoniti, hyemali tempore Swantopelconi Duci cura totius exercitus commissa, descendunt, et duobus mensibus terram Pruthenorum in gyrum, ignibus, flammis et spoliis devastant, cum Pruthenni occurrere et congredi non ausi pugnandi copiam non facerent, caede de quinque millibus barbarorum edita, et castro Radzin quod magis Catholicis imminebat sub Pruthenis conquisito, et propriis militibus locato, civitate quoque Quydzin locata, in propria, ferentes multitudinem captivorum et spoliorum redierunt.

Sub ipso vero tempore quo Conradus Mazoviae Dux bello Prutenico occupatus erat, Boleslaus pudicus Cracoviensis Dux qui una cum genitrice sua Grzimislawa Ducissa albi Lestkonis relicta, captivitatis molestias in Sieciechoviensi castro uno anno et paulo amplius pertulerat, beneficio Nicolai Gallici Abbatis Sieciechoviensis ordinis Sancti Benedicti evasit, qui castri Sieciechoviensis vigilibus, ceterisque castri Ducis Boleslai custodibus tam pecunia quam promissis corruptis, ducem Boleslaum et Ducissam Grzimislawam solvi obtinuit. Gratia tamen Dei quae subvenit in periculis et in necessitatibus laborantibus, oppressionem durae captivitatis praefati Boleslai cum matre misericorditer prospiciens, consilium inspirat Abbati et quibusdam alijs eos liberandi. Nam cum quadam nocte custodes epulis dediti, potu repleti, securitati dissoluti, solitarum vigiliarum excubias intermisissent, Boleslaus Dux cum matre intempesto silentio noctis, curribus clam paulo praeparatis, claustrum egreditur, Cui captivitatem evadenti duo castra Sendomiriensis videlicet et Zawichostiensis ultro tradita sunt, quibus forti imponens praesidium, non audens in terris proprijs consistere, ne alteram captivitatem experiri, Dux enim Conradus principaliora in Cracoviensi et Sendomiriensi ac Lublinensi terris, castra in ditionem Mazovitarum contradiderat, cogeretur, in Slesiam et Wratislaviam ad Ducem Henricum cum barba tertio affinitatis gradu per lineam diversam sibi coniunctum refugit. Qui exulem et fugitivum blande et comiter suscipiens, omni honore et humanitate tractavit, omniaque de se bona sperare iussit. Qui dum se iuvari et in principatus suos restitui, multipliciter expetivisset, Henricus quidem Dux in omnibus se sibi morigerum fore, repromisit, quae tamen praemia laborum, et impensarum, et quos fructus illum movere deberet, quaesivit. Tum Boleslaus Pudicus omnes expensas et labores refusurum, aut aliquas sortes Principatuum suorum sibi largiturum pollicebatur, de quo fuere facta et pacta certa. Interea filius Conradi Boleslaus, collectis quibusdam Sendomiriensibus militibus et suis terram Cracoviensem ingressus, furiose in populum debacchatur, afflictoque depraedationibus et grassationibus in Sendomiriensem terram revertitur. Cracovienses vero huiusmodi iniuriam non ferentes terminos Wislicienses ingressi, quantum valuerunt terram praedabantur, et e converso Wislicienses frequentibus incursibus terram Cracoviensem spoliabant, sicque mutuis vicissitudinibus utramque terram crudeliter vastantes, in desolationem miserabilem redegere. Auditis et intellectis omnibus iniurijs quas Boleslaus praefatus Cracouiensibus hostiliter intulerat, Vratislauiensis Dux Henricus cum barba cum omnibus suis potentijs versus Cracouiam vna cum Boleslao Pudico Duce contendit, et a singulis fere Baronibus Cracouiensibus et Sendomiriensibus exceptus est, et tam vrbs quam arx Cracouiensis reliquaeque omnes ciuitates et castra, praefectis Ducis Conradi vix dissentientibus, facile in suam et Ducis Boleslai venere ditionem. Adeo enim dominatum Ducis Masouiae Conradi aspernabantur, vt ad aduentum Ducis sui naturalis Boleslai singuli in eius susceptionem et obedientiam confluerent.

Henricus autem cum barba, Cracouiensium, Sendomiriensium et Lublinensium principatuum possessionem nactus, benignum se tutorem et curatorem Boleslao Pudico praebuit, et tam maioris Poloniae, quam Cracouiensium et Sendomiriensium se Ducem gessit et titulauit, praesertim cum Dux Boleslaus per aetatem Ducalia bona inter milites distraxerit. Omnes tamen regiones ex integro Boleslao restituit, et cum matre fecit gaudere, plena et quieta omnium suorum principatuum possessione

Singularis et feruoris et religionis in Deum miles Theodoricus Palatinus Cracouiensis generis et sui nobilitate insignis, de domo et familia Gryffonum, quem difficultati nominis Graeci Polonorum lingua volens eum Theodorum appellare Cedronem et omnes eiusdem nominis appellationem sortitos vocant, cultum ampliaturus diuinum, et sibi viam structurus in caelum, in villa sua hereditaria Ludzimirsz prope Nouumtarg oppidum sub alpibus Pannonicis sita, Monasterium ordinis Cisterciensis sub titulo Sanctae Mariae, sub Pontificio Vislai Cracouiensis Episcopi et eius speciali consensu fundat, et tam praefatam villam Ludzimirsz quam alias plures sibi pro perpetua consignat dote. Cui etiam praefatus Visclaus Episcopus Cracouiensis decimarum manipularum post omnes villas in possessione et terra Monasterio attributa locandarum donationem adiecit, Verum cum fratribus Monasterij praedicti in Ludzimirsz Sta lia accersitos, varia a viris Bohem., praedonicam agentibus, vidisset impedimenta et spolia inferri, decennio lapso, postquam in Ludzimiesz fundationem huiusmodi consumaverat, in villam Sczyrzycz a Sulislao Joannis militis filio Canonico Cracoviensi pro centum marcis argenti comparatam, illud transtulit, ubi et in hodiernum diem perseverat. Liberalitatem Visoslai Episcopi Prandotha Episcopus Cracoviensis, immediatus eius successor, supergressus, de consensu Capituli decimas mansulares mensae suae in villis Poznanowicze, Gostachow, et Olekow, et in nigra sylva post centum mansos Franconicos, loco praedicto et coenobio inscripsit perpetuo et donavit.

Calendas Februarij Bronysius de Roszczichow Comes et palatinus nobilis generis de domo et familia Wieniawa, caput bubonis deferentis, miles et dominus illius Posnaniensis Dioecesis, fervorem devotionis suae, quo in Deum et redemptorem suum aestu magno flagrabat, uberius effundere satagens, et cultum nominis sui propensius augere, in villa sua praefata Roszczichowo, quae extunc et in hodiernum appellari capta est, Paradisus, Monasterium fratrum ordinis Cistercien. sub honore et titulo gloriosae virginis et Dominae nostrae Mariae fundat. Et primum villam suam praefatam Gosczichowo item et alias villas suas Vtzlinam, Hlodawam, Gorzicam, et Solwerz ipsi coenobio et fratribus in illo militantibus et militaturis, quos primum de Monasterio Leninensi eiusdem ordinis per Hermanum eiusdem Leninensis Monasterij tunc Abbatem mitti obtinuerat, in dotem perpetuam donat, et assignat. Frater quoque Mieszo in Monasterio Suiubnovie taliter fundato, et erecto primus Abbatiali fungebatur honore.

Quarto Nonas Januarij Vuarmienses Prutenj claustrum Oliva incendunt, et septem conversos et triginta quatuor Monasterij servos, igne et gladio miserabiliter interimunt. Sub eodem tempore fratres Cruciferi cum auxilio Marchionis Misnensis victis

Prutenij

Pruthenis et territorio Pomeraniae, fidem Christi illos coegerunt suscipere.

Castrum Plocense per Henricum Marchionem Misnensem capitur, sed per Ducem Conradum et filios eius Boleslaum et Casimirum reacquiritur, et Almani alij miserabiliter trucidantur, alij cum Ecclesia Cathedrali comburuntur, alij per pedes suspenduntur. Anno quoque eodem per Ducem Conradum Masoviae ordo et Monasterium fratrum Praedicatorum fundatur in Plocsko

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS TRICESIMVS QVINTVS

Pruthenicam expeditionem Conradus Masoviae Dux, quam etiam anni huius aestate facturus erat, omissa, omnes vires omnesque conatus et studia contra Boleslaum pudicum Cracoviensem Ducem, eiusque tutorem Henricum cum barba Slesiae Ducem, non secus, quam in propria viscera convertit, et alta trahens suspiria vehementi stomachatione vexabatur, quod Boleslaus pudicus Cracoviensis Dux et Grzimislawa Ducissa eius, manus et ergastula evaserant, quod Henricum cum barba in suum solatium acciverat, quod ei tutoriam, et Cracoviensis Sendomiriensis et Lublinensis principatuum possessionem abstulerat. Cum copijs itaque tam proprijs quam auxiliarijs in terram Cracoviensem adveniens, defectionem aliquorum castrorum et civitatum ad se sperans, plures ex Baronibus et Capitaneis, ut Henrico et Boleslao Ducibus desertis ad se deficerent, cum largitionibus tum promissis sollicitabat. Sed dum omnes illum et eius promissa aspernarentur, maioribus ignibus, ut erat vir in bellum zelans, agi coepit, et Ecclesiam Sancti Andreae sub castro Cracoviensi, quae nondum tunc ambitu murorum civitatis Cracoviensis inclusa, pro suburbana habebatur, item Ecclesiam in Prandocin, item Ecclesiam collegiatam Scarbimiriensem, item Monasterium Andreoviense incastellat, quatuorque loca ipsa, valido militum praesidio imposito, armis et victualibus communivit, primusque extat inter Polonorum Duces qui aedes sacras prophanare, et usibus bellicis applicare ausus, detestabilem illum morem successoribus perniciosissimo devolgavit exemplo. Quamvis autem Henricus cum barba Conradum Masoviae Ducem et eius exercitum, dum huiusmodi infameas incastellationes conderent, aut per insidias aut per locorum iniquorum occasionem plurimum lacessisset; in congressum tamen universae dimicationis, quia facilius illum frangi cunctando quam decernendo rebatur, non venit. Sibi quidem et castrorum civitatumque munitionis, sibi militum devotionem et fidem, sibi supplementum militum, sibi victualium omnium abundantiam, videbat suppetere, ea vero hostibus brevi defutura. Multis siquidem difficultatibus Conradus Masoviae Dux affectus, multa sui exercitus parte amissa, magnis tamen populationibus et damnis in terris Cracoviensibus, et Sandomiriensibus irrogatis, in Masoviam maerore tabescens rediit. Post cuius discessum Ecclesia Sancti Andreae per Henricum cum barba, et Boleslaum Pudicum, eorumque milites, tam arcta et dira obsidione constricta, et mensibus aliquot angustiata est, ut milites Conradi pacti ne quid hostile paterentur, in deditionem cum castello venirent. Contra tria autem reliqua castella, in Premdorzin, Scarbimiria, et Andrzeiow, per Conradum disposita, alia rursum tria castella ex lignis et blanciis e regione et in vicino eorum, per Henricum cum barba et Boleslaum Pudicum Duces, erecta atque aedificata sunt, et miro bellandi studio utrisque pro victoria annitentibus, particularia certamina sunt inde saepius celebrata, Henrici cum barba et Boleslai Pudici militibus, ne quid ad Conradi milites importari posset, magna cura prohibentibus, Conradi vero militibus excursiones nocturnas et clandestinas, exactionesque earum villarum, quae tributa repromissa exolvere neglexissent, irrogantibus. Inter haec tum coloni et a propriis, et hostibus vexati intermittebant agriculturam, et agris, coloniisque desertis in loca tutiora se conferebant, calamitasque et desolatio dietim augebatur. Irrepsit et aliud malum, labemque perniciem in Poloniae regnum, quae priorem ingeminavit, frumentis siquidem tam aestivalibus quam hyemalibus, tum per asperitatem hyemis, tum per imbrium frequentium inundationem consumptis, ingens famis universam Poloniam longo tempore oppressit. neque de facili, famis malum, bello civili fervente poterat restringi

Andreas Ungariae Rex pater Beatae Elisabeth, cum annis triginta regnasset, moritur, et in Varadino ad pedes Sancti

Ladislai Regis sepelitur. Cui filius eius Bela successit, pridie Idus Octobris in Regem Ungariae in Alba coronatus

Wladislaus Ottonis Maioris Poloniae Dux fundationem Hospitalis et Monasterij ordinis Sancti Ioannis Hierosolimitani Posnaniae per Meszkonem avum et Wladislaum patruum suum, Duces Maioris Poloniae, et dotationem in praefato Monasterio per dictos Duces factam innovat. et sub praesentia Pauli Episcopi pluriumque tam Ecclesiasticorum quam saecularium Consiliariorum donationem per praefatos Duces ante annos plures de villis infrascriptis factam confirmat, videlicet Chwaliszewo cum ascripticijs Wirzusino, Droszyn cum foro et taberna Wulka, Kurnezino, Wyjunowo, Milostowo, Ondrogewo, et Pogorzelicza, cum naulo, liberans Sanctitatis et bona praedicta ab omni servitute, onere, Dacijs et tributo, Ordinans ut ex bonis Monasterij quaedam Hora Canonica, resque divina explicantur, alantur pauperes et peregrini, quicquid vero residuum fuerit, in subsidium terrae Sanctae domini Hierosolimitanae transmittatur

Borzywoy Maioris Poloniae miles, multo tempore cum Paulo Posnaniensi Episcopo, pro villarum terminis, caeterisque iniurijs Ecclesiae Posnaniensi irrogatis, dissidens, cum in Srzem oppidum ad componendum differentias per amicos communes data acceptaque securitate venisset, Paulum Episcopum Posnaniensem nihil tale suspicatum in dolo captivat, sed captivitatem suam praefatus Paulus Episcopus evadens ipsum excommunicat, fuitque praedictus Borzywoy per universam Ecclesiam pro excommunicato habitus, et in singulis Ecclesijs publice denunciatus. Dumque pertinaci contumacia censuram tolerans, satysfacere Episcopo a se per fraudem violato contemneret, apud Srzem captus et incarceratus suae vecordiae poenas dedit. Wladislaus siquidem maioris Poloniae Dux Castro Srzem conquisito et castrum Srzem cremavit, et tam Borzywogium quam Sandiwogium auxiliatorem cum eo cepit

ANNUS DOMINI MILLESIMUS DUCENTESIMUS TRICESIMUS SEXTUS.

Ad obtinendam universi Regni Poloniae Monarchiam Henricus cum barba Silesiae et Vratislavien. Dux aspirans, dum aetate transacta Conradum Masoviae Ducem de tutoria Ducis Boleslai pudici excussisset, et principatuum Cracoviensis et Sandomiriensis et Lublinensis possessionem velut tutor Boleslai pudici nactus esset, rursum contra Vladislaum Othonis maioris Poloniae Ducem expeditionem movit, et castrum Uiscinense, quod iam unicum pro Vladislao Othonis, caetera enim omnia in Ducatibus maioris Poloniae superbam et iniustam dominationem Vladislai Othonis aspernentia, in ditionem Henrici cum barba cesserant, obsidione firma cingit, plenam Ducatuum maioris Poloniae et pacificam possessionem arce illa, quae sola restabat, conquisita, habiturus. Magnis itaque viribus et conatibus ad illius conquisitionem aestuando, plura tormenta et machinas contra castrum advexit, et obsessos, provectione frequenti tormentorum et sagittarum ignitarum, sperans se castrum, quod pro maiori parte ex materia lignea fabrefactum erat, aliquando incensurum. Oppugnabat etiam illud crebra invasione et impetu militum, qui saepius ab obsessis saxis obruti, mortuos et vulneratos plures referentes, segnius munera obsidionis et expugnationis, conatibus singulis eorum recidentibus in irritum, obibant. Interim cum et longum tempus in obsidione arcis praefatae frustra absumptum esset, et arx ipsa praesidio militum satis valido, septaque etiam, et castra Henrici cum barba per eruptiones continuas lacessendo, plerosque militis de hostibus exciperent, vix pugnabilis videretur, nova etiam pernicies Henrico cum barba accessit, tres namque machinae quae potiores habebantur, ex vehementi et continua provectione fractae et ruinatae sunt, ex qua re, neque enim apud obsessos ex arce omnia speculatos ignota esse poterat, et obsessis crevit ausus, et obsidentibus desperatio. Itaque Henricus cum barba Dux, et deditionis et expugnationis spe amissa, obsidionem solvens, multis damnis exceptis, in Silesiam redijt. Post cuius discessum Vladislaus Othonis cum gentibus et militibus qui

Illius partes sequebantur, castra et munitiones, quae per milites Henrici in maioris Poloniae Ducatibus tenebantur, lacessere, impugnare, et invasiones, exustionesque villarum et oppidorum, quae ad se deferebant, facere non desiit. Inter quae castrum Srzem, quod a Borziwow Dypoldi Marchionis Moraviae filio et Henrici ex sorore nepote tenebatur, corruptis vigilibus nocturna irruptione invadens cepit. Et Borziwogium Marchionem, Sandivogiumque militem, caeteris metu perculsis diffugientibus, sibi resistentes occidit, castroque spoliato, ne ab hostibus iterum locaretur, illud incendit, et in Pomeraniam ad Swantopelconem sororium suum divertit, deinde in castra Nakiel et Vscie, quae in fide sua manebant, se recepit, hostilitatem et periculum veritus, intelligens maioris Poloniae Barones et milites in fide et obedientia Henrici cum barba constantes et perseverantes fore.

Penultima Junij Conventus Principum Poloniae apud Danchow habitus est. In quo dominicellae Henrici Ducis Slesiae iunioris Constantia, et Gertrudis, illuc personaliter adductae, per Michaelem Wladislaviensem, et Petrum Plocensem Episcopos, in facie Ecclesiae solenniter, filijs Ducis Conradi Masoviae, Boleslao et Casimiro actualiter desponsantur. Nuptiarum tamen solennitas in alium diem virginibus in Vuratyslaviam reductis dilata est. Secunda autem die Julij Conradus Dux Masoviae praefatus facit divisionem principatuum suorum inter duos filios praefatos, et conferunt Duci Boleslao Ducatus Masoviae, Duci vero Casimiro Lanciciensis et Cuiaviensis Ducatus, et ambo iureiurando in praesentia Wladislaviensis et Plocensis Episcoporum, et plurimorum Baronum terrarum praedictarum promiserunt se divisionem huiusmodi servaturos.

Sexta mensis Maij die Casimirus Opoliensis et Ratiboriensis Dux, filius Mieszkonis filij Wladislai totius Slesiae Ducis, frater patruelis, germanus Henrici cum barba in Opol moritur, et in Ecclesia seu Monasterio Czarnowasz Ordinis Praemonstratensis a se illuc ex Ribnik propter loci incommoditatem translato, una cum filia sua eiusdem loci et ordinis sanctimoniali virgine pluribus virtutibus et mira devotione insigni sepelitur, qui duos filios videlicet Mieczslaum et Vladislaum relinquit. Mieczslaus itaq; maior natu existens qui et crassus appellabatur, virginem Iudittam filiam Conradi Masoviae et Cuiaviae Ducis in sponsam accepit, sed sterilitatis opprobrium passa, nullam prolem reliquit. Susceperat autem filios praefatos Casimirus ex Vuincoslawa Ducissa, quae et ipsa tertio Idus Martij dum obijt

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMꝰ TRICESIMꝰ SEPTIMꝰ

Regionibus aliquot et coloniis ex civili et domestico bello, quo se invicem Henricus cum barba Slesiae et Vuratyslavien., et Boleslaus pudicus Cracovien. et Sendomirien. Duces, ab una, et Conradus Masoviae Dux partibus ab altera ferè integro biennio collidebant, vehementer quassatis et afflictis, per Barones et Consiliarios communis agitari de pace coeptum est, et aliquot diaetis ob eam rem celebratis, tandem ex crudeli et funesto bello abrogato, damnisq; hinc inde datis compensatis, et captivis utriusq; partis absolutis, pax in hunc modum conclusa est, ut Boleslaus pudicus Cracovien. et Sendomiriensis Dux, ex quo annos pubertatis scitus est transcendisse, Ducem Mazoviae Conradum non teneatur tutorem ferre, sed liber et iuris sui verus Dux et dominus censeatur, et pro arbitrio suo sibi curatorem et provisorem constituat. Qua quidem pace, pactis et iureiurando firmata, Boleslaus pudicus sub omnium praesentia Henricum cum barba Ducem Slesiae, sibi in curatorem deposcit et assumit, seq; illi et suis salubribus consilijs directionibusq; repromittet pariturum, germanum patruum Conradum Mazoviae Ducem non secus, quam acerrimum hostem pertaesus, qui etsi ob id vehementer se iniuriatum quaereretur, et confusum, pactis tamen et iureiurando constrictus, compositioni paruit, et praesidia ex castellis videlicet Scarbimiriensi, Andrzieiowiensi, et Pramoczensi deduxit. Ex eo etiam tempore Henricus cum barba se Monarcham Poloniae Regni gessit, et tam Slesiae quam natu et principatibus qui in eum confluxerant, inter Poloniae Duces maior habebatur, nam etsi propter amorem quo in Boleslaum pudicum Ducem flagrabat, a titulo Ducatus Cracoviensis et Sandomiriensis abstinuit, sed duntaxat se maioris Poloniae et Slesiae Ducem et dominum nominavit, in ipsis tamen Ducatibus Cracoviensibus et Sandomiriensi magis illi et suis imperijs quam proprio et naturali Duci Boleslao pudico post foedus cum Conrado Masoviae Duce ictum parebatur, Sed et Dux Boleslaus pudicus Cracoviensis gratificari illi volens, et impensas quas pro se et suis Ducatibus de manu Conradi Masoviae Ducis eripiendis fecerat refundere, notabiles Duci Henrico cum barba reditus et introitus tam in Cracoviensi et Sandomiriensi Ducatibus, quam in Zuppis Vieliczen. Bochnensisque consignaverat, Monarchali autem potestate praesertim in Cracoviensi et Sandomiriensi terris Henricus praedictus, bona Monasterij Opatoviensis Cracoviensis Diocesis, videlicet oppidum Opatow, cum sedecim villis et aliquot manipularibus decimis, templarijs exclusis, quorum insigne illic erat Coenobium, annuente et ultro consentiente voti suo Boleslao pudico, Ecclesiae Lubucensi sui dominij applicat, Nec his contentus in terris maioris Poloniae oppidum Cazimirsz cum suo districtu cum quatuordecim villis et totidem decimis, item in terris Slesiae oppidum Borch cum decimis cum villis et lacubus praefatae Lubucensi Ecclesiae donat

DUX MIECZSLAUS propter caesariem capitis parum sanam appellatus Choszisgho Ducatum Cuiaviensem ex patris sui Ducis Masoviae Conradi concessione inter fratres sortitus, dum quasdam viduas et orphanos praeter aequitatem et iustitiam spoliasset, et varijs variorum mactatis, substantijsque occupatis, splendidum convivium ex illis optimatibus et militibus Cuiaviensibus praeparasset, et in illo opipare usurus consedisset, inter prandendum et convivandum, iustissimo Deo enormia sua peccata praesentia et transacta vindicanti, mures infiniti conveniunt, ipsumque devorare coeperunt, qui imminens periculum declinaturus navim conscendens ad aquas et flumina perrexit. Quibus nequaquam suffragantibus, a muribus illum per omnes undas et maria insectantibus, miserabiliter consumptus et devoratus est, documentum non multa iniuria viduis et orphanis inferendae posteris praestiturus

Reconciliatione inter Henricum cum barba maioris Poloniae et Slesiae, et Conradum Masoviae et Cuiaviae Duces confecta, nuptiarum etiam solennitas Vratislaviae acta est. In qua iuxta ordinationem Beatae Hedwigis et pacta in Ploczko per medium beatae matronae inita, Boleslaus filius Conradi Masoviae Ducis maior natu virginem Gertrudem filiam Henrici filii Henrici cum barba neptem beatae Hedwigis accepit in uxorem. Nam etsi ut in superioribus praemisimus matrimonium huiusmodi dudum fuisset contractum, non tamen poterat, tum propter minorem aetatem contrahentium, tum propter bella orientia, nisi anno eo consumari. Celebritatem autem huiusmodi beata faemina Hedwigis, ut personaliter interesset, nulla poterat prece et supplicatione moveri, sed in Monasterio Trzebnicensi se continens, contemplationi sanctae et orationi iugiter insistebat, quae etiam cum viro suo Henrico cum barba Vratislaviensi Duce continentium se lege perpetua vincientes, per annos triginta gratiam coniunctionis non repetibant

Boleslaus Pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis Dux precibus et consiliis genitricis suae Grzimislavae faeminae religiosae et devotae persuasus, fratres minores in Cracoviam ex Praga vocat. Illisque et pro Ecclesia et pro monasterio in civitate Cracoviensi locum amplum donat, et Ducalibus impensis tam Ecclesiam quam Monasterium pulchro opere ex lateribus coctis inchoat et consumat, quamvis in annis pueritiae constitutus

Gregorius Papa nonus civitatem insignem Constantinopolim quae vetusto nomine Bizantium dicebatur, de captivitate liberaturus, Vilhelmum Episcopum Mutinensem adiungens ei fratrem Martinum de Sendomiria ordinis Praedicatorum, Polonum natione, virum providum et doctum ad Ludovicum Franciae Regem transmittit

Przemislaus Marchio Moraviae germanus Venceslai Bohemiae Regis, sentiens sibi praefatum fratrem suum Venceslaum multipliciter infestum esse, in Ungariam effugit, castris suis Moraviae praesidio fidelium militum commendatis, qui tandem a Rege Bohemiae Venceslao obsessi, castra ipsa sibi reddere coacti sunt. Przemysl vero Marchio Moraviae a Bela Ungariae Rege benigne habitus, etiam interpositione sua Marchionatum Moraviae rehabuit

Hermanus magister Cruciferorum Domus Theutonicae, Conradi Masoviae, Swantopelci et Samborij Pomeraniae Ducum fretus auxilijs in Prussorum terram descensu per terram et aquam facto, castrum et oppidum Elbiang in Pogezano districtu aedificat, et militum valido praesidio communit, dato civitati nomine a fluvio Elbiag qui illic decurrens stagno quod Hab dicitur se miscet

Fratres praedicatores videlicet frater Martinus de Sendomiria, cum alijs, Monasterij Sanctae Trinitatis in Cracovia, missi in Italiam, ossa Ivonis Episcopi Cracoviensis ab Episcopo Mutinensi impetrata, Cracoviam referunt, in Monasterio praefato Sanctae Trinitatis in chori medio condunt.

Boleslaus Dux Cracoviensis et Sendomiriensis cum matre sua Grzimislava dolos et insidias Conradi Masoviae Ducis et filij sui Boleslai perhorrescens, et in terra Sendomiriensi, quam pro suo domicilio et statu Ducali tenendo Henricus cum barba consignaverat, non audens remanere, petit in aliqua munitione Cracoviensis terrae collocari, donec furor adversariorum suorum conquiescat, et Baronibus suis congregatis et adunatis, status principatuum suorum vires resumens, adversus eos invalescat. Dux itaque Henricus curator suus munitionem rupis, quae dicitur Skala in Przegmacy concedit ad habitandum, et certos redditus impendit ad vescendum. Ubi collecti fere quinquennio delituerunt. Ipse vero Henricus Dux cum omnibus redditibus, iuribusque Cracoviam, adversaria suum retinens habito demum consilio Episcoporum et Baronum Rempublicam provide ordinavit, leges quibus humana vidaria conservaretur instituit, et conscripsit, viros industrios et pios praefecit, beneficijs, et magistratibus,

Peritiorum

pestiferum genus hominum crediderit maleficos et calumniatores exterminavit, logos concussionibus eiecit, stupra coniugali et virginali et viduali, et si qua sunt similia prorsus extirpavit, insuper libertatem Ecclesiae confirmavit, sicque in eo statu terra posita, eoque regnante quasi per decennium crevit rerum incrementis, et profecit mutua vinculo connexa societaty

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS TRICESIMVS OCTAVVS

Monarchiam Regni Poloniae Henricus cum barba, maioris Poloniae et Slesiae Dux adeptus, ad felicem tranquillumque statum Poloniam sub regimine et principatu tam iusti et celebris Principis visa est pervenisse. Sed et Henricus Dux praefatus in maioris Poloniae Ducatu solium suum quieti credebatur firmasse, cum subito novum dispendium novaque pernicies regno praefato Poloniae accessit. Dux siquidem Henricus ad partes inferiores Ducatuum suorum Crosnam, prope terminos Bohemiae sitos descendens, languore graviter capit. Et quamvis de languore suo Consors sua Hedwigis beata per celerem nuntium certior facta fuisset, visitare tamen illum quamvis viri precibus multipliciter rogata intermisit, ne quam scintillam coniugalis amoris erga aegro marito contraxisset, cum infra annos triginta, quibus uterque caelibem agebat vitam, rarissime et non ~~pisi~~ nisi in necessitate inevitabili, quando pro necessitatibus egenorum, viduarum, pupillorum, Monasteriorum, Ecclesiarum, et miserabilium, aut aliqua oppressorum vel calamitatem patientium intercedendum erat, adibat. Ingravescente itaque infirmitate, omnibus Ecclesiasticis Sacramentis rite et religiose perfunctus, sex lustris et praeminus in caelibatu, consorte in sororem commutata, exactis, quartodecimo Calendas Aprilis in oppido suo Crosna feliciter exspiravit. Qui ob id Henricus cum barba appellationem sortitus est, quoniam a tempore quo caelibem vitam ad instigationem consortis suae Beatae Hedwigis agere coepit, barbam in coniu

Sorum morem permisit, splendidisq; induvijs et auro rostroq; nitentibus abiectis, laneo et humili amictu utebatur. Cum autem ad Monasterium Trzebnicense per ipsum fundatum et liberaliter dotatum, in quo beata foemina Hedvigis arctissimam agebat inter Sanctimoniales Cistercienses vitam, funus suum illuc sepeliendum ductum fuisset, omnibus monialibus, et pluribus alijs tam nobilibus quam rusticanis hominibus utriusq; sexus, qui ad cohonestandum funebrias suas ex maiori Polonia et Slesiae Ducatibus in maxima multitudine obviam corpori mortuo convenerant, effusis, sola foemina Beata Hedvigis in Monasterio Trzebnicensi substitit, et honorem illum impendere corpori mariti neglexit. Sed Sanctimonialibus caterisq; tam viris quam matronis mortem Henrici Ducis viri sui magno eiulatu, magnisq; lamentis, vociferatione incondita deflentibus, haec sola siccos tenuit oculos, neq; in omnium fletu visa est lacrimasse; sed nonnullas Sanctimoniales obitum Henrici Ducis praefati tam ingenti moerore, ut pene mortuae crederentur, prosequentibus, corripuit, asserens iniquum et scelestum esse tam inconvenienti et immoderato moerore voluntati Divinae et eius beneplacito adversari. Successit autem optimo viro Henrico cum barba Duci, in utroq; Ducatu dominio Cracoviensi, maioris Poloniae videlicet et Slesiae filius suus Henricus, qui illi ceteris filijs morte subtractis unicus remanserat. Neq; maioris Poloniae Praelati, Barones, et nobiles, quicquam diminuere aut variare ex praeterita obedientia et subiectione, quam patri Henrico cum barba praestiterant, in filio dignum ducebant, quamvis scirent se alium iustiorem Ducem et haeredem Vladislaum Ottonis, qui morte Henrici cum barba sequuta, plerosq; eorum magnis promissionibus et precibus, ut de se recogitarent, sibiq; Ducatum proprium et paternum redderent, sollicitare non desijt, habuisse, firma certitudine freti Henricum secundum ex beata foemina Hedvigi genitum, et paternos et maternos optimos mores sectaturum

Apud Halicium civitatem Monasterium fratrum Praedicatorum fundatur, et fratres provinciae Poloniae domum illic accipiunt

Petrus Plocensis Episcopus cum annis sex sedisset, ex vitio pulmonis moritur, et in Ecclesia Plocensi debito honore tumulatus, Andream habuit successorem, a Gnesnensi Archiepiscopo Fulcone Conradi Mazoviae et Cuiaviae Ducis accedenti consensu confirmatum. Hic Andreas Cracoviensis Ecclesiae Scholasticus, nobili genere de domo et familia quae Griffonem defert, ex terra et regione Cracoviensi et ex villa Brzeznicza ortus, filius Marci palatini Cracouiensis.

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS TRICESIMVS NONVS

Vuladislaus Otthonis maioris Poloniae Dux per Henricum cum barba, Baronum maioris Poloniae vanitati annuentia et conspiratione de Ducatu suo eiectus, mortem Henrici cum barba, hostis et competitoris sui, nullam videns rebus commoditatem, quam speraverat attulisset, gravi dolore et molestia prestinca actus, apud socerum Swantopelconem in Pomerania exulans, languorem contraxit, et infra paucos dies rebus eximitur humanis. Corpus exanime, ita enim moriturus rogaverat, in Poznaniam adductum, in sepulchro patrum et avorum suorum Regum et Principum Poloniae in Ecclesia maiori posnaniensi, permittente Henrico pio, maioris Poloniae et Slesiae Duci, beataque matre Hedwigi mandante, exequijs iusto honore peractis humatum est. Post cuius mortem castrum Gnesnense militibus, qui in illius praesidio erant longa spe fatigatis, in plenam ditionem Henrici pij venit. Reliquit autem Vuladislaus Otthonis duos filios, ex filia Swantopelconis Helinga, qui sibi Ducatum Pomeraniae falso usurpaverat, genitos videlicet Przemislaum et Boleslaum duorum tantummodo castrorum cum suis appendijs, videlicet Nakiel et Vsciu, quae sibi viva, dum moreretur, supererat, nam caetera alia in ditione et subiectionem Henrici Slesiae Ducis concesserat, possessores.

Ex morte Henrici cum barba Poloniorum Principis et Monarchae Conradus Masoviae Dux fastuosus et insolens esse, magnasque iras contra Boleslaum pudicum Cracoviae et Sendomiriae Ducem, quod se contempto, Henricum cum barba in suum tutorem asciverat, et eo Duce ac adiutore praelijs aliquot secundis, contra eum usus fuerat, evomere coepit. Quapropter haud longe post Henrici cum barba obitum, foedus ictum irritavit, et clandestinis primum, deinde publicis incursionibus Cracoviensem, Sendomiriensem, et Lublinensem terras vastabat. Ad cuius insolentiam compescendam Boleslaus pudicus Cracoviensis et Sendomiriensis Dux notabilibus Baronibus, videlicet Clemente Climyatsonu Castelano, Janussio Palatino Cracoviensi ad Belam Ungariae Regem missis, filiam eius Kingam, quam soror Boleslai Salomea, consors Colomani Haliciensis Regis et filij Belae de praestantia virtutum et morum commendaverat, procatus, accepit in consortem, virginem ea tempestate singularis formae et virtutis, Cuius futuram optimam indolem ipsa etiam crepundia praemonstrarunt, quam primum [illegible] anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi Millesimo Ducentesimo quarto apud Pannonias matris alvo, in primis quibus in lucem infantula edebatur, foris non ab ululatu et lachrimis, ut ceteri infantes, sed a Gabrielis denunciationis suos auspicata est ortus, sed claram, articulatam, et sonoram, Ave regina caelorum, in idiomate Ungarico edidit vocem, quartis insuper et sextis ferijs semel tantummodo ubera sugere contenta, praesulem beatum Nicolaum in ipsa infantia aemulabatur. Deducta est autem praefata virgo Kinga cum magno apparatu, ferens secum amplam, quadraginta videlicet millium marcarum dotem Cracoviam ubi et solennitas nuptiarum diebus xij acta est. Ex eo autem tempore et deinceps Kinegundis Ducissa praefata celsitudinis suae nomen et meritum caelebritate per pietatis opera apud regionis Polonicas diffundebat, ut non secus quam altera egregiae virtutis Beata Trebnicensis Hedwigis Ducissa, cuius et ipsa Kinegundis neptis ex sorore germana fuerat, in populo Polonico videretur surrexisse. Ab omnibus mundanis abhorrens officijs et ab omni ambitu aversa, hoc unum concupiscens nihil praeter caelestia desiderare. Feruntur autem ambo in aevum virgines permansisse, et prima nuptiarum die primum quidem

ad unum annum

ad unum annum, quo lapso ad alterum, et deinde in tertium, quo effluxo, felici Kinga operante et instigante, in omne aevum domino caeli coelibatum spontanee vovisse, et servasse. Ex quo Boleslaus Dux pudicus meruit appellari. Splendidum matrimonium Conradus Masoviae Dux videns nepotem suum Boleslaum pudicum sortitum, lacessere illum destitit, et pacificatus est illi

Externis bellis, Conradus Masoviae Dux paululum quietatus, in proprios et domesticos furere coepit, et Diabolico vexatus instinctu, Joannem Czapla appellatum, et in iure Canonico peritum Cancellarium Ducatus sui, Scholasticum, rem horribilem et detestabilem perpetrans, Wladislaviensem et Plocensem, in ordine constitutum praesbyterali, et filiorum suorum Boleslai et Casimiri paedagogum temerarie per Siemovitum filium captivat, et squalido carcere diebus aliquot maceratum, tandem in eculeo tortum velut furem in publicum patibulum egit. Extinctum quoque, et ex priori suspendio sublatum, cum aliqui fratres praedicatorum depositum in civitatem ferrent sepeliendum, Agafia Ducissa plena furia eis ablatum, non saevius quam altera Jesabel, sanguinem sacerdotalem sitiens, super currum positum, et duobus bobus vectum, in altero rursus patibulo studiose ad id circa Ecclesiam Sancti Benedicti fabricato super Vislam e regione Ecclesiae Plocensis maioris, suspendium, ut esset tam tremendum quam ignominiosum spectaculum, allegant. Quem frater Martinus Prior Plocensis ordinis praedicatorum missis fratribus, de patibulo secundo depositum, in Ecclesia maiori ordinavit sepeliri, Levissima causa ad patrandum tam horrendam tyrannidem sibi et domui suae sempiternam ignominiam inusturam, permotus. Casimirus secundus alter filiorum praefati Ducis Conradi, anno eodem, virginem Constantiam filiam Henrici cum barba pii Wratislaviensis Ducis, dudum sibi per beatam feminam Hedwigem relictam Henrici cum barba, desponsatam, acceperat uxorem, et nuptiis pro magnificentia tam soceri quam generi Wratislaviae celebratis, Casimirus novae sponsae castus amore in domo soceri Wratislaviae longum tempus morabatur. Et licet pater Dux Conradus illum tam nuntijs quam literis redire Masoviam iuberet, obauditis tamen paternis imperijs diutius quam sat erat, redire tardabant. Credens Conradus Masoviae Dux permissu et licentia praefati Joanis Scolastici, velut Paedagogi et magistri se et suas iussiones a filio Casimiro contemptum iri, et veritus ne in vindictam captivitatis idem Henricus, aliquam vexationem terrae suae inferre moliretur, praefatum Joannem Cancellarium promissa omni securitate per se et uxorem suam blande revocat, quasi consilium ab eo de filij revocatione petiturus. Verum omnem culpam et bilem in Magistrum Joannem, Scholasticum et Cancellarium retorquens, furori indulgens, non discussa non examinata veritate, cruentum et detestabile facinus in virum innocentem admisit, et Palatini Plocensis Cristini de Gosdowo viri optimi et bellatoris eximij iniustae morti aliā iniustiorem addidit, et truculentiam suam atrociori facinore ingeminavit, propter quod Andreas Episcopus Plocensis eum et uxorem eius publice excomunicavit

Reconciliatione celebrata Conradus Masoviae Dux castrum Bidgostiense, quod a Swantopelkone Pomeraniae Duce interceptum et occupatum fuit, recuperat. Swantopelcus vero in ultionem amissi castri cum exercitu aliquanto ex equite et pedite congesto, Cuiaviensem terram Ducatui suo vicinam ingressus, tumultuario more igne vastat, et oppido Juni Wladislaviensi et pluribus villis exustis, in munitiones se recepit. Castrum Santhok per Polones negligentius custoditum, per Saxones intercipitur. Maydburgensis Archiepiscopus Willebrandus forti collecto exercitu contra Poloniam venit, castrumque Lubusz obsidione cinxit, asserens illud per Henricum quartum Imperatorem Romanorum sub Boleslao Crziwousti expugnatum, Ecclesiae suae Maydburgensi perpetuo donatum fuisse. Dum autem aliquot hebdomadis obsidionem continuasset, Henricus maioris Poloniae et Slesiae Dux cum copijs insignibus advenit, et exercitum hostilem solutum et errantem aggressus facile fudit, et in turpem fugam egit, obsidionemque solvit, Magdburgensis Episcopus Vuilbrandus pluribus de suis amissis tristis et maerens incolumis tamen evasit

Cruciferorum secundus Magister Popinus copias suas a Pruthenis barbaris eo anno ad internitionem deletas vlturus, in earum supplementum novas surrogans castrum Balgam sub Pruthenis conquirit, quod recipere cupientes barbari, duobus castris in circuitu erectis, tanta vexatione et fame non sinendo aliqua importari, Cruciferos strinxerant, ut parum abfuit nisi Otto Dux de Brausuich cum nova militia adveniens barbaros repulisset, quin in hostium cum castro una venirent potestatem. Cuius enim potentia, Pruthenici barbari confracti sunt, et duo castra barbarica videlicet Portigal et Schranden, quae in circumstantibus locis erexerant, et ex quibus Balgam et fratres in eius relictos praesidio, semper usque ad deditionem coangustaverant, expugnata, frigenti Pruthenorum praesidio, aut caeso aut capto. Sub eo quoque tempore idem Pomponius alias Hompo Prussiae magister conventum et Monasterium fratrum minorum in Thorun, sub titulo Sanctae Mariae virginis erigit, et fratribus minoribus aream ad inhabitandum assignat

ANNVS DOMINI MILLESIMVS DVCENTESIMVS QVADRAGESIMVS

Horrendam et execrabilem necem in virum bonum et innocuum Joannem Cancellarium Masoviae et Scolasticum Vladislavien. et Ploczen., per Conradum Masoviae et Cuiaviae Ducem miserabiliter patratam, in universo Polonorum regno divulgatam, vox in horroris et lamentationis est subsequuta, quae Petrum Gnesnensem Archiepiscopum ad mulctandam iniquitatem patrati sceleris permovit, Pontifice Plocensi Andrea pavore, qui in virum constantem cadere poterat, ne Ducali facinus in Scholasticum suum admissum virga Apostolica feriret, mortis respectu constricto. Communicato itaque virorum prudentum et iuris divini atque humani peritorum consilio

Petrus Gnesnensis Archiepiscopus universas Ecclesias in Plocensi Dioecesi sitas, et universam Plocensem Dioecesim, missis processibus publicis, quibus tam ab Episcopo et Clero, quam a Populo Plocensi paritum est, Ecclesiastico supposuit interdicto, Furori primum res haec apud Conradum Ducem fuit, post terrori, dum comperit Petrum Gnesnensem Archiepiscopum acriori censura in se usurum, Subito ergo ad poenitentiam conversus, missis nuntijs conventum sibi dari petit. Quo apud Lanciciam instituto, Conradus Masoviae Dux illuc personaliter cum Andrea Plocensi Episcopo et Consiliarijs adveniens, signa poenitentiae de commissa in Christum Domini nece dedit, se quoque pro diluendo facinore quamlibet poenitentiam salutarem laturum astrinxit. Diffinitum tandem, Duce Conrado taliter humiliato, et ab omnibus laudatum et acceptum est, ut in expiationem et purgationem commissi patricidij villam Lowicz cum sylvis, nemoribus eam in circuitu ambientibus, quae quondam Ducalis venatio habebatur, Ecclesia Gnesnensis et eius Pontifices perpetuo iure possiderent, Ducem tamen Masoviae unam Marcam auri solvendo recognoscant. Et quilibet Gnesnensis Ecclesiae antistes Canonicam praebendam in Plocensi Ecclesia obtineat, et Canonicus natus Plocensis censeatur. Ecclesijs vero Vladislaviensibus et Plocensibus, certas libertatis, iura, donationis confirmat perpetuo duratura diffinitione. Itaque huiusmodi probata donatione etiam de villagio Lowicz et eius appendijs Ecclesiae Gnesnensi per Ducem Conradum Masoviae verbo et literis roborata, Petrus Gnesnensis Archiepiscopus, Ducem Conradum et a reatu parricidij ad cautelam absolvit, et interdictum sustulit, divinaque in Plocensi Dioecesi resumi, et Ducem Conradum pleniorem absolutionem apud Summum Pontificem petere mandavit. Verum Summus Pontifex Gregorius nonus absolutionem, quam Petrus Archiepiscopus Gnesnensis Duci Conrado impenderat, pronuntians irritam et inanem, Thomae Wratyslaviensi Episcopo et Gerardo Gnesnensi Scholastico, dedit in mandatis, ut recepta a Duce Conrado condigna satisfactione, absolutionis beneficium eidem impenderent, Qui priorem satisfactionem et Gnesnensi, et Vuladyslauiensi, et Plocensi Ecclesijs per Conradū Ducem factam approbantes, Ducem præfatum a reatu patricidij, exacta penitus a filijs præfati Ducis Conradi, Bolislao Masouiæ, et Casimiro Cuiauiæ Ducibus, omnium eorum, quæ Conradus Dux Ecclesijs præfatis, Gnesnensi, Vuladyslauiensi, et Plocensi, contulerat, confirmatione; prout hæc omnia in litera originali præfati Ducis Conradi, quam Vuladyslauiensis Ecclesia obseruat, a nobis frequentius visa et tractata continentur, absoluerunt, cuius tale est ~~exem~~ initium plum, Cum piarum sit mentium. &c.

Gregorius Papa nonus cum annis quatuordecim sedisset, per Fridericum Imperatorem multis tribulationibus pro zelo et defensione Ecclesiæ concussus, tandem bono fine mensis Augusti die xiiij ad dominum transijt, et in Ecclesia Beati Petri sepultus, Cælestinum quartum Episcopum Sabinensem natione Mediolanum non tamen immediate post mortem Gregorij, sed biennio prope transacto, Friderico Imperatore discordiæ et zizaniarum semen serente habent successorem. Cui Fridericus Imperator talibus versibus missis minabatur

Roma diu titubans varijs erroribus acta
Corruet et mundi desinet esse caput
Astra docent, et fata monent, auiumq volatus
Subito Fridericus malleus orbis ero

Cui taliter summus Pontifex respondet

Niteris incassum Petri submergere nauim
Titubat, sed nunquam mergitur ista ratis
Astra silent, nil fata monent, nil prædicat ales
Solius est proprium scire futura Dei

Hic Papa cum sedisset decem et octo diebus moritur, et in Ecclesia Sancti Petri sepelitur, Post cuius mortem vacabat Sedes Papalis viginti duobus mensibus et diebus xiiij Sub quo tempore Fridericus Imperator hostis Ecclesiæ multa in Ecclesiæ turbationem ampliorem molitus est, fideles quosq et deuotos Ecclesiæ opprimit, depredatur, et vexat.

Henricus Secundus Vuratislauiensis Dux et beatæ Hedwigis ac Henrici cum barba filius, monente eadem illustrissima matre Hedwigi, fratres minores in Vuratislauiam aduocat, et Ecclesiam Sancti Iacobi Apostoli de novo erectam, et locum pro Monasterio illis donat, Sed cum Tartaris pro fide et religione nostra ac fidelium defensione fortissime pugnans occubuisset, Anna Ducissa relicta sua, et Ecclesiam Sancti Iacobi, et monasterium, quae maritus imperfecta reliquerat, consumationem in aedificii curavit.

Fratres Cruciferi castro Balga sub Prutenis conquisito, valido illud munierunt praesidio, Contra quos gemivatio una de Vuarmien fortius et valida, quae Bogetya dicebatur, duas munitiones, quarum unam Portigal, alteram Sobrando appellabant, extruxit, Ex quibus in tantum fratres Cruciferos coangustiaverant, quod fugere de Balga disponebat. Interim vero Otto Dux de Brunswig cum suis militibus supervenit, et Prutenis Balgam obsidentibus conflixit, munitiones vero eorum expugnatas confregit. Idem Magister Livoniae frater Vuolquinus ordinem suum, qui dicebatur ordo militum Christi cum ordine cruciferorum nigrae crucis coniunxit. Et post haec eodem anno in congressu cum Lituanis Sabcto, cum quinquaginta fratribus et multis sui ordinis pugnans interficitur

EXPLICIT LIBER
SEXTUS.